From the library of
SIR R. LEICESTER HARMSWORTH, BART.

From the library of
SIR R. LEICESTER HARMSWORTH, BART.

Sold by Order of
Balliol College, 1922

INCREPATIO

Andreæ Eudæmono-Iohannis

IESVITÆ, de infami PARALLELO,

ET,

RENOVATA ASSERTIO

TORTVRAE TORTI,

Pro Clarissimo Domino atque

Antistite ELIENSI.

AVCTORE

SAMVELE COLLINO, Etonensi, Sacræ Theologiæ Doctore,

Reverendissimo Patri, ac Domino, D. Archiepiscopo CANTVARIENSI, *à Sacris.*

EXCVDEBAT CANTRELLVS LEGGE, Inclytæ Academiæ CANTABRIGIENSIS Typographus.

Anno Salutis M. DC. XII.

AD REVERENDISSIMVM IN *Chriſto Patrem ac Dominum, D.* GEORGIVM ABBATVM, Illuſtriſſimum ac *Spectatiſſimum Archiepiſcopum* CANTVARIENSEM, totius ANGLIAE Primatem, Regiæ Sereniſſimæ *Maieſtati à ſanctioribus Conſiliis, Dominum* meum ſingularem.

NVNCVPATORIA.

Laborem illum, quem ab ineunte adoleſcentiâ, in publicis Regni huius Eccleſiaſticis rationibus, ac nominatim in Epiſcopis pro meâ tenui infirmâq; parte, vel illuſtrandis, vel defendendis, inſumpſi, lubens etiammum perſequor, & vocis tuæ hortatu, & Clementiæ auſpiciis, Reverendiſſime Pater, Illuſtriſſime Domine, Mecenas plurimum honorande. Atque vtinam tanti eſſent, quæ à me tibi offeruntur, quæve dependere porrò paratus ſum, quàm excellens tua bonitas, & copioſa virtus, & toto diffuſa vitæ allu gratia, *omnes induſtriæ meæ partus tibi facilè vendicant. Quem enim nemini non noſtri ordinis, id eſt Eccleſiaſtici, ac litterati, vehementer* expediat *habere patronum, propter loci amplitudinem, tum propter ingenitam ſuauitatem, & illum pectoris (vt in vero Iſraelitâ)* candorem, *antè etiam* libêre *ſolet, quàm* expedire *reputatum eſt. Ego verò nec animo meo, tam à multis iam annis pleno in Clementiâ tuâ obſeruantia, nec ipſi adeò huic muneri me ſatisfacturum exiſtimaui, cùm præſertim aduerſa in-*

ingenium recordor, & nonnullos impetus, quos in familiam vestram fecit, & cætera honestissimam atque cæstissimam, & in quâ summo Dei beneficio, non satis fuit unum, quemvis eximium, nasci Theologum, nisi qualecunque testimonium præclarissimarum tuarum laudum chartis hisce insererem, qua æterna fortasse, vt ille ait, non erunt, à me tamen destinantur tanquam futura.

Vlm.

Quid est enim, quòd tu Ecclesiam vestram ita hoc tempore administras, ad cuius quidem procurationem, in non grandi ætate tuâ, vel potius admodum adhuc florente vegetâq; vocatus es, (nisi quòd nihil non maturum est, vel illustri prudentia, vel spectata virtuti,) administras iniquam ita, vt cùm nusquam plus pudoris aut reverentiæ fuerit in nostro ordine, nusquam minus aut concordiæ aut licentiæ datum, nec querelæ tamen vllæ, nec clamores exaudiantur, atque vt olim in Salomonij illius templi extructione, quod sine dubio Sanctam præfigurabat Ecclesiam, Eph. 4 12. *ad extremum vsque sæculi, vt ait Apostolus, ædificandam, omnis malleorum strepitus conticuerit. Nimirum* legibus *nihil opus est, vbi* exemplis *res geritur, & mores Domini disciplina sunt optima, & oculus est ipse qui vel pascit vel gubernat, nec* potestas *tantum valet quantum* authoritas, *ac cùm nihil gratiæ causâ fit, non possunt non esse grata quæ fiunt omnia. Quod adeò Clementia tua proprium ac peculiare voluit esse summus ille Deus, vt cùm in tres amplissimos Episcopatus, intra non multorum mensium spacium ordine succederes, non solùm fidem tuam atque integritatem omnibus approbaris, sed adversorem nescio quo modo populum nostrum ab Episcopali, vt fit, ordine, vocationeq; in vniversum, in bonam perfectamq; gratiam cum eo facile reduxeris. Equidem & sæculi τὰς πραγματικὰς ἐπὶ τὰ πρωτεῖα confugisti, si quid id est cum Timotheo eâ in re exequare, quod omninò permagnum est. & Regium, quo nihil sanctius, paviter vel meruisti vel impleisti indicium, cùm honores honoribus cumulans, ita tandem de te pronuntiaret,* Non enim me pœnitet fecisse hominem. *Popularis verò opinio, non est illa quidem ambienda, sed tamen nec repudianda, cùm*

& vi-

& vltrò defertur, & surgit ex meritis, virtutiq; resonat tanquam imago gloriæ. Neque vlli magis fœliciter populoribus se furoribus opposuisse leguntur, cùm vsu foret, quàm quorum illustris apud populum de virtute opinio, tantò faciliorem iis aditum dabat ad populares impetus compescendos. Talis olim D. Basilius, quem insigni multitudinis benevolentiâ floruisse, author est Nazianzenus, Orat. funebri in laudem Basilij. Idq; in non parvo eius periculo sub Modesto declaratum est. In quo ita incolumitatis suæ prouidit vir sanctus, vt antiquissimam tamen rationem haberet Regiæ intemeratissimæ authoritatis conseruandæ, popularique charitate ad populares ferociam reprimendam abuteretur, etsi in sui duntaxat capitis tutelam tum experrectam. Talis Apostolus ipse Paulus, nequid alios recenseam, quem & vt Angelum cælitem excepere Galatæ, vt Christum ipsum Iesum, & aliàs Lystrani, oratione præcipuè moti, quæ admirabili tum iucunditate tum vbertate resonans ab eius ore profluebat, diuinitatem ei, etsi impiè, adscripsere. Quòd si qui alieniore vsi sunt multitudine, etsi cætera innocentes gravesq; viri, ἀπαυθῆ πολλῇ συζῶντες, vt loquitur Theodoretus, tamen quantum detrimentum ex eo partium suarum passi sint, quamq; splendidâ benefaciendi opportunitate mulctati, Eunomius in exemplo est (ne alios nominem) apud eum quem iam dixi Theodoretum, πάλαι ἀκαίρῳ ἀπαχθανόμενος ἀβέλτερος τοῖς πολλοῖς, καὶ λίαν ἀνοήτοις, tandemq; Episcopatum sum deserere coactus, Samosatorum opinor, quòd non modo in nullam gratiam esset apud multitudinem, sed ab omnium vel aditu vel sermone repelleretur. Hoc perum quidem Gloucestrensem illum & Wigornensem Episcopum, & cætera virum optimum atque sanctissimum, & postea Martyrio sub Mariâ decoratum, tantâ vultus severitate fuisse fernat, vt cùm nescio quis consultor ad eum accederet super causâ religionis, specie viri deterritus, & tacitâ gravitate quadam obstupefactus, anteverterit miser se, infectoq; negotio domum redierit. Adeò nati sumus homines, & benevolentiâ allici, & oratione regi, & specie flecti atque moueri, & deferre opinioni, & fauere virtuti, & amabilitate ac dulcitudine ante omnia deliniri. Vt & Aristoteles

Lib. 4. c. 14.

Politic. ristoteles quodã loco, *Si tanto (inquit) quis pulchrior cæteris existat, quanto Deorum simulachra antistant humanis, haud dubitandum est quin suâ sponte ei imperium omnes deferant, seq; submittant. Quod, vt alia magis arcana in te Dei dona nunc omittam, (quia hæc quæ in promptu sunt tantùm attingo, quæq; patent omnibus, & à nemine quamuis Zoilo negari possunt, neq; tamen non testificantur de cæteris vberrimè, obnia pro reconditis opportunè spondẽtia) in Clementia quidẽ tua personâ relucet imprimis; ne miremur, si Ecclesiam in te vniuersam pellexeris, hoc diuino veneficio, addo etiã & Iesuitam nostrũ, quãvis improbũ, frænaris. Pœnitentiâ certè facti sui motus videtur, errorem deprecari, & de reliquo nihil admodum tam temerariũ ausurus. Sed quia attigi modò locum istum, est quiddam quod præterire hic nullo pacto debeo, in quo etiam desinam. Est omnino vox tua (Reuerendissime Pater) illa, nota multis, animadversa etiam & notata ab ijs omnibus ad quos peruenit, cùm Cleri orbitatem, & clarorum virorũ funera, pro concione aliquãdo deflens, ita diceres,* Grauem Ecclesiæ nostræ colaphum, morte primò D. Whitgifti Reuerendissimi Archiepiscopi impactum esse, mox alterum, versâ quasi genâ, exceptum, Honoratissimi Præsulis interitu D. Bancrofti. *Quo tempore cùm desperata propè res nostræ viderentur, maximum omninò fructum integritatis tuæ, totiusq; vitæ anteactæ, meo quidem iudicio, cepisti. cùm gemebunda concio, vtcunque se consolans,* in te tamen spem habere *diceret. Quod euentu comprobatum, Deum supplex veneror, & salutare tibi faxit, & Ecclesiæ Regnoq; huic perditissimum.*

Pag. 119. Parall.

Nec pluribus iam rogo, vt commendatam hanc qualemcunque lucubratiunculam meam habeas, quæ in Clementiæ *tuæ sinum, pariter cum authore ipso, gestit confugere. Et virtus tua, & titulus ex dedicatione delatus, pollicentur fore, & antiquior vtriusq; natura quædam, indolesq; tua. Quam deponere non potes, quæ te vltrò sequitur, quæ ab infantiâ tecum creuit, vt ait Ioh. Quæ qualis sit, superiore meâ oratione vtcunq; explicatum est.*

1

2 *Accedit tamen, quòd &* CHRISTI *causam defendo, Regum*

gum *quidem* Regis, *ſed non magis eminentiâ quadã, & honore, & Maieſtate, ſi rectè rẽ putamus, quàm fauore, & gratiâ patrocinioq; illius gentis ſpeciali.* Non *enim* erubeſcit vocari corũ, *vt egregiè Apoſtolus, aliâ in re. Et* CHRISTI *ergo, vt dixi, &* MAIESTATIS; *tum vniuerſè contra impios calcitrones & Monarchomachos, tum ſpeciatim Sereniſſimi noſtri Sanctiſſimiq;* IACOBI, *contra perditiſſimum rabulam, velliquias & peripſema odioſa illius contempta q; manûs. Initium à Pontifice, nec diu piger Cardinalis, Ieſuita ſtrenuus, i. Lalapet ad diripiendum ceruum procincti, ceruum aurorx, vt eſt inſcriptio Pſalmi. preſtantem illum quidem, vtinam & viuacem. Tandem, quod Rex ipſe, vateſq;, in alio Pſalmo,* Congregant ſe loripedes aduerſus me, lacerant, & non ſilent, *grex, fax, ſententia tota.*

Apoc. 1.

1

3 1 2

35. 15.

Hic etiam & intenditur & defenditur horrendum illud de Iuliano probrum,

Monſtrum informe, enorme, *& quæ cætera vel portentoſiſſimorũ ſolent eſſe Cyclopum. Quod quamvis* bis *locis aliis à nobis & repulſum, & pro viribus retortum, nunc etiam* tertiò *in authores redit, quicunq; partium harum peſtilentiſſimarum ſocietate implicantur.* QVÒD *vt Apoſtata ille cùm Iudaiſmum olim inſtauratum iret, non amore ſectæ, ſed odio Chriſti, adeoq; ſumptui nulli parceret, vt argenteis, & ferramentis, & verò etiam vaſculis, ἀμμαις, κοχλιδι, σκαπάναις, &c. (Theodoreti verba ſunt, lib. 3. hiſt. cap. 20.) ad templum Hieroſolymitanum reædificandum incumberet, nihil profecit, fruſtrà hæc omnia; primùm ἀνεμὸς, deinde πῦρ, cuncta conturbauit, diſſipauit, permiſcuit: atque* ventus *quidem gypſum comportatum diſperſit,* ignis *operas architectoſq; abſorpſit; ita nuper in exitiabili illâ ſuffoſſione Comitiali, in Acheronticis cuniculis, res ſe habuit, nec aliàs tacendis, & quòd omnem huic controverſiæ materiem præbuerant, meritò memorandis. Ab iis enim Iuramentum (non cruciamentum, ſed index, βασανὸς hoc ſenſu tantùm) à Iuramento Brenia, inde Apologia, inde cætera contra Apologiam tanto contentionum diſputata protelo. Sed*

1

1

1

2

3

4

1

2

vt capi dicere, de effossione nimis congruit Iuliano cum adversariis nostris, hoc primum; de restitutione abolitorum rituum satis etiam vicinum, de extinctione verò nominis Christiani, propè par.

Ecclesia tamen sua custos Christus Opt. Max. vetus hostis Iuliani, primum vento, i. indicio mirifico pulueres discussit, at quanto numero, quanto etiam sumptu, & labore, comportatos? Deinde igni atque flammâ haud sanè διηλάτῳ, qualis fortè Iulianicus, sed quo magis demiremur, ipsorum proprio, proditores afflauit, terruit, ambussit. Vt si velit, possit posthac etiam obstomachari de Iuliano Cardinalis, quamdiu volet, sed suo planè, non nostro, dedecore. 2 Quanquam ille quidem eo ipso quoq; Iulianus ipsus est, quo Iulianum Regi induit, vt alibi doceo. Nihil enim fermè tam proprium erat illi monstro ac prodigio, si Chrysostomum auscultamus, quàm condemnate inauditos, in quo iste excellit. Parumne hoc & Cres & res ipsa hic loquuntur? Nos quidem (inquit, Pag. 228. Parralleli, quo loco magis ingenuè quàm vsquam pratereà solet) multa pro certissimis publicè in viros principes iactata scimus, quæ ne colorem quidem vllum habebant veritatis. Ne colorem quidem. Et tamen, pro certissimis. Quale fortè Elizabetham Evangelistæ officio functam, aut quæ de Rege Serenissimo passim perfidi mentiuntur. Quem enim nisi Bellarminum ibi designari putemus? Aut eccui familiarior Andreas, à quo hauriat? Quod ipse viderit, qui simulat se scribere PRO BELLARMINO. Sed hac altera, vt dixi, ratio est, REVERENDISSIME PATER, altera νῦν δοῦς ἀγκύρα, vt scitè Pindarus, cur non ingratum hunc laborem meum Clementiæ tuæ fore sperem, qualemcunque illum quidem, vel Christi Domini, vel post Christum Dominum, Regiæ Serenissimæ Sacratissimaq; Maiestatis, Zelote tanto.

3 Adde verò post hac vtraq; iam, de Episcopo Elienſi, Reuerendo capite, cuius memini quanto studio mihi causam commendaris, inflammato quidem, in xysto tuo Lambethano, cùm vigilantissimus interim adesset D. Episcopus Londinensis, quem etiam

Homil. in Laz. 2. Mag.

Titulo Parall.

etiam recedentem, injectâ dextrâ, retinuisse te memini, conscium opinor futurum mandatorum tuorum. Equidem olim hanc magnitudinem animi tui pernôram, sed apparebat tamen illo die nescio quo modo clariùs, ac nec tibi, nec illi, innocentiâ vestrâ diutiùs jucundam fore constabat, (cujus tamen vel dulcissima est ad perfruendum conscientia) nisi qua falsò in collegam essent collata probra propulsarentur, recuperaretq; existimationem suam, non imminutam, sed tentatam, à nequissimo bipedum, vir & aliàs maximus, continentissimus, doctissimus, & nuper etiam Christi stigmate *nobilis. Eò abruptiùs hic desino, quòd & modum excessi, & ne sequens quidem oratio à Clementia tuâ aliena est, imò in Clementia tua tutelâ potissimùm acquiescit.*

Longùm te florentem, & ad summa tendentem, CHRISTVS OPTIMVS MAXIMVS, *cui servis in spiritu, tueatur & amplificet, Illustrissime Domine, religiosissime Antistes, currus & auriga Israëlis Britannici. Datum, Cantabrigiæ, è* Collegio Regali.

Summa rerum potiorum, de quibus re-

ſpondetur EUDAEMON-IOHANNI, hoc libro;
ne longior pervolutatio remoretur
Lectorem.

DE *conuerſione Gentis noſtræ ad fidem, ante Auguſt. Mon.* p. 58.

De Canonizatione Pontificiâ, p. 59.

De anaritia Sedis Romanæ, p. 62.

De Henrico quarto Galliarum Rege, in perſonâ Legati contumelioſè habito, p. 68.

De Epiſtola Gelaſij ad Anaſtaſium Imperatorem, maximè quoad primatum, p. 83. &c.

De Gregorio & Maximo, in eandem ſententiam, p. 90.

De lenitate legum noſtrarum in Recuſantes, contra Breuiculi *mendacia*, p. 98. &c. *ſatis latè.*

De Concilio
- *Sardicenſi*, p. 134.
- *Chalcedonenſi*, p. 145.
- *Conſtantinopolitano*, p. 193.
- *Lateranenſi*, p. 198.

De tranſlatione Imperij, p. 206.

De Gregorio ſecundo, & Leone Iſaurico, Childerico, & Guilielmo Conqueſtore, &c. p. 207, 208. &c.

Exhumatio Henrici quarti per Papam, p. 209.

Nex Philippi. p. 212. *Frederici*, p. 213.

Auguſtini Monachi inſolentia, & ſtrages, quas dedit in Angliâ, p. 216.

Flagellatio Henrici secundi Angliæ Regis Monachorum manu, Papæ instinctu, p.222.
Damnatio Iohannis Tanquerelli in Gallijs, propter falsam assertionem de temporali Papæ potestate, p.228.
De Florentino Iacobo, & Thoma Blancio, idem errantibus, nec multò secus habitis, p.234.
Henricus quartus Galliæ Rex, ad angustias redactus, cùm primùm Papissaret, p.237.
Sedunum: pro Sedano, & tumultus pro pace, contumacia pro pietate, p.242.&c.
Galli reformati à perduellione alieni, p.246.
Maxima parricida, quicquid obnitatur & deprecetur Endæmon-Iohannes, p.250.
Amor Regis Henrici erga Societatem, qualis, p.254 &c.
Aliæ res Anglicæ, p.256.
De Paulo quarto & D. Elizabethâ, p.261.
Bellarminus, nec Rex Iacobus, Iuliamssat, p.263.&c.
Iterum de Elizabetha, p.265.
Disputatio sub eâdem, p.273.
Diluuntur inanissima & dementissima exceptiones contra Acta publica, & Episcopi narrationem, circa Garnettum, & pulverarios, p.275.&c.
Almaini, Parisienses, Maioris &c. indicia de potestate Pontificis ad deponendum, p.284.
Vasquius & Comitolus, p.301.&c.
Paulum non inferiorem fuisse Petro, dissertatio, p.305.
De fiduciâ meritorum, p.318.
Pauli ad Cæsarem appellatio, qualis, p.360.&c.
Exauctoratio Principis infidelis, per sententiam Ecclesiæ, verè παράδοξος, p.364.
Canon Hadrianus *non fictus*, p.387.
Vnctus domini *Rex solus*, p.392, 393.&c. *latiùs*.
Abiatharem deposuit Salomon, vt Rex ordinarius; & de ratione prophetiæ, p.398.&c.
Primatus Regius nec proditus ab Episcopo, & porrò defensus

contra Endæmon-Iohannem, p.404.&c.
Auctoritatem in Ecclesiam non perire Principi infideli, nisi abusione, & suâ culpâ, p.414.
Bonauentura psalterium, & Cretis conuicium in Regem Serenissimum, p.419.
Amarias & Zabadias, p.420.
Rex est caput tribuum, etiam Leviticæ, p.424.
Tiberius si fidelis, quid tandem? &, An caput Ecclesiæ, viuente Christo, p.433.

VT intelligat bonus Lector, quâ ſpe ducamur, qui quid cum Typographis commune habemus, placuit *errata* ſic demonſtrare. Libentiùs etiam à veſtibulo, vt antè ſanetur vulnus quàm ſentiatur.

Pag.	lin.			
6	21	Pontificiatus		Pontificatus
6	25	(quod		quod
42	14	multa poſt		multò poſt
70	17	ne illæ		næ ille
77	6	dicuntur		ducuntur
133	4	*quod*		*quid*
137	31	eſſet		eſſent
177	29	ſexcentum		ſexcenti
244	1	ac primò		nec priùs
314	7	vtbis		vtbs
253	33	fugentiſſimus	lege	fugientiſſimus
257	4	directâ		indirectâ
257	5	indirectâ		directâ
296	30	quòd(bis)		quod
297	35	eaq;		ea
320	23	cælebem		cælibem
324	14	Dialectorum		Dialecticorum
335	2	retarderet		retardaret
352	1	Hxbraicè		Hebraicè
359	20	Epiſtolâ		Epiſtolam
378	9	requirentur		requirerentur
422	14	incompetentius		incompetentius
422	4	quòd		quod
423	16	ſumus		ſimus

In margine.

157	5	Apoſtoli		Apoſtolorum
246	11	*deponeret*	*lege*	*Rex deponeret.*
344	2	Alexandrino		Alexandro

Nam ptopria pro propria, ſpendoris pro ſplendoris, taquam pro tanquam, & cætera, minutiora ſunt, nec Lectorem morari nata. Illud vereor, ne grauiora nos aliqua lateant. Semper enim rimantibus plura occurrebant.

ASSERTIO TORTVRAE TORTI
ADVERSVS PARALLELVM ANDREAE EUDAEMONO-IOHANNIS Ieſuitæ, in quinq; partes tributa.

Pars prima reſpondens Præfationibus.

INſtituenti mihi paucis librum illum refutare, qui ab Andrea Eudæmono-Iohanne Ieſuita ſcriptus, nec obſcurè Regiam Sereniſſimam Maieſtatem oppugnat, & multò tetriùs Epiſcopum Elienſem lacerat, perdifficilis ſanè & permoleſta cogitatio ſe obiecit. Nam & lenitatem eam tueri quam natura mihi attribuit, quæq; imprimis controverſię diſceptandæ eſt vtilis, cum fœdiſſima convitia locis omnibus circumſonarent, vel vt poſſem, verebar, vel vt deceret; & rurſum *bacchas* imitari, ac de laude virulentiæ, tanquam in foro legitimo, cum adverſario contendere, nec Eccleſiæ rationibus opportunù videbatur, peralienumq; erat vel ſtudio vel ingenio meo. Nec me tam ratio illa terrebat, quæ ab iſtis hodie initur, vt optimum quenq; virum peſſimè mulctent, quaſi probri deinceps metu de veritatis defendendæ conatu nos depulſuri, quàm quòd operam pigeret tam malè ponere. Præclarè enim D. Chryſoſtomus, ad Theodorum lapſum lib. 2. Τὸν ἀδελφὸν μετὰ πολλῆς

θυμέλαι, ἐς τὸ προσέχειν δὲ διεφθαρμένοι τοῖς, ὅταν μὲ προτιμᾷ ἑαυτὸν πιστικὸς ἦ, ὅτι ἐν ὠφελείᾳ τέτο ποιῇ. Ωφέλειαν puta non illam quam Ieſuita nobis meminit, quam nuſquam non occinit, vt ad pecuniam & illas ſpes ſtudia noſtra colliment, à quo me vitæ meæ rationes, inſtitutaq; ſatis vindicant, (videat ille quid Poſſevino ſuo reſpondeat, qui nomine Pontificis, Epiſcopatus, & Abbatias, ac *forte etiam*, ſic enim loquitur, *Cardinalatum* promittit ijs, quotquot cęteris diligentiùs Papatum excoluerint) ſed quæ ſanctò aliquo fine, conſilioq; laudabili, & ſalutis fructu non pœnitendo continetur. Quorum nihil in conuiciorum reciprocatione ineſt. Ego verò poſt bene longam deliberationē me collegi, nec recuſaui illud aggredi, quod cum ab aliquo omnino noſtro perficiendum videretur, etſi in non parua eorum copia, qui longe hoc ornatius facere poſſent ſi vellent, non admodum curabam quanto meo cum periculo, dummodò & cauſam tuerer, & iracundiā vincerem vel repugnantē. In quo neſcio an quod voluerim conſecutus ſim, ſed elaboraui certe Lector, ac ſicubi fortè iuſto plus incalui, perfregit propoſitum meum importunitas aduerſarij, qualis vt arbitror nemo erit, & vt confirmare poſſum, nemo certè fuit.

Bibliothec. l. 6. c. 4.

CAP. I.

QUOD EGO ne temerè aut ad inuidiam conflandam malitioſè dixiſſe videar, age ſane à Præfatione tua initium ducamus Eudæmon-Iohannes, quam tu geminam præmittis violentiſſimo illi libello tuo, ſed certè vaniſſimo, quem *Parallelum* inſcripſiſti *Torterus & Torti*. Credo verò quòd *torqueri* tu præſertim te ſenſeris, nec dubium quin *ante tempus* homo prouidentiſſimus, tam clarâ veritatis face iniectâ, & in oculos ingeſtâ, necubi te à *maioribus tuis* degenerare exiſtimemus. Quinetiam floſculo redimiſti, ſiue lemniſco quodam, ex S. Cypriani monumentis petito, *Stetere Torti torquentibus fortiores*. Quid mirum? Nam neque quicquam tam cruciabile eſt quàm ratio ſalutaris inſtillata vecordibus, & nos facilè confitemur, noſtra, huius tantùm

Lib. 2. Ep. 6.

generis,

generis,(id eſt, Scholaſtici & literati eſſe *tormenta*, quibus ad expugnandum errorem vtimur. Vobis alia ſuppetunt, à *Phalaride* illa quidem,non ab *Ariſtarcho*. Et quò magis adhuc intelligas quid interſit,veſter *pulvis* ipſe *tormentarius eſt* (res hoc nuper declarauit) noſtra *tormenta* non niſi *ſchola & pulveris* ſunt. *Aculeis* inquam non *equuleis* experimur. Non ſolemus *fidiculis* ſuadere *fidem*. Vt etiamſi vera ſit ſententia illa quâ te effers tam magnificè in principio libri tui, quâ venditas, (quanquam rapta per nefas à ſanctο Cypriano,& à diuini viri reliquijs ad tuos nefarios vſus deflexa) nos tamen nihil lædat, vobis valeat ad dedecus; quos(obſurdeſcentes ad rationes noſtras tanquam aſpides ad cantum, & patientiſſimam lenitatem noſtram, quâ iamdiu vſi ſumus,prę veſtrâ barbarie ferociâq; ridentes,) *crudelitatis* in altero,in altero *ſtuporis* conuictos tenet.

Sed inſpecturo mihi in Præfationes tuas, & quædam inde pace tuâ ad calculos reuocaturo, ne nulli niſi Romanenſium tribunali te obnoxium putes, quia is ſtylus eſſe ſolet gregis veſtri,placet & cætera locis quidem ſuis,& ante omnia, vnum illud crimen excerpere, quo Sacratiſſimæ Maieſtati ſuæ labem creare ſtudes,(occultè tu quidem,& quaſi aliud agens, ac potius bonam eius gratiam ex conſilio venans,ſed creare vis tamen veterator & plane) dum Regium ſcribendi ſtudium reprehendis,& alienum illo culmine Maieſtateq; cenſes, quicquid hoc in genere tam fœlicibus nuper auſpicijs, & ſempiternâ ſuâ gloriâ, elucubrauit. Quaſi illum & naturâ ſuâ propenſum ad decus, & iam quadrigis vehentem ad immortalem laudem, retrahere echeneide illa iectâ velis,*Fauе tibi*. Quo loco quid aliud tibi occinam ô Cacodæmon,quàm quod Dominus & Seruator noſter in aliâ causâ, ſed tamen & Apoſtolo ſuo, & nihil admodum commune habenti cum *furijs*, *Retrogredere Satana,non enim ſapis quæ dei ſunt*; & liceret quidem hoc mihi filum longiùs contexere. Sed nihil eſt tam vulgare quàm *Dæmon Eudæmon*,& malus genius *in Angelum lucis transfiguratus*.

Omnia iudicio Romanæ Eccleſiæ ſubiecta ſunto.

Matth.16.

Ergonè tibi tenebrio perijſſe quid videtur, de Regij nominis ſplendore, aut Maieſtas illa vel tantulum offuſcata, ex quo Pontificis impetus intentatos retudit, & defenſor *fidei* defenſorem etiam egit *fidelitatis* Chriſtianæ, ac non ſolito glorioſior & ſpectabilior eniteſcere?

Aeneid. *Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vndâ,*

& quæ cætera apud Poetam ſunt; ſi tamen tua grauitas facultatem nobis dat, ſi *indulgentiam* inquam priſce Cato, libandi paululum ex Ethnicis ſcriptoribus, & non penitus damnandi parentes noſtros, aut morem adeo ipſum, & ſcholarum omnium, & generis humani, retinendiq; quaſi colorem aliquem literarum earum & ſuccum, quibus tincti ſumus pueri; de qua tota cauſa videro poſterius. Nunc hoc ago. Etſi is animus eſt Regi noſtro, chariſſimo deo capiti, vt expoliare ſe non reformidet, & penitus exuere, dummodo deo ſuus honos illibatus conſtet, quaſi illud dicat cum Dauide, *Ero vilior & vilior in oculis meis* (quicquid hæc Ieſuitica Michol cachinnetur, nec *machinantem* enim perhorrui, nec *cachinnantem* erubeſcam) & addamus eodem ex eiuſdem ore, *Qui Clementis* 8. *fruſtrata perfidia, me domumq; patris mei evexit ad ſolium, vos cum corrogatis veſtris intruſoribus exploſit*; Etſi igitur hic ſit ſenſus Regi optimo ſicut dixi, & poſt natos homines relligioſiſſimo, vt priuatam ſuam gloriam non penſi faciat præ diuinâ, eamq; ceu pignus à ſe libenter abijciat, vt illi alteri ſua conſtet incolumitas atque integritas, cui ſoli propagandæ ſe natum meminit & exaltatum: tamen ſcire ex te velim ô noſter Sapiens, (eſt enim & ex *ſapientia* conflatum nomen) ſeriòne iſta dicas an ſimules, & Regio non tam conſulas honori quàm invideas, (quem auctiorem his diuinis pietatis ſpeciminibus non imminutiorem perſpicis) Pontificiam tarditatem ſic conuictam doleas, qui ne γῆν quidem ad omnia niſi forte *per-breve*, laruam & leoninam incuſatori detractam, Principes ad recuperandum ius ſuum claſſico concitatos, deniq; regiâ cuſpide, quare ſecta illa caduca *Babylonis tuæ* mœnia, omni-

Δαίμων.

no

no(vt eſt ollæ veſtræ fumus)iam *cœtilia*, indies etiam ex eo magis magiſq; ruitura? Nec enim malè Fulgentius, quaſi Regium hunc laborem longe ante & proſpiciens, & ſine hæſitatione dilaudans, *Conuerſio* (inquit) *potentium ſæculi multum militat acquiſitionibus Chriſti.* Nos probamus.

Ad Theodorum Senatorem epiſt. 6.

Sed operæ pretium eſt attendere, quàm chara ſit Ieſuitis exiſtimatio Regum, vita videlicet viliſſima, & quanto ſtudio ducantur eorum *authoritatis* conſeruandæ, quorum alioqui non *poteſtatem* ſolùm impunè proterere, ſed & *ingulo* familiariſſimè ſolent ludere. Credamus (inquit ille in Quintiana) Nævium eius *auribus* peperciſſe, cuius *capiti* non parcebat. Quod eodem modo de iſtis dici poteſt. Pertæſi enim cladium, & *linguam præ dolore manducantes*, id ſe moleſtè ferre ſimulant, Regiam Maieſtatem *concertationibus attritam*, cum non alia de cauſa, nec funeſtiore odio eum proſequantur, quàm quòd triumphet de periculis, & nulli aduerſariorum ſuccumbat iniuriæ. Sed quia te Ciceronis tam colentem habemus, vt non modò arbitrum agas & virgulam ſumas, eumq; cum Terentio & Plauto comparans, ita iſtos deprimas, vt illum *ſtyli normam* ſine controverſia renuncies (in quo tamen Critici tecum non omnes fortaſſe ſentient, teq; ex iure manu conſertum vocabunt) verumetiam, quod puerile eſt, Epiſcopum cauilleris, (at qualem virum? quem tu diſrumperis cum eloquentem cogitas, cuius minima pars laudum eſt nulli mortalium de *Latinitate* ſupplicare, ne ipſi quidem illi Λατεινῳ veſtro) quòd ſuo more ſcribat potius quàm tuo; age finge te Regem verbis ijs affari, quibus vir videlicet ſapiens, Cæſarem generum ſuum affatur, in eius quem dixi Piſoniana, vt triumphi cupiditatem ei ſi fieri poſſit eripiat, & à nugis, vt ille putat, ad grauiora quædam ſtudia traducat. Dices enim vt es homo ad perſuadendum concinnus, politus è ſchola; Quid eſt Rex Sereniſſime, quòd tu oblitus deliciarum earum quas tua tibi affatim fortuna ſuppeditat, & inuictus blandimentis, & excludens ſenſibus omnem propè ſuauitatem, ad tam

Irenæus.

triſtia conſilia te demittis, & non modò pietatem ipſe impenſiùs colis, ſed & populis eandem quàm ſtudioſiſſimè commendas, omneſq; in ea re curas configis, nec verò tibi ſatisfacis, niſi non modò eam legibus diſciplinaq; munias inter tuos, verumetiam contra aduerſarios ſtylo propugnes? Nam noſtræ quidem illæ ſunt ſiue artes ſiue partes, Τὰς ἀντιλογούσας ἐλέγχειν, vt ait author ad eum ipſum quem in *Creta* relinquerat, ſi forte διϊστεῖσθαι, & fumantes Eccleſiæ controverſias reſtinguere; ſed præcipuè Pontificum, qui quaſi ad clavum religionis moderatores ſedent. Vobis *arma gladiumq́*, commiſit Apoſtolus, quæ nec temerè deſerere, nec tamen niſi nutu noſtro tractare debetis.

Tit. 1.

Rom. 13.

Non facies fidem ſcilicet cum hæc diſputabis, ac præſertim de Pontifice tuo, qui & olim non ſemel, ſed nunquam opinor turpius quàm in Concilio *Bari* (quod contra Græcos,) obmutuit, magis etiam tum magiſq; ſe *baronem* declaraturus, niſi in noſtræ gentis Præſulem totum onus conuertiſſet. Cui tantopere confiſus eſt iam inde ab initio, vt & *Patrem & Magiſtrum* conſalutarit, & illa addiderit, *Nunc opus ſcientiæ tua, nunc opus eloquentiæ tuæ opera, Anſelme Anglorum Archiepiſcope, vbi es?* Poſtremò etiam quaſi non parua Pontificiatus ſui parte ei concedens, *Includamus hunc* (inquit) *in orbem noſtrum tanquam alterius orbis Papam.* Niſi vero plus neruorum ſit in hodiernis Pontificibus, & egelidus ille atq; effætus nunc demum ſanguis recaluerit (quod tamen non apparet in *Paulo quinto*, qui poſtquam ſemel ei os à Rege verberatum eſt, nunquam deinde ne proſpexit quidem. *Gladium* autem quòd ab Apoſtolo commiſſum Regi eſſe dicis, & rectè quidem: ſed non nudum ferrum, verum *iuridicum gladium* vt ait Auguſtinus, id eſt, ſummam poteſtatem & plane *coactiuam*, vt vos Ieſuitæ loqui ſoletis, iuris dicundi, rerumq; conſtituendarum per vniuerſum Regnum ſuum. Alioqui Ciceronis iocus redeat, *Quis alligauit generum meum gladio?* ſiquidem Rex non ſuo ſed alieno tantùm arbitrio gladium ſtringeret, & Pontificis *armi-*

Rogerus Houeden. in Willelmo Iuniore & Guilelmus Malmesb. de geſtis Pontif. Angl. l. 1.

l. 1. contra epiſt. Parmeniani. c. 8.

ger,

ger, Saul ipſe foret. Sed nec verè credo ibidem negaret Apoſtolus, *frustra* geſtari à Rege gladium, ſi non tam eo accinctus, quàm ad eum ipſum religatus, *oneris* potius cauſa quàm *honoris* geſtaret, aliorum commodo educendum non ſuo. Iam ſi illud inſcitum, Dauidem, luculentioribus quàm pro modulo ſuo armis, fatigatum & gemebundum, ad gigantem aggredi: quid Regem certare cum cohorte vitiorum, quorum vtiq; expugnator à Deo conſtitutus eſt, quæcunque aut rempublicam aut Eccleſiam infeſtant (nec enim aut *hæreſes* excipit Auguſtinus, aut Apoſtolus non connumerat inter opera carnis, quam ſaltem ei *carnem* non negabitis ſubiectam, & ad eius curationem propriè pertinere, niſi longius etiam quàm Donatiſtæ ab officio reſiliatis) certare inquam cum hac excetra, laborantem & oppreſſum inſtructu impari? Sed illud eſt palmarium, quòd ita fines diſcernitis, metatores æquiſſimi, duarum harum poteſtatum, vt Regi gladium, vobis ſtylum vindicetis, nihil ei commune cum literarum monumentis, ac præcipuè ſacratum eſſe iubeatis. In quo quanquam illud planiſſimè retexitis, *Intelligite Reges, & ſapite iam vos qui iudicatis terram* (*terram* vtiq; & Chriſtianam, & quàm late ſe porrigunt ditionis veſtræ fines, quò maiore acumine opus eſt ad hæc tanta, eruditione maiore) tamen nihil eſt tam ridiculum quàm vos nihil compenſare, nihil mutuò ignoſcere, & cum paſſim iam Ieſuitæ *ſicam* vibretis, Regibus nihilominus *commentarium* excutere.

Mirum ergo ni te conuertas ad alteram ſcholam, de *Maieſtatis detrimento*, & *ieiunâ ſcribendi gloriâ* diſſeras. Quid tandem habet hæc palæſtra in ſe magni? quid Pontifici, quid Cardinali ſigillatim reſpondiſſe? quid admotas ab vtroq; machinas difficiſſe tam ſcitè? de Scriptura, de antiquitate, de noticia omnium temporum, nihil ne doctis quidem & in eo ſtudio contritis vitis omninò ceſſiſſe? aſſeruiſſe ius ſuum, & Chriſtianos poſtremò principes, idem vti facerent, non indiligenter cohortatum eſſe? Leuia ſunt iſta

ſa inuſ.

Sæpius in Creſconium & Gaudentium & Petilianum & alibi. Gal. 5. 20.

Pſal. 2.

mihi

mihi crede, & quæ gratiam non habent, niſi forte inter noſtros, id eſt, Antiſtites facultatis ipſius atq; artis, vix autem vel honeſtatem, cum à Rege aſſumuntur, quantauis alioqui dexteritate polleat. Quid quòd ſæpe etiam non paruæ infamiæ vicina ſunt? *Teritur enim altercatione ipſa reuerentia, neq; vllus eſt reſpectus imperij vbi par eſt conditio litigandi.* Et liceret quidem paulo longiùs hanc perſonam producere, *Quin tu nos vides:* dicerent hoc præclarè Avenionenſes illi tui, Pontifices dico Romanos, qui in roſam abiecti, & Gallicana acina inebriati, tam diu in hortulis peregrè philoſophati ſunt, nec magis de gloria; ſed quid gloriam dico? non magis de Sede ſua, de acropoli ipſa religionis pietatiſq; næminerant, quàm de patria repetenda Vlyſſei milites loto decerpta, aut iam aſcripti ſuillibus ſocij. Quanquam illi quid ſic feriantes Epicurei patres, alienum laborem non incutarent fortaſſe, niſi vſq; adeo ſybaritæ eſſent, ipſo vt aſpectu contentionis offenderentur; qualis ille eſt apud Senecam, qui nauſeat ex inopinato, & puerum ſummouet, & vetat *ſe præſente opus fieri:* vos poſtquam rectè ipſi facere deſijſtis, vltro etiam alijs crimini datis, & ineptiæ iam cenſentur, ſi quis heros, aut heroico vir ſpiritu præditus, vltra apicem ſuum conſcendat induſtriâ; turpiuſq; adeò habetur, Regem *de officio* librum conſcribere, quamvis laceſſitum, quamvis ab adverſariorum cuniculis metuentem, quibus ciuium conſtantiam occultè labefactant, quàm Pontificem oblangueſcere, & aut *cucurbitas pingere*, aut in gremijs meretricum *mentum mentemq;* deponere.

Verba Iudæ non-Iob.

Plat. de vitis Pontifi. Clem 5. Anno 1305. Anno 72. & ſqq.

Sed vt hunc Phormionem tandem ſic dimittamus Regibus de Maieſtate præcepta decantantem, & aliò potius orationem conuertamus: Quæro ex eo primum, ſatin' ſanus hæc ſcripſerit de *detrimento honoris Regij etiamſi victor diſcedat*, &, *quàm indecorum ei exiſtat è Regali faſtigio ad reliquorum hominum conditionem concertatione ſe demittere*, cum ſciat Cardinalem illum paulo ante collegam ſuũ, nunc certe & ſentiendi & ſcribendi magiſtrum, *Pontificiam* dignitatem,

ſed

ſed quid *Pontificiam* dico? *Cardinalitiam* imo ita Regiæ æquiparare per omnia, ne dicam anteponere, vt demiſſio hic quidem nulla, horum hominum iudicijs, ſomniari potuerit, nec detrimentum proinde vllum ſplendoris Regij: niſi aut nebulo iſte præceps, & ambitiâ elatus, neſcierit hoc quidem loco quid ſcripſerit, aut fortaſſe etiam diſſentiat à *Canone* ſuo, à Cardinali, quem locis omnibus ſequitur, & indubitatam Principum ὑπεροχὴν agnoſcat, vt Petrus, ut Paulus, contrà quàm Bellarminus, aut deniq; qualemcunq; alioqui prærogatiuam illorum eſſe putet, quamdiu quod ſe dignum eſt faciant, nunc tamen aliter ſe rem habere, & Pontificem *ſcelere*, Cardinalem *imperitiâ* locum ſuum prodidiſſe exiſtimet.

1. Pet. 2. 17. τὸν Βασιλέα ὡς ὑπερέχοντα. Βασιλεὺς ὁ ὑπερέχων

Nam quid ego illud dicam, ſi Clemens ſeptimus, aut quiſquis ille fuit Romanorum Pontificum, Henrico nuper octauo Regis noſtri Prædeceſſori, ſed neque ſoli neq; primario, vt iſti inſinuant, eam gratiam habuit de Monacho refutato, cui neſcio quid fuliginis ex cella adhæſerat, vt inſigni titulo, nec dubium quin efficaci ad hunc vſque diem, quicquid ille tum ſpectarit, & ipſum & poſteros Angliæ Reges decorarit, cur vni Iacobo illud turpe ſit, ac non potius multo magis honorificum ſplendidumq; & Pontificem & Cardinalem copulatos contudiſſe, longè alijs præſertim armis, alijſq; præſidijs longè luculentioribus, ſcientiarum ac doctrinæ abundanti, quàm aut ille quem iam dixi, aut quiſquam adhuc principum Chriſtianorum per Europam, & non impetu in alienam cauſam ruenti, ſed reſiſtenti aduerſario intra proprios fines, & geminum perfidiæ bellum propulſanti, & *negotium ſuum* cum *negotio dei ſui*, id eſt, *fidem* atq; *obedientiam* pariter ordinanti? Nonne tantò potior eſt Iacobi Regis cauſa quàm Henrici, quòd quem ille acceperat *titulum* iſte impleuit, & quod ille ſine exemplo fortaſſe fecerat, iſte poſt laudatam & à Pontifice induſtriam Prædeceſſoris ſui aggreſſus eſt? Niſi ex eo metiantur hanc quam dicunt infamiam, quòd vtut Rex cum primipilis ſo-

Succeſſor Henrici octaui. Sæpe ſic Bellarm.

lis signa contulerit, Papa & Cardinali, vt qui soli authores huius incendij fuerint, Papa quidem Papanis suis in vniuersum interdicendo ne Fidelitatem sponderent, Cardinalis Blackuellum nominatim arguendo de Iuramento susceptо, tamen passim iam & à quisquilijs in eum scribitur,& nomen affectatur à vappis & purgamentis,Becanis, alijsq; tanquam equidem ex incensione pulcherrimi templi, sic
D. 1. Regij monumenti disturbatione. Δυσένων δ' ἐστι παῖδες ἰμῶ μίτυ ἀρτίωσιν, ut ait ille. Sed hoc Pontificis flagitium est, non reuocare calones suos à tanta audacia, & campi quasi legem seruare aliquam, quam Rex quidem diligentissimè in toto congressu obseruauit. Sacra interim Maiestas in tuto est, & obluctatorem despicit,nec magis lædi-tur conspiratione perditorum, quàm vel sol vaporibus lumen suum amittit, vel spiritus ipse sanctus & alma veritas obsolescunt, contra quas quotidiè rebellari videmus, nec tamen profici. Dedit hoc priuilegium Maiestati Deus, vt nullis aduer sariorum inquinaretur sordibus, & contra profanos litigatores (quicquid Creta χρυσομλογῶ) *reuerentiam Imperij* saluam tueretur. Illa laurus æterna est, nec fulminibus deflagrat (anathemata mihi cogita & à Pontifice contorta) nedum evanidis & *ex pelui* istis. Tu tamen dehinc abstine ò lumen Israelis, nec sæpius tui copiam in acie facito,nec margaritum iacito ante porcos & ingratos. Hæc
Luc 14. vox, hoc votum est nostrùm omnium, nec eorum duntaxat quos iste refert: *suadeant* alij (quanquam nemo te fœliciùs) tu *coge intrare*.

Atq; ita cum Maiestatem primo loco defenderim, cuius fateor sum studio non vulgari incitatus, & non nudè propositum (neque enim id sustinebat frons Iesuitæ, ne perfricta quidem) sed tamen callidè ab eo intextum crimen remouerim, crimen & quâ virtute non redimendum? venio deinceps ad reliquam Præfationum harum excutiendam supellectilem.

RELI-

CAP. 2.

RELIQVA ſunt crimina Reuerendi Antiſtitis, eaq; pergrauia, quòd primam duntaxat literam nominis ſui adſcripſerit, quòd Plautum potius quàm Ciceronem ſapiat, tum ſiqua ſunt alia eiuſdem generis. Vt intelligas quantâ penuriâ laborent hi homines veræ ſolidæq; reprehenſionis, qui quidem tam friuola conſectantur. Famelici accuſatores, Scyllæi canes, & roſtra iam credo ipſa ſubſelliaq; manſuri, vt eſt apud tuũ, niſi aliquid occurrat quod eſuriem ſatiet. Quanquam Clariſſimus Elienſis nihil fecit alienum more noſtro, dum ſe non aliter authorem expreſſit libri ſui; libri quem aſſerere ſibi quiſq; velit, nemo niſi fugientiſſimus gloriæ abiudicare. Vt verendum ſit ne præuaricatorem nobis appoſuiſſe videamur, qui nos quòd onerare iuſto crimine nullo potuerit, nunc etiam laude nec ſperatâ exornet. Sed Italis *loqui* licet *more ſuo*, credo etiam & *facere*, quibus ſatis eſt ad omnia vnus ille clypeus, *Habemus conſuetudinem*; nobis nihil conceditur quantumvis iuſtum, quantumvis probum. Eſt enim hæc ducta ratio à maioribus noſtris, eaq; vel ſapientiſſimè vt mihi videtur informata, vt qui ad eminentem aliquem locum, ac præcipuè ad Epiſcopatum, in Eccleſia dei promouentur, nomen ſuum gentile deponant, quaſi obliti conſanguinitatis, & communes omnium dehinc parentes per diœceſin ſuam conſtituti. Sicut legimus in Pſalmo, *Obliniſcere iam deinceps domus patris tui:* &, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, Heb. 7. quod neſcio quis è veſtris huc retulit, omniumq; Eccleſiaſticorum commune fecit. Et Leuitarum denique ea laus fuit, referente Moſe, quòd in die zeli ſui, omnem cognationem ex animo deleuerint, nec patrem, nec fratrem, nec aliquod naturæ fœdus agnouerint. Præclara ſine dubio laus, & Eccleſiaſticis viris omnibus, ſed imprimis Epiſcopis, digniſſima. Quam quò minùs in Romanis ſuis Ieſuita obſeruarat, quibus *cura earum* eſt, vt nepotes & pronepotes ſuos (ne quid dicam de nothis) illicò ad opulentiſſimas quaſque Præfecturas euehant, eò magis in Eli-

Parall. p. 23.

Sebaſtianus Gomezius in Pſal. 31. v. 13. ſect. 7.

Deut 33 9.

ensi stupidus miratur, ob eandemq; credo causam, *me'lancholicum* eum appellat ac *prope maniacum*, p. 10.: Elienſis autem quò diligentius eam in omni vita ſemper coluit, eo iuſtius retinere illum ſtyli tenorem potuit, & qui à *norma* antiquitatis haud vnquam temerè deflexerat, ab eius ne *forma* quidem ſimulachroq; diſcedere. Memoriæ proditum eſt Innocentium quartum (is eſt Sinibaldus) vlulantibus conſanguineis ſuis, vt mos eſt gentis (inquit hiſtoricus) cum in extremis iacentem eum offenderent, ſuſtuliſſe oculos in morte natantes (verſor enim perlibenter in verbis viri diſertiſſimi, popularis noſtri) & in hunc modum affatum eſſe: *Quid plangitis miſeri? nonne vos diuites relinquo? quid amplius exigitis?* Vt ſcias & quid in vita enixius ſtuduerit, Pontifex incorruptus, & quâ demum conſolatione ſe moriens ſuſtentarit. Nec illa iam addo quæ ſequuntur apud Matthæum, *Et hæc dicens, diſtrictum dei iudicium ſubituram animam exhalauit.* Illud reminiſcor de S. Paulo in Actis ad fratres conuerſo, quem circumſtantes plorabant, *Quid facitis flentes & confringentes cor meum? Ego enim non vinciri ſolum ſed & occidi paratus ſum pro nomine D. Ieſu.* Quæ duæ allocutiones, in non diſſimili argumento, lamentantium propinquorum, videmus profectò quàm immane diſcrepent.

Matth. Paris.

Nonne verò æquius hic locum habeant Hieronymi iam illa ad Ruſticum Monachum, *Vidimus nuper & planximus, Craſi opes vnius morte deprehenſas, vrbiſq; ſtipes, quaſi in vſus pauperum congregatas, ſtirpi & poſteris derelictas. Tunc ferrum quod latebat in profundo, ſupernatauit aquæ, & inter palmarum arbores, myrrhæ amaritudo monſtrata eſt*; quàm quod iſte ex eo recitat, *de ſacerdotibus dei, Comœdias legentibus* (id enim alterum fuit caput accuſationis) *& amatoria neſcio quæ Bucolicorum verſuum verba cantantibus?* Multa verò *amatoria* in librum ſuum incluſit Epiſcopus, quibus vos *demulceret*, & meritò iam dicat de Galatea Polyphemus —καὶ φίλα βάλλει. Vſque adeone delirare &

Theocrit.

ſibi

ſibi placere poſt hæc omnia Pontificem, vt non intelligat ſe ab Epiſcopo lethali plaga affectum eſſe, ſed in inſaniam illam erumpat, & à Comœdijs exploſam, quas tu derides.

Nunquam ædipol fui vſquam, quin me omnes amarent plurimum!

Vt id nunc taceam, non eſſe eiuſdem hominis & *torturas* obijcere aduerſario ſuo, & mox rurſus *amatorias amœnitates*, niſi aut veſtra malitia cuncta confundat, vt illum traducatis, aut tanta ſit præſtantia elegantiſſimi viri, vt omnem perfectionem in ſe deuinciat, & in diſpari genere pari quadam genij bonitate dominetur. Sed noneſt (inquis) ferenda in Epiſcopo & Theologo nimia familiaritas Comicorum poetarum. Quaſi Comicus poeta non fuerit Menander, ex quo ſanctiſſimam ſententiam citat Apoſtolus, vt intelligamus quàm pudendum ſit horum viz: ſcriptorum commercium, & indignum homine vt tu putas Chriſtiano: Comicus Philemon, cuius integras paginas admirabili grauitate ac ſanctimonia refertas Iuſtinus Martyr in librum ſuum de Monarchia contulit. Quod nunquam credo veteris eorum feciſſet, niſi in talibus ſcriptis antea ſe perdiligenter exercuiſſent. Quid dicam aut de Hieronymo, aut de Clemente Alexandrino, quos minus mirum eſt ne ab hoc quidem doctrinæ genere abhorruiſſe, propterea quòd in omni æquè clari fuerint? Multorum certè Comicorum poetarum Græcorum nec nomina hodie ſciremus, nedum autem monimenta teneremus, niſi Iuſtinus & Clemens paſſim inculcando, ab interitu illa vindicaſſent. Ne Auguſtinus quidem ipſe non interdum his emblematis ſcripta ſua reſperſit, vt cum veſtrum in Donatiſtis furorem redarguens, quo inſurgebant in authoritatem Regum Chriſtianorum, res hominesq; Eccleſiaſticas gubernantium, citat illud ex fabula quadam Terentij. Tom. 7. part. 1 contra Donatiſtas.

" *Tu niſi malo coactus, recte facere neſcis.*

Non lubet equidem dicere de tali viro, ſed tamen legi olim puer (niſi fallor) de Chryſoſtomo, quo nemo inter Aldus.

mortales vir melior natus est, nemo nec eloquentiâ nec pietate præstantior, Aristophanis eum Comœdias (& quanto tamen improbiores illæ sunt Plautinis!) singulis noctibus subiecisse puluino suo, atq; in earum lectione iucundissimè acquieuisse. Sed nimirum, vt si ad ignem aurum attulisses, sed minus purum atq; syncerum, ignis nec substantiam auri corrumperet, & tamen egregiè tibi expolitum daret: Sic diuinus ille vir, & si qui sunt alij qui eius in ea re exemplum imitantur (sunt autem multi mihi crede) nec tantillum maculæ ex lectione contrahunt vel viciosissimorum authorum, & ingenio atq; elegantia auctiores redeunt. Neq; alia fuit ijs Patribus quos tu citas sententia, quorum verba ex ore tuo non aliter admiror Eudæmon-Iohannes, quàm *spinam* vt ait Salomon in *manibus stulti*. Perinde enim te decent hæ ructantem parabolæ. Quid tandem? Negat alter assuescendum esse asseuerationibus Ethnicis. In quo certè Episcopus toto libro non peccauit. Vbi *mehercle*? vbi *mecastor*? Nam *Iupiter omnipotens* Bembi potius est, id est, hominis Itali, & ex sacro Cardinalium collegio non infimi, qui *deos inferos, superos*, & quos non meminit, quotiesq; ? *Deus* autem nisi fallor apud eum nusquam, ne in tam longa quidem serie. Quod & Lipsius animaduertit, & nequaquam probauit, quamuis nec edecumatæ sanctitatis, & in Gentilium formulas loquendi iam propensior, vt maturè Iesuitisantem possis agnoscere. Quanquam si omnem asseuerationem & à Paganis vsurpatam nobis eripere conatur Hieronymus, non vsquequaq; forte iudicium suũ doctis probaturus est. Quod illi viderint, qui in dierum distinctione mentionem adhuc retinent idolorum quorundam, quibus tamen religionem nullam præbent. Quid quòd Astronomi etiam suam artem dediscant oportet, aut noua syderibus nomina imponant? Me quidem pietas tanti patris delectat, siue hoc siue illud sentire placet, atq; imprimis quid hinc Comicis depereat non video, quos Eudæmon-Iohannes speciatim castigandos sibi sumpserat,

Ep. ad Douzam.

sci-

ſcilicet vel quòd *cupreſſum pingere* didicerat, vel vt vir *quàm ſanctiſſimus* videretur. Auguſtinus autem ſi metuit ne puerorum *improuida* (vt ille vocat) *ætas* aliquid contagij hinc arripiat (tenerrimè enim illi anni habendi ſunt, qui in omnia pariter procliues exiſtunt, & quicquid traditur altè demittunt) non tamen & è virorum manibus excuſſerit, eorumq; quorum iudicium vnà cum ætate iam corroboratum eſt. Atque adeò tam ocioſè hæc tota vituperatio horum authorum à Ieſuita inſtituta eſt, maximèq; Hieronymi atq; Auguſtini nominibus infucata, vt ab his potiſſimum fontibus ſimilibuſq; profluxerint, & ipſi, & alij ex eo numero non pauci, vel ad commendationem hominum, vel ad Eccleſiæ Chriſti vtilitatem. *Fluminis impetus lætificant* hoc quoque ſenſu *ciuitatem Dei*. Et Aegyptiorum ſpolia tabernaculum exornant, & Hagar Abrahamo liberos creat, & captiua ducitur reſectis vnguibus, capillitio abraſo, & quæ multa dici poſſent in eandem ſententiam. Quòd ſiqui eorum in Ethnicos durius aliquando pronuntiarunt, non tamen illi à Plauto magis quàm à Cicerone nos abſterritos volebant. Quo loco eſt inſigne S. Hieronymi viſum, qui ſe diuinitùs percuſſum in quiete recordatur, quòd Tullianos apices tam diligenter euolueret. Neque tamen non inſudabat alijs bonis authoribus, ſed de ſolo Cicerone pœnas dabat. Teſtatur noctem illam, teſtatur liuentes adhuc ſcapularum vibices: non ſoletis hanc Ieſuitæ narrationem reſpuere. Et *damonium* non malum fuit, ne quid forte calumnieris, ſed bonum, ſed diuinitùs vt dixi deſtinatum: vide vero ne ex familia ipſa *Eudamon-Iohannum*, vt paululum refrigeſcat hic tuus ardor in Ciceronem.

Illud verò perridiculum fuit, quòd quaſi hoſpitem in Scripturis Epiſcopum coarguens, ſuſpiras in hæc verba, *Sacras mihi literas ſi ea diligentia verſaſſet, qua fabulas, & quales fabulas! conſectatus eſt*: vt quia cætera complexus eſt vir vaſtiſſimæ capacitatis, ideo à ſtudio ſcripturarum alienior iudicetur. Quaſi *docti & ad regnum dei facti ſcribæ*

tam

Lueret.

Hier. ad Pammach. ſuper obitu Paulinæ.

Ad Euſtoch. de virgi. ſer.

Ciceronianus es, non Chriſtianus.

tam exiliter modificatam esse *peram* oporteat, vt noua tantùm non & vetera contineat, vel vetera tantùm non & noua, ac non potius omni diuitiarum genere circumfluat. Sed quid ego de huius Præsulis penitissimâ scripturarum scientiâ loquar? Disertus esse possem, si id nunc coner explicare. Tu autem perabsurdus, qui in dubium vocas, apud eos præsertim qui vel crepundijs nœuoq; illum norunt. Antonius olim de Padua propter noticiam sacri codicis, dictus à vestris (vt est apud Liponnannum) *Arca testamenti*. Honorifica appellatio. Sed ille eo sæculo quo omnia sepulta erant, demersa omnia, nemo fere ultra corticem aut vulgatæ versionis, aut similis alicuius glossematis penetrârat. Noster hic, præterquàm quòd *librum helluatus est*, ita vt nulli de legendi pertinacia concedat, non mediocre linguarum sibi instrumentum asciuit, ac præcipuè earum, quæ tanquam *claues penetralis* à Deo optimo maximo datæ sunt mortalibus, & in cruce adeò Domini nostri solæ ex omnibus non sine causa honestatæ. Vt quamuis multa à multis, & nominatim à vobis, & tentata contra scripturas sint, & tententur indies, ut vel conscindatis eas cum Iehoiachimo, vel raptim cum Antiocho comburatis, omnino certe lucernam modio opprimatis, tamen integris sensibus & florente memoria grauissimi Antistitis, non valde ab hoc furore vestro timere debeamus, quicquid in schidas vobis liceat. Dedit alia documenta huius rei non pauca, sed vnum illud non contemnendum, quod quasi obiter effulsit, quòd cum vos omnes sponsione lacessisset Iesuitas, ficubi vsquam in Scripturis sacerdos vocaretur *Christus Domini*, quam Regum appellationem esse propriam senserat, nihil adhuc habuistis quod opponeretis, quod quidem ille non & prouiderit, & refellerit longè ante, quamuis & corrasis Concordantijs, & Commentarijs exploratis, & imprimis repugnantes ne sic existimetur. Deniq; quòd ad *fabulas* illum, &, *quales fabulas!* declinasse arguis, neglectis Scripturis, næ tu in-

Apoc. 10. 10.

genium

genium tuorum hominum pulchrè depingis, nec iam cum Episcopo Elienſi litigas, ſed cum Caio fratre, (ut ait ille de Antonio:) totam certe Eccleſiam quàm latè patet Pontificiam, horrendi criminis, & in fronte inciſi, & nullo præſtigio diſſimulandi, poſtulas. Ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀπεστρέψασιν, ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται. Hæc in gremio ſepulta ſunt Eccleſiæ veſtræ. His illam indicijs iam diu cognouimus. Si quæris quos *μύθους*, vide ſodes reſponſionem doctiſſimi huius viri ad Apologiam Cardinalis tui, (non enim libenter ab authoritate diſcedo) p. 175. de ſacratiſſima ipſa virgine ad oſcula deſcendente, quod Bellarminus negarat, imo vero cogente, & ceruiculam Monachi arctè ſtringente, cantillante in pomario, acum & caligas & poſtremo etiam ventrem ipſum Hildebrandi neſcio cuius Becketiq; tractante, tum cætera tam abſurda, tam tetra memoratu, ut ea fugiat & reformidet oratio. Nec libet aut pudorem tuum ultra grauare, aut ſenſum ſtimulis expergefacere. Hæc te, ſi ullam partem mentis habes reliquam, vulnerant, hæc fodiunt ſatis. Diuinus certe Præſul non neglexit ſcripturas, ſed vos codice exculcato & ſpreto & ciecto, conſectati eſtis *fabulas* ad unum omnes, & *quales proh deum fabulas*, conſectati? 2. Tim. 4.

Quòd autem Angliam deploras *miſeramq;* cenſes, *in quâ Epiſcopatus Plauti vt ais ſtrenuè verſati pretium eſt*, ignoſcendum eſt Græculo, & propemodum ex altero orbe producto, ignaro certe quidem noſtrarum rerum, noſtrorum hominum, & ad inſolens penſum à Superioribus adacto, ſi non pauca interdum vaticinans effutiat, ut dominorum voluntati lenocinetur ſuorum. Alioqui, quid tam male eſſe Angliæ noſtræ rear, etiam dempta indulgentia illa qua afficior in patriam, ut eius non dico Cretam ſed vel Italiam miſereat Romanq; ipſam? Infœlix Anglia? Credo ſanè cum eam Papa taxationibus degluberet, cum importunus inſtaret, cum finem exhauriendi nullum hirudo faceret, cum aſina Balaam, quamuis indole manſueta & pati Math. Paris. in Hen. 3.

docta, tamen euicta cruciatibus paululum recalcitraret, concedente Aegidio. Eo iugo depulso, & luce libertatis Euangelijq; redditа, quo diuina munificentia tot iam annos fruimur, satis est si fœlicitati suæ ferendæ par sit. Cum
De Clem. l. 1. Annæo dixerim, *Omnibus ciuibus & hac confessio exprimitur esse se fœlices, & illa, nihil his iam accedere bonis posse, nisi vt perpetua sint.* Quanquam Innocentius Pontifex ne ijs quidem temporibus, quæ vt erant, ita videri poterant miserrima, non agnouit perbeatam Angliæ sortem, qui etiam nescio quid ornamenti (*aurifrisia* vocabant) quod in infulis Anglorum forte conspexerat, concupisse dicitur, quæsitoq; vnde essent, cum ex *Anglia* responderetur, prorupisse in hæc verba, *Verè hortus noster deliciarum est Anglia, verè puteus inexhaustus est, & vbi multa abundant, de multis multa possunt extorqueri.* Videat cætera qui volet apud Monachum Albanensem, & nominatim de tam crudelibus huius Papæ ineptijs, ut literas etiã dederit ad fratres Cistercienses per regnum vniuersos, vti de aurifrisijs quàm exquisitissimis sibi prouiderent. Habes plusquam *Eriphilen*, ne quid desit ad amentiam. Illa enim ad vnicum monile exarsit, quo & contenta fuit: hic sibi innumerabilia ex eo genere fieri postulat quod semel adamauit. An vero obscurè etiam cætera designat ad prædam & ad vastitatem? *Vbi multa abundant, ibi multa à multis extorqueri possunt.* Sed redeo ad afflictam conditionem Angliæ. Est Torti discipulus & ad vnguem factus, qui statim vt aliquid incidit quod minus ad stomachum suum faciat, exclamat
Pag. 44. miseram esse viuendi conditionem sub eo Rege, aut sub ea lege, & quæ cætera Rabsacæ isti in Ezechiam declamant, vt instabiles animos multitudinis concieant, & pro sperатis beatitatibus in veras miserias naso trahant. Nos autem non magis soli nostri cœliq; temperie, quàm dulcissimi Principis ingenio & bonitate, fœlicitatem hodiè nostram metimur Britanni. Illa *hortum deliciarum* esse facit Angliam nostram, illa verè *paradisum alterum Dei.* In hæc tem-

pora

pora ſe quiſque natum & ſeruatum lætatur, hæc poſteris propagare, hæc æterna, ſi fieri poſſet, optat decurrere. *Domus* quidem *Iſrael* vniuerſè omnis, ſed tamen *domus Aaron* ſpeciatim. Ac de cæteris quidem laudibus Iacobi Regis noſtri, dicemus ſi deus volet alio tempore, dabitur enim non rarò occaſio. De liberalitate autem in eruditos, de pietate in Eccleſiam, de ſtudio fouendi optimas literas & ſcholas, ne tu quidem quamvis impudens negare potes, & ſæpiſſimè inculcas per totum librum tuum, & palam agnoſcis in hac ipſa Præfatione. *Quò maiorem (inquis) Regis in ſe facilitatem experiuntur, &c.* Quod interim quaſi caput eſt Regiarum virtutum, conſenſu omnium, & tam iucundam nobis ſub eo viuendi conditionem facit, quotquot ſtudia colimus, vt prę eo neque purpuras tuas miremur, nec vero moremur vel Apotheoſes. *In luce Regis filius vitæ,* ait ille eleganter: & rurſus illa de eodem, *Beati qui te circumſtant, & qui te obſervant*, alterum maximi, maximæ alterum Principis præconium, vtrumq; verò in hoc noſtro impletum. Pro.16 15. 1.Reg.10.

Tu tamen ſtateram tibi non dubitanter arripis, & meritum ponderas ampliſſimi Elienſis, nec quicquam in eo reperis tantis honoribus par, præter Plauti ſtudium & Comicorum quorundam, vt ais. De Epiſcoporum promotione, vtinam omnia tam expedita apud vos eſſent Romæ, quàm de Elienſi non erubeſcit reſpondere tibi patria noſtra, quem tu viz: vnum ex omnibus ſeligis, ut indoctos homines ad Epiſcopatum aliquandò obrepere poſſe doceas. Infœlicitèr profectò, ſed tamen audi. Non libet enim nunc pluribus excuſare Elienſem, aut in literis rudem, aut reliqua vitæ ratione indignum. Audi inquam. *Si Rex Angliæ hoc tempore à me peteret, vt Aſinum crearem Epiſcopum, omnino facerem.* Quis hic eſt? quem vox ſonat? Pontificemne hunc arbitrer? Sed eſt equidem ipſe. Poteratne aut ingenium ſuum clarius oſtendere, & illam tantam religionem qua Epiſcopos creat ſcilicet, is qui ne aſellos quidem

Apud Ioh. Stow (quem cita: & Eudem.) in Chron. anni 1201. ad annum 19. Edw. 2. id eſt Anno Dom. 1345. pag. 376.

dem deinceps repudiaturus est, aut quanti sua interfit Regem Angliæ non irritare? Sed hæc aliàs: breuiter iam respondeo de crimine Plautino. Quanquam Reuerendus Antistes negat hanc laudem ad se pertinere, negat sibi cum ea commune quid esse: *quam non respuerem* (inquit) *si deberi mihi putarem: Sed res sic se habet. Anni sunt, si qua fides, quinquaginta, ex quo Terentium inspexi, neq; enim postquam puer scholam deserui, in qua nescio quid Terentianum, vt ferè solet, didici, authorem illum vel in manus sumpsi.* Nec multò secùs de Plauto, quem non alia ratione aliquandò libatum à se fatetur, *nisi vt comœdia si spectanda esset, quales solent in Collegijs, quò melius dramatis rationem perspiceret, leuiter fortasse paulo ante percurreret. Neq; id tamen ex quo secundum magisterij complenit annum*, quem ille admodum certè adolescens attigit. Ita planè hallucinatur propheta χρὸς, & fidem sibi abrogat de reliquis criminibus, quæ vel Episcopo intentat, vel in communi gentis nostræ ratione sæpe notat, qui in re tam obuia tamq; perspicua miseram ἀλαοσκοπίαν suam tam ridiculè exercet. Neq; scio quid causæ habeat cur de Episcopo hoc comminiscatur, nisi Plauto si honorem habere voluerit, vt de patribus Societatis ait ipse alio loco, quæ illis probantur ea omnibus propè probari, etiam strages, etiam parricidia, quorum tanta viz: apud populum sit authoritas, ut quiduis persuadeant. Quod multò magis hîc valeret. Quis enim si D. Elienſi familiarem olim iuveni fuisse sciat Plautum, non imprimis ei authori posthac aures dedat? Sed sit sane, quoniam ita vis, peculiaris hæc Episcopi nostri gloria, nihil à fictitijs tuis comicis trahentem, tantum tamen natiua dexteritate valuisse, ut sicut Samgar olim stimulo hostes concidit, rusticos opinor telo rusticano, nec admodum in militares vsus facto, ita ludios ille publicos, & quorum ipsa relligio, nihil est nisi histrionia orbis terræ, festiuior vinceret quàm iratior.

Pag. 115. Parall.

Ita non erit cur illa fingas, quæ postmodò assuis, R. Antistitem, ut aciem censuræ tuæ declinet, in *abnegati sacerdoty*

dotij aſylum confugiturum. Ecquis verò magis ridiculam unquàm vocem audiuit? *Si abnegato ſacerdotio credat ſe effugere poſſe obſurgationem ſanctæ patris.* Quaſi nos aut διακονίας noſtræ pudeat, quam iam diu eſt quòd frementibus vobis aſſerimus, aut verò oleum & raſura tanti eſſent, ut ob eorum defectum, nomen ſacerdotij viro ſanctiſſimo abrogandum videretur, & ἱερεῖ τέλειον tam præclare τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, & ex cæteris ornamentis ijs conſummato, quibus ſacer Dei ſpiritus metitur Epiſcopum, Tit. 2. & alibi ſæpe. Sed & fateris paulo poſt in hac egregia Præfatione tua, quæ tam apte videlicet ſibi conſtat, nos uſqueadeo non abhorrere à nomine Sacerdotij, ut *præter morem Sectariorum etiã Epiſcopatum tueamur. Præter morem Sectariorũ*, inquit: notetur oratio. Eſt enim digna ut ab hoſte profecta. Et iam diu ſane eſt quòd non parum moleſtiæ ab inquietis ſuſtinuimus, quòd in Eccleſiaſticæ huius trabis, id eſt, Epiſcopalis ordinis nefariam diſſolutionem conſentire nullo modo vellemus. Nihilne verò iſtud nobis ſuffragabitur? Nihil: neque Epiſcopatum mordicùs aſſerere, qui neruus eſt Eccleſiaſticæ politiæ primarius, neque à Sectarorum placitis inſtitutiſq; refugere, niſi *coniuratio* dicamus ad omnia ad quæ Papa dicit *coniuratio*, illo nitamur, illi fidamus, illius deniq; cultro Regium iugulum planiſſimè ſupponamus. Quòd ſi liberet mihi hoc loco in Clerum veſtrum Romanum ea declamare, quæ & optimis authoribus confirmata ſatis, & toto iamdudum orbe notiſſima, ſacerdotium ei abrogare non immeritò videantur, vereor equidem ne haud paulo grauiora ſe offerrent, quàm de ſtyli forma & Plautinitate neſcio qua, aut Comicorum lectione poetarum quamuis diligenti. Scis opinor quid Mantuanus, quid Aluarus, alijq;. Non eſt neceſſe ſingula commemorare. Quædam & occultè inſinuata innoteſcunt. Interim quàm in exacto eſt fama Epiſcopi, in quam nihil habuiſti quod dicere poſſes aut deſpumare, ne cum omnia quidem quæreres ac rimarere, quod non aut aperto conui-

cio implicatum esset, aut cum laude potius quàm culpa coniunctum?

Intelligo me, dum nihil omittere volui, & nimis diu circa vestibulum ipsum hęsisse, & honorem propè maiorem quàm par erat, putido homini cum nænijs hisce suis pręfanti, habuisse. Vnum illud non prætereundum esse censeo, ut mendicitatem & inopiam Iesuitici ingenij cognoscatis. Non ita diu abhinc est, quòd hic Eudæmon-Iohannes respondurus ad *Anticottonum*, librum quendam in Gallijs sine authoris nomine emissum, lusit ita in eas literas, quę qualecunq; hominis vestigium continebant, *P. D. C.* ut illa Ciceronis legisse diceres adolescentem, LACERAT LACERTVM LARGII MORDAX MEMMIVS, vel quod Beda noster diuinitus, *Stultus populus quærit Romam*. Ac scimus omnes quàm facile sit argutari diuinantem in tali genere, si quidem libeat. Sed Eudæmon-Iohannes quasi hoc unum calleret, renouat in Episcopo similem dexteritatem suam, ut quia *L. Ciceſtrienſem* eum scriptum à se viderat, *Lupum, Ludiumq;*, nescio quem, pro arbitratu suo, nobis procuderet. Tam transuersus rapitur maledicendi furore, ut quem initio Præfationum, tanquam & secum aliquando de relligione sentientem, & post adeptum Episcopatum in clementiam propensum, ac satis prope moderatum, ipse celebràrat, nunc lupum & grassatorem derepentè faciat: nec alia de causa, quod quidem possum conijcere, quàm quòd aut librum scripserit, aut certe *Torturam* eum inscripserit. Quasi ut *ignem* illum supremum qui in iudicio accendetur, S. Augustinus *rationalem* vocauit, ita non sint & *Torturæ* quædam rationales, quas non ij qui adhibent lupi dicendi sint, sed ad asinos ablegandi qui aliorsum interpretãtur. Porrò recole quod de Prophetis illis Spiritus Sanctus, in Apocalypsi, qui bellum cum Antichristo gesturi erant; ἐξουσίαν τὰς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς. Videtur enim & formam nobis quandam præscribere ulciscendi portenti, si fortè emerserit, per *Torturas* scilicet,

Serm. de Temp.

cap. 20. 11.

tantum

tantum abeſt ut D. Elienſis in *inſcriptione* aberrârit. Non oportuit verò te Eudæmon-Iohannes, qui præter cætera tua inſignia, ut patriæ nominiſq; , ubiq; te *R. P.* inſcribis, nimis exultare in hoc genere dicterij, ne aliorum quoque ingenia quid in te viciſſim poſſint experireris. Quàm enim hoc procliue eſt, aut quis iam cum Ieſuitarum hieroglyphicum recognoſcit, *R. P.* non aut *rabulam perditiſſimum*, aut *Rabſacen peſtilentem*, aut *reipublicæ perniciem*, aut *vrinam patriæ*, aut *religionis portentum*, aut *regni perduellem*, aut *Romanum paraſitum*, aut *vetrimentum Papatus*, aut *Regum percuſſorem*, aut ut mitius agatur, *reprehenſorem putidum*, *refutatorem præpoſterum*, aut ſexcenta eiuſmodi, non ſolum teipſum, quanquam te quidem imprimis, ſed quemuis propè ex Societate tuâ, illis in characteribus deformatum putet? Ludium autem quòd appellas tam grauem Antiſtitem, refellit te tacitus ipſe viri aſpectus: etſi ſcimus quid Apoſtolus, κρεῖττον ἰγγύθεμον, nec mundo ſolùm ſed Angelis circumfuſis. Vtramq; certè cauſam ille in vos conuertit, Roſciana hac & præſtanti actione ſua. Vnde mirum ſi ſine ſibilo, ne dicam ſine lapidatione, queatis diſcedere, niſi maturius ab his artibus Ieſuitæ deſiſtatis, quibus *Scuta orbis terræ*, vt loquitur Pſaltes, id eſt, Regum maieſtatem, concuſſum itis.

Quo ex genere illa ſunt quæ breuitatis cauſa nunc omittere cogor, de *Tortore & Carnifice*, quos iſte ſeu per *adeſſe* ait in *Satellitio Regio*. Qui tamen cum niſi malis formidabiles eſſe non ſoleant, nonne ſatis declarat hoc qui ſtomachetur, omnium ſe viciorum licentiam quærere impunitam? Aut enim hoc voluit, aut illud certe, in tantam inuidiam *regnum* vocare, ut à *tyrannide* & efferatione non diſtinguat. In altero μοναρχίας hoſtem ſe prodit, in altero propendet etiam in ἀναρχίαν. Porro mentitur luculentiſſimè, dum ait Regem ſereniſſimum in Præfatione ſua monitoria, curaturum dixiſſe ſe, vt Perſonio perfugæ reſte reſponderetur. Vnde anſam iſte arripit alterius ampliſſimi

docti

doctissimiq; Episcopi, pro insignita sua modestia, & ad *carnificum* numerum aggregandi. Rex autem non id dixit, curaturum se vt reste ei nefario responderetur, sed dignum pronunciauit, qui ob tot flagitia sua & vitam in proditione ac scelere exactam, vltimo supplicio tandem lueret. Atq; egregium interim fructum, si quid ego iudico, præclarissimarum lucubrationum suarum, Honoratissimus Dominus Lincolnienſis reportat, qui nunquam his maledictis & selle vestro mulctaretur, nisi acerrimum dolorem vobis inurerent quæ ab illo diuinitus in causa scripta sunt. Quod cum toti Ecclesiæ honorificum est, tum nostro priuatim Collegio iucundum, quod eum, ut debet, ita colit impensiùs.

De erudito autem illo Anglo quem sperare te dicis nodos illos dissecturum, & perfugam à debita sibi peste seducturum, nihil aliud nunc respondeo nisi ὅπῃ ὀφθῶμεν. Tantum temporis elapsum est, & quotidie labitur, neque prodit tamen. Cum venerit, quæ afferat cognoscemus.

Mitto cætera, quòd non Regem solum cum Episcopo, sed Senatum cum toto Clero maledictis inuoluit. Enimuerò dicit apertè, *nonnullorum nuper è Sanctiore Consilio, aut odium*, aut *priuatas vitæ rationes* nescio quid turbarum sub Elizabetha dedisse. Ita non parcit ne ipsi quidem sanctiori Consilio: quod & *sanctum* vocat, sicut est imprimis, & interim pro *profano* habet ad contumelias. *Parlamentarios* etiam *Episcopos*, & *Anglicanos Calvini Hippocentauros* subuellicat. Nihil dico de hoc postremo, quod clarum est ad conuicia, eaq; nec morata quidem, pertinere. Quanquam si monstra adeo displiceant, quidni Papam Chimæram primo omnium exhorescunt?

Πρῶτα λέων, ἐπιθὲν δὲ δράκων——

nota sunt cætera. Nam & *ignem spirat*, & *triplici* diademate palam gloriatur. *Parlamentarios* autem *Episcopos* suos habere Regem, qui turpius quàm Papam *titulares & factitios?* Scitum est quod in Concilio Tridentino nuper acci-

Gentilletus.

dit. Non eſt neceſſe omnia repetere. Sed tamen deerat numerus Suffragiorum ut aiunt, & duodecim Epiſcopi ſubmittuntur illicò, qui nodum expediant, & litem ſecundum Papam dent. Quam ridiculum autem illud, quòd Epiſcopos & Patriarchas creare ſolet Pontifex illarum ſedium, quæ non modò non pertinent ad ditionem Romanam, ſed ne Chriſtianæ quidem omninò ſunt? Qualis eſt & Nazareth & aliæ non paucæ. Libentiſſimè autem oculos retorquet ad hanc Angliam noſtram, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget. Neque tamen non diuidit, ſatis audaciter, dicam, an ſtultè, Epiſcopatus Anglicanos, & Archiepiſcopatus, hodieq; ſuis, ſi vera narrant. Vnde illuſtriſſimum Cantuarienſem qui nuper fuit, non niſi *vocari* fingit Bellarminus, nequaquam autem eſſe, Archiepiſcopum. Credo vero quòd *vocari* eos tantummodò animaduerterat, quos ad tale munus Papa deſignaret, non autem eſſe. Ac neſcio quid de Archiepiſcopatu Capuenſi exiſtimem. Valdè celeriter ſe abdicaſſe Bellarminum videmus. Fortaſſe deceptus eſt, & res nomini non reſpondit. Sed ſic Papæ donationes eſſe ſolent. Cum accipiendum quid eſt, firmioribus rationibus geſtit adhæreſcere. Hic verò Heliogabali artem faſtitat, qui paraſitos ſuos pictis patinis paſcebat, aut etiam Zeuxis, qui aduolantes auiculas aſſimulatis uvis lepidè ludebat, ut eſt apud Plinium. Quid tale in Parlamentarijs quos vocat noſtris? Quos iam ſi videat hic Cretæ alumnus, aut diſcindat ſe opinor, aut illa Cyneæ dicat, cum legatus Romam miſſus, & in Senatum introductus, in Patrum grauitate atque amplitudine obſtupeſceret, Curiam templi inſtar habere, Senatores dynaſtarum: vel, ut in re alia Auguſtinus, *Nec tales alibi facile nec tot.* Niſi fortè illud pudendum ſit in hoc Parlamentario conſeſſu, quo neſcio quid efficacius ei eſſe poſſit ad veram gloriam, quòd qui laboribus ſuis Eccleſiam priuatim ædificant, ij toti etiam patriæ ſuæ conſilio & authoritate utiles eſſe ſoleant, cum congregantur. Mariana quidem deplorat id in Hiſpaniâ

Contra Iulianum.

Lib 1. c. 8

non obſeruari, ut Epiſcopi ad publicum conſilium admittantur. Sed omnino ad finem approperandum eſt. Quid enim illud addam, quod tamen iure poſſim, id unum defuiſſe horum hominum amentiæ, ut *Parlamentarij Parricida* quia cogitatum ſuum facinus exequi nequiuerunt, de reliquo ſedibus ipſis crimen intenderent, & *Parlamentarios Epiſcopos* noſtros per inuidiam vocitarent, quibus nihil magis dolet, quàm domum ipſam *Parlamenti*, id eſt, auguſtiſſimi totius regni conſilij habendi, nefarijs ſuis ignibus & abominando puluere, non crepuiſſe ſubuerſam? Sed vela, ut dixi, contrahenda ſunt.

Videmus quàm modeſtus præfandi hic homo ſit, qui non in unum Elienſem ſeparatim inuehitur, ſed Regem, Senatum, Clerum, Aulam, imo vero etiam Angliam ipſam, totamq; gentem noſtram, arceſſit ad communionem pietatis ſuæ. Quòd ſi hæc in Præfatione, quid tandem in corpore? Si in carceribus, quid in campo? Nam hîc quidem excuſat & veniam precatur, & petit à Lectore ne nimis miretur, *ſi paulo acrior fuerit in infectanda temeritate importuni hominis*. Sic videlicet à Ieſuita benedicitur Epiſcopo. Quid ille facturus, cum de induſtria inſanire, & concitato populo, & ſubligaculo aptato, palàm ſe in theatro iactare cæperit? Multa prætereo, ut aliquid habeat extremum oratio.

Cauillatur in Epiſcopi argutiſſimo inuento, quòd *more Mandrabuli* res quotidie Pontificias in deterius cedere & dixerit, & oſtenderit. Nec refellit quod allatum eſt, & exquiſitam amœnitatem delicatiſſimi ingenij nimis profecto ruſticè vocat ad calculos. Nam quòd ita interpretatur, *Pontificem & Cardinalem, tantum profeciſſe, vt Torto Sacellano non difficile fuerit reliquum bellum profligare*, non intelligit aliter fieri ſolere, & Dauidem Regem in Rabbæ obſidione ad extrema potius belli accitum vocatumq; à Ioabo veniſſe, quàm ad initia; ſcilicet, ne honos aliò deriuaretur. Quòd ſi iſtum audimus, præcipua ferè laus ad Tortum pertinet, niſi malit ad ſe, ut qui ſerò admodum *Sanga* ad pug-

2. Sam. 12. 28

nandum

nandum acceſſerit. Tam fœliciter refutat orationem Epiſcopi, ut ambitionem ſuam ignarus, cum inſigni vanitate coniunctam, prodat.

Idem Regem Sereniſſimum, & immortali meritò gloria decorandum, Codrum quendã mutato habitu facit, propterea quòd Apologiam, nulla authoris mentione, emiſerit. Qui tamen nec alienum nomen ſubmentitus eſt, & cito ut ait ille,

Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſq; reſolvit.

Bellarminus, quod eum pudeat, & fucum ſuum agnoſcere, & candorem atque ingenuitatem à Rege diſcere coactus eſt. Illud verò quàm non fortuitò, quòd Codros nobis Reges Ieſuitæ reſtituunt? Quod quidem in Henrico nuper Gallorum Rege effecerunt. Nec defuturi illi, ſi poſſent, Iacobo noſtro, eoq; libentius quòd *pro Regni ſalute pugnare ſe ſentit*, ut iſte agnoſcit. Et ille quidem non obſcurè omnes ſuas curas in eo collocat, ut regni ſaluti conſulatur. Quo etiam declarant, quid ſibi propoſitum ſit, qui Regi aduerſarios ſe in cauſa profitentur, Regnorum ſcilicet omnium vaſtitatem atque excidium, etſi imprimis fortaſſe huius noſtri.

Ait quidem *ſe non offendi laudibus Regis*, vt miti candoris hominem agnoſcas, qui pati poſſit, vt Rex, & tanto ſplendore, & tam auguſta maieſtate, & potentia inuicta, & ingenio magis, & incredibili virtutum omnium comitatu circumſeptus, laudem aliquam à ſubditis ſuis referat. Sed quàm nefarie Regem violet, quicquid verbis edulcet, & alia docent loca quæ ſuo ordine diſpiciemus, & hoc quod ſequitur in eadem ipſa ſententia, *niſi quod ab hæreticis detrauatum & corruptum eſt*. Vt ſcias quam ſibi legem videlicet dicat modeſtiæ, vel quàm latam potius feneſtram relinquat ad audaciam. Quid eſt enim quod hoc colore non inceſſat & in Rege, inceſſet imo in ſacra & præcellenti maieſtate? At etiam optat homo ſapiens & pietate conſpicuus, *vt dignum ſe Rex præſtet imperio & maioribus ſuis*. Ac de maiori-

bus ſuis reſpondit iamdudum Rex ipſe ſereniſſimus, quos propiùs à ſe expreſſos virtute omniq; gloria, quàm vel tantillum adumbratos à Papa ſuos, nemo tam vecors eſt qui ei non aſſentiatur. Nimirum tanta eſt in Pontificali ipſa ſede dignitas, ſi Hildebrando credimus, vt *ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiant quæ à Dei prædeceſſore præſtantur.* Tam ſecuri ſunt Pontifices de imitatione Maiorum ſuorum, vt ſibi ſufficere credant illorum gloriam, quantiſvis interim ipſi peccatis ſcateant. Quòd autem Regem ſereniſſimum, idem homo nefarius *minus adhuc imperio dignum* autumat, ſcimus quid ſtomachetur, & quid illum male habeat. Putat enim (& in ea hæreſi eſt tota factio Ieſuitarum) abdicandum eſſe imperio Regem illum *vt indignum* qui ad Pontificiam voluntatem ſuas gubernandi rationes non accommodat. Ita non ſolũ contumelioſus eſt in famã Regiã, idq; eo loco maximè quo videri vult eius laudibus fauere, verumetiã furtim proditorium ſuum dogma incruſtat, quod * alibi maioribus theatris lubens dilatare ſolet.

In Epiſt. ad Hermannum Metenſem Epiſcopum.

Planum eſt quòd omnes infideles meritò infidelitatis merentur poteſtate ſua vitare ſupra illos qui in filios dei adoptantur. Triumphus Ancon qu. 24. de poteſt. Eccleſ. art. 2. ad 1.

* Vide p. 847. Paral. 2 Sam. 16. 13.

An ferendum verò illud, quòd quaſi *Sœmel per alterum latus montis tranſiens* (non auderet hæc enim niſi tutus intervallo ſuo) haud obliquis ictibus, aut occulta proteruia, ſed apertis conuicijs depluit & bacchatur in Chriſtum Domini? Quem vel *ſumma leuitatis, vel incredibilis ſtuporis animi* condemnat bellua, *ſiquidem ex animo ea approbet, quæ ab Elienſi in nuncupatoria neſcio quo loco ſcribuntur.* Hęc ille. At quàm cæca malitia eſt? ut quibus duabus rebus præter cæteras, Rex omnium conſenſu excellere intelligitur *vigore ingenij, & iudicij conſtantia*, (eſt enim ille quidem multis, vel potius infinitis nominibus laudandus, ſed nihil ferè tam in confeſſo eſt quàm quæ modò memorani) earum duarum laudem ei ſuppreſſum eat extinctumq;. Quanta opus moderatione iam filijs Zeruiæ, ne involent in venefica, & exemplum in eum ſtatuant omnibus poſthac eiuſmodi terrori futurum? Sed petit ille vt dixi veniam *inſectationis ſuæ tam acris*, nos oportet lentitudinis & langoris

noſtri,

noſtri, ſiquidem Regiæ patientiæ, quâ nihil eſt admirabilius, quàm ſeruori noſtro obſequi malumus.

Porro queritur Epiſcopum, *ſtylum in eos ſtringere quibuſcum nullas gerit inimicitias*. Quaſi non tanto plus authoritatis eius ſcripta obtineant, vt qui ab omni partium ſtudio alienus diſceptet, & in nulla voluntatis animiue offenſione, iudicio tamen ſuo fretus illis repugnet. Fallor autem niſi poſthac eo vehementiùs vos oſurus ſit, (de ciuili hoc odio loquor, quo omnes improbos boni odimus) quòd te tam petulantem Eudæmon-Iohannes expertus ſit, qualem hactenus ex Societate reliqua neminem, vix vero vel ex ſecta quidem. Vt ſciant quàm præclarè ſibi conſulucrint, qui te deſultorium in ſuorum virum deſignarunt.

Deniq; dicit *ſe omiſſorum dogmatum quæſtiones*; quò liberius videlicet Epiſcopum laceret. At hic fundus calamitatis eſt, & ſæpe iam queſti ſumus vos eminus latrare, & aerem verberare, quæſtionem negligere, & quidvis libentius quàm ſcopum attingere à Regia ſereniſſima maieſtate propoſitum, atq; adeo arcem ipſius cauſæ petere. Nimirum & ſententiæ veſtræ communiter diffiditis, & tu non ſine cauſa doctrinæ facultatiq; tuæ Eudæmon-Iohannes, quæ neſcio quo pacto, ſi verum quærimus, in alijs potius rebus, & nominatim in virulenta declamatione quàm in ſubtili diſputatione adornanda, cernitur.

Quid tandem? Etſi ſcire ſe fatetur authorem Torturæ, & nimirum multa nobis de eo iamdudum narrauit, pro ea qua valet fingendi licentia, tamen placet diſſimulare, & *incertum hominem liberiùs plectere*. In quo mihi Iudæos imitari videtur, parricidas Domini noſtri, qui non ante cum alapis quamuis barbari ceciderunt, quàm faciem, vt eſt in Euangelio, obuoluerent. Ita enim ferocituros ſe impunius putabant, ſi omnem diuini viri noticiam ſepelirent, & quem ab animo non poſſent, ab oculis ſaltem relegarent.

Sed hæc hactenus: Ac me quidem piget tam fuiſſe prolixum. Quæ tamen culpa in aduerſarium conferenda eſt.

Mihi veſtigijs premendus fuit. Quanquam ne ſic quidem omnia fortaſſe colleginus. Nam & *Baaliticos ſacerdotes* nos confidenter vocat, quibus paulo ante ſacerdotij ius omne adimebat. Quod ſi corporis cruentatio,& inconditus boatus, & idolum pro vero deo, Baaliticum ſacerdotem putantur demonſtrare, non valde obſcurum eſt quinam iſtuc pertineant. Ille viderit cur ſuos debito priuet elogio, vt cum ijs communicet quorum nihil ſimile ne nominatur quidem. Sed hæc hactenus vt dixi. Quod ſi nimis ſub initia exuberauit oratio,in reliquis breuitati lubens litauero.

ASSERTIONIS TORTVRAE TORTI,

Pars ſecunda, reſpondens loco, de Contumelijs.

CAP. 1.

LAudo diſpoſitum. Ad quatuor capita reuocas Parallelum tuum, *Maledicentiam, Mendacia, Inconſequentias, Paradoxa.* Cinnus tibi pulchrè conſutus ex his omnibus. Non poteras commodiùs, uno quod aiunt obtutu, depingere nobis ſummam commentationis tuæ. Sed probabis D. Elienſem his vitijs laborare, Tortum quaſi *Adamum* alterum, vigente adhuc innocentiâ, immunem eſſe penitus. Credo, quia is Tortus iam nullibi eſt, & *ſpectrum* diſparuit ſubeunte Cardinali. Deducemus eum tamen vel *ex ſphæra Lunæ*, quâ ſedem primi hominis circumſcripſere quidam è veſtris, ut eſt apud Cardinalem, & diuerſum euincemus. At quòd te Tortum appellaturum eſſe dicis qui Tortus non eſt, perſpicuitatis tantùm diſtinctionisq; gratiâ, concedetur tibi eâdem facilitate noſtrâ, quâ & cætera nuncupare arbitratu veſtro, rerum licet naturas

Tu tamen ſine ſpectrum: vitia vehabpr. falvit. S pag. 3 15. 1 o marg. Tortus nullus ſpectrum attinxit.

* De gratia primi hominis c. 12.

vertere

vertere nequeatis; & nominatim vos *Catholicos*, qui ſacrilegijs paſcimini, aut Romanam Eccleſiam, colluuionem omnium ſcelerum, ſingulariter *Sanctam*.

Ad punctiones Elienſis aditum tibi per Regia latera facis. Solennis hæc iam olim Ieſuitis via. Locus non ſemel à vobis percuſſus, vel petitus certè. Quanquam Regium nomen non implicatum tenebatur in hac cauſa. De *Tortura Torti* agendum fuit. Cuius authorem non eſt quòd te doceam. Sentis ſatis. Ac ſi hæc ad Elienſem ullo modo pertinerent, non tamen ad *Contumelias* pertinent ſed ad *Mendacia*. Nam quod ab aliquo iniquius dictum eſſe tu arguas, id ab altero ſic defendi ut peccatum neget, non eſt *contumelia*, quicquid certe eſt. Tuum autem hoc caput de *Contumelijs* inſtitutum eſt. De *Mendacijs* proximè viz. diſſeres. Viden' igitur quàm citò defeceris à Methodo tua, magnus artifex? Sed quid tandem Rex? *Contumelioſus in Papam & in Cardinalem*. Duriùs credo pronunciauit, obiurgauit ſatis acriter, diſplicere ſibi illorum inſtituta ſignificans. Nec enim potuit mitiùs, cum & Regnum, & vitam ſibi immo fieri videret Pontificijs Breuibus, Bellarmini Epiſtolâ, ad ſubneruandam populi fidem apertè ſpectantibus, & nuniendam quandocunq; ſtragibus viam. Hic tu ciuilitatem in Rege deſideras? aut ſequius quàm oportet ab eo factum criminaris? Quanquam Rex nullo officio obſtringitur Pontifici, quo minus eum liberè peccantem admoneat, tamen finge officium eſſe, ceſſaret hic, aut certe non niſi improbè requireretur. Nonne tua illa verba ſunt pag. 86. *In malis linguam continere non vſque adeo facile eſt*? In quo certe non diſcedis à iudicio maiorum tuorum. *Tange carnes* (aiebat ille, de ſancto viro) *& maledicet coram*. Agnoſcis opinor gentilicium vocem Eudæmon-Iohannes. Quantò magis in tam perniciosâ contage publicâ, carnes, animas, cuncta, rapiente, Principem, populum, Eccleſiam, regnum, rem, ſpem deniq; totam poſteritatis, pariter abſorbente? Fatearis ſi vel micam æquitatis obtineas, iuſtiſſimè concedi

di potuisse dolori Regio, etiamsi paulo fuisset vehementior.

Ille tamen quàm moderatus, quàm constans per omnia? Cuius sola *oratio* reprehenditur, cum summum obtineat ius *gladij*. Et *oratio* qualis? Tanquam equidè disceptantis de iustitia in foro, nec totâ vestrorum libertate vtentis. *Negari non posse quin peccarit in bonos mores Pontifex.*] Grauis accusatio *in bonos mores*: id est enim in humanitatem ciuilitatemq;. At non dicturus tamen hoc ipsum nisi *negari non posset*. Et eleuat culpam, & ferò effert inuitusq; quicquid est. Sed Pontifex alio crimine arcessendus fuit.

In Regem imprudentiâ, in Catholicos iniustitiâ, deliquit Pontifex.] *Imprudentiâ* ad minus, noli repugnare; quin potius gaude, si sapis, sic confectum esse. Quod autem & Catholicis melius consuli potuerit à Papa, nec ad tantam immoderationem, cum grandi eorum periculo, tam turbulenter prorumpi, cuius ingenij tibi videtur, aut ubi nisi in altero Rege Iacobo, i. *in alteris delicijs orbis terræ* reperiendi? Ille vult & vestris consuli.

Sed nihil à diabolo suggeri potuit nocentius.] Omnia certè peccata in diabolum referuntur. Nec Pontifex is est qui tentationibus non succumbat. Nonne potius hoc humanè, quòd insidias agnoscat, & fraudem imbecillitati communi factam ab aduersario generis nostri? *Obreptum est Papæ*, inquiunt mille locis iura vestra Pontificia. Et *Satanas* Apostolos cribrare quæsiuit. Nisi id te cruciat cum *dæmonibus* exprobratur.

Eiusdem conditionis sunt & reliqua. *De vniuersali Episcopo atq; Oecumenico pastore*, non poterat dici sine aliquo stomacho, tam crassa, tam tetra vsurpatio est. Quanquam illud *insulsè* non extat in vernaculo. Regius stylus fluebat placidior, hoc noui: interpres cum locum (nec tamen culpo) suâ bile suffudit. Sed adde etiam *Inhumaniter. ne dicam mendaciter.* Non dicit igitur. Quid si autem dixisset? Nimirum *vice-deus* mendacio superior est. Ἀψευδὴς nemo.

Qui

Qui vtinam non iccirco ſe inerrabilem venditaret, quò liberius ſub ea larua falleret, congeriemq; errorum in vitam inveheret. Alphonſus certè Caſtrenſis non affirmari hoc ait niſi à Papæ paraſitis atque Gnathonibus. Sed vos ea verba ex Alphonſo ſuſtuliſtis, Caſtrenſemq; caſtraſtis.

Adeuer harbb.1.c.4 ex edit. Alcenſij Anno.Iom. 1534. In edit poſteriori.

Non ferendum verò illud, & ſummæ *Contumeliæ* loco ducendum, *Pontifex multa dicit ſed panca probat, imo verò nihil omnino probat.* Hoc ideo allatum eſt, vt cumulum faceret. Alioqui quid quæſo continet tam inviſum, cum fateatur Cardinalis Pontificem non ſolere probare quæ dicit, ſed tantummodò iubere, cum ſcribit Breuia? vnde etiam nomen traxiſſe videntur. Quod autem Rex poſtulabat, & adhuc poſtulat, vt aliquid adnotaretur in quo peccaret Iuramentum, id & grauiſſimè ſapientiſſimèq; factum eſt à Rege, & omnino certe à Pontifice abnui non oportuit, ſiue ſuo ille marte vel potius Minerua, (ſi quid tamẽ Minerux eſt in Papa Paulo) ſiue veſtrum alicuius qui circumpedes ei eſtis & ad omnia procinẽti, vti cogitaret. Niſi tanti ſit ſeruare *Naturam hanc Breuium*, ut Regias, tam grauis præſertim momenti, rationes, ante reprehendere vobis fas eſſe putetis, quàm leuiter refellere aut notare potueritis. *Suſpecta lex eſt* (inquit ille) *qua ſe probari non vult.* Breue magis. Videſne iam vt meritò *probationem* requiſierit Rex Sereniſſimus à Cenſore formulæ ſuæ, & nihil odioſum verba illa contineant, neceſſarium potius?

Tertull.

Nec *de capite Conciliorum* reclamari opus fuit, quod non eſſe Papam, aut citra *arrogationem* non eſſe (quia vox illa te remordet) ſi vetuſtati & praxi ſæculorum ſtare placet, ita liquidò conuicit Elienſis in *Tortura*, ut mirum ſit te mutire aut ſtridere auſum eſſe Eudæmon-Iohannes.

Pag 163. & 164.

Eſtne quid aliud? *Pontifex ſuam culpam expedito Brevi altero ſciens prudenſq; geminauit, cum alioqui erroris res videri potuiſſet, & cauſa tota in falſum rumorem conferri.*] Quod quò magis attendo, eo magis magiſq; candorem Regium amplificat, qui ita cum Pontifice de ſecundo Breui expoſtulat,

ſtulat, vt niſi illud conſecutum fuiſſet, ignoturus illi de priore fuiſſe videatur: nunc autem vix aliud moleſtius ferre, quàm lenitatem & patientiam ſuam paulo ante declaratam, Pontifici animum ad nouas iniurias meditandas dediſſe, & nimirum *alapam alapæ* denſandam.

Veterem ferendo iniuriam inuitat nouam,

aiebat ille. Id hic euenit. Tanta eſt in altero diritas ingenij, in altero placabilitas atque candor.

Sed mitto cætera, ne nimis in immenſum excreſcat oratio: ac ſentio hæc ipſa fuiſſe longiora. Videamus qua in re Bellarminum Rex læſerit. Hæc enim omnia hactenus Pontificem petiere, niſi quòd in Bellarminum redundant, propter eam charitatem quâ Pontifici obſtringitur, ut ait Cydonius, *vt cui Pontificis dignitas multo charior ſit ſuâ.*

Circæa veneficia, & inauratas pilulas.] Quid? ſerione hoc Bellarminum ringi credamus? Nimis mollicellum eſt, nimiſq; venuſtum. Tum meminiſſe eum oportuit de *ſtratagematis Satanæ*, quibus Regiam Maieſtatem prior ipſe infamârat. Nec mediocre diſcrimen eſt inter hæc duo, utrum pilulam inauratam, an Satanam deglutias obuolutum. Ita ſemper eſt *aſperior* in dicterio Cardinalis, non ſolum *prior*. Quanquam hoc non ſane ſpectat ad unum Bellarminum, ſed ad omnes omnino qui contra Iuramentum Fidelitatis venire ſolent. Miſcent pilulas, condiunt potiones. Et ipſe quoque Pontifex hac accuſatione innectitur. Imprimis enim pingitur cum poculo in manu, & à Spiritu Sancto, unde bis iam propinarat Catholicis Anglis. Qui tamen & de *Diaboli verſutiâ* quàm putidè in Breui ſecundo?

Apoc. 17. 4.

Nec *caligo mendaciorum & falſorum criminum nebula*, unius Bellarmini propriæ ſint, ſed quotquot de Regis facto malè ſentiunt ſententiæve. Et vero aut nihil eſt omnino ſcribendum, aut ego non intelligo quomodo temperatiùs de aduerſario tuo aut ſcribas aut loquaris, ut ne dicam quali, (quod tamen plurimum intereſt,) & quàm atroci ſuſpicione tum laboranti. Porrò quod imprimis animaduertendum

fuerat,

fierat, ſi leuamentum dolori ſuo, non calumniæ materiem quærere vellent, nullius nomen hoc loco nominatur, ut nemo ſuccenſere poſſit, niſi qui prius de ſeipſo confiteri non renuerit. Sed charta linenda fuit ocioſiſſimo Græculo, & cum dogmatum ſubtilitatem attingere horreret, vel quia malo ſibi loco rem eſſe cerneret, vel quia captum ſuum ſuperarent, pompa modò ſpecieſq; inſtruenda.

Vita enim potius quàm hominem inſectatur, qui neminem nominat. Parallel. ad Lectorem.

Ridiculum verò. Eſt & illud in grauaminibus, quòd Rex *ſophiſticen* tribuat Cardinali, quam Louanienſes Theologi non dubitarunt tribuere S. Auguſtino. Vide notam in marg. ad l. 9. de Trin. c. 1. Σοφιστικὸν. Nedum recalcitret Bellarminus, ſi poſt tantum altercationum, alicubi *ſophiſticen* aut non ignorare, aut etiam factitare nobis videatur. Cætera quæ de *hallucinationibus* Bellarmini afferuntur, & *proditorijs propoſitionibus, & comparationibus minus aptis, citationibus* item ac *præteritionibus* locorum ſententiarumq; non ſatis ſinceris, tum ſiqua ſunt alia eiuſdem notæ, næ iſta ita accipienda ſunt, ſiquid ego iudico, ut quia ſemel Bellarminus *iuris publici* factus eſt, & libros edidit, & Pontificiorum ſe dogmatum patronum profeſſus eſt, arenamq; occupauit, non modo à Rege, & nominatim ſic laceſſito, ſed à quolibet ſcriptore ſatis modeſtè dici potuerint, cuius iudicium cum Bellarmini non congrueret, quantumuis Cardinalis eſſet Bellarminus, quantumuis oſtratus; etſi tum quidem cum hæc ſcriberet, nihil horum fuit.

Pag. 137. Editionis Pariſienſis, Anno 1586.

DELABERIS à ſtyli Regij exagitatione, ad famam Cardinalis opportunè ſarciendam, (eſt enim pro *illuſtriſſimo* totus labor ſuſceptus) quam grauioribus utiq; crimnibus appetitam ſciebas, inciuilitatis atque inſolentiæ in Sereniſſimum Principem, quàm ulla ab eo in Cardinalem non dico profecta eſt, ſed vel proficiſci omnino potuit. Sane Rex ſuum animum aperte declarauit qualis eſſet in Bellarminum, ſeiunctà hac nouiſſimâ eius temeritate, quòd in formulam iuramenti, atque adeo eàdem operâ in fidelita- CAP. 2.

tem subditorum, & in pacem Regni sui tam importunè incurrisset, cum de eruditione eius non vulgari tam sæpe & clarè pronunciauit. Quod tu testimonium eius non recte facis Eudæmon-Iohannes, cum necessitati cuidam vindicas & *hostes* edomiturę, non *sereno candidoq;* Regis animo. Alioqui nihil promptius est, quàm aut animum à virtutibus aduersarij tui auertere, aut omnia despicere ac proculcare, quamuis egregia. Sed ille obsecutus est bonitati naturæ suæ, & in ea contentione eoque feruore, qui sapientissimorum sæpe lumen animi præstinxit, retinuit inuiolatam iudicij constantiam. Vt non temerè *Serenitatem* Regibus demus. Sed hoc obiter. Quæ à Cardinali in Regem peccata esse dicimus, ea ad duo capita redigi posse censes. Aut enim in ignotum Apologiæ authorem, aut rectà in Regem ipsum redundare. Ac prioris generis nosti qualia, *Mirum quâ fronte*, &, *Nugas ac calumnias*, nec simplex iam calumnia, sed, *More suo Calumniatorem se prodere*. Quasi penitus inoleuisse hoc vitium dicas, & radices egisse. Inusitatum profecto Regijs auribus acroama, & longe ab illo distans, *Dominus meus Rex est sicut Angelus Dei*, ac quæcunq; nobis veterum modestia præiuit in eodem genere. Quod si hæc tu cum Bellarmino sic excuses, ut ignoratione veri authoris dicta esse respondeas, alioqui neutiquam dicenda, vide ne admissam quidem culpam fatearis, sed de erroris occasione haud ita facile persuadeas. Nam quem tu verecundè moderateq; ab illo scriptum ex eo tempore librum testem appellas, nos neque ut nimis reuerentem suspicimus, habet enim vestigijs impressam petulantiam, & clarissimus Elienſis hoc iamdudum conuicit. Vt omittam quòd aliud est simulare personam, temporis causa, cum te in suspicionem venisse scias, aliud nativum liquidumq; ingenij candorem afferre. Nec tamen mihi probas de ignoratione quod dicis. Facile est Cardinali inficiari quod sciat, facile occultare & effugijs eludere, non enim inuicem perviæ sunt mortalium conscientiæ. Sed erant eæ coniectu-

tæ, erant ſuſpiciones, quibus cum multò obſcuriores ſæpenumero offeruntur, vos tamen in noticiam veri ſolent inducere. Non latebat hoc Perſonium, illum indagatorem & ξυνιέτην, ſenſit mihi crede vobiſq; renunciauit, ac tantum abfuit uti ſtylum mitigaret, propterea quòd Regium partum agnoſceret, ut eo violentius locis multis conſoderit. Vt enim feras eſſe aiunt quæ cum hominem oderint, libentiſſimè imaginem eius diſcerpant, ſiquidem ad ipſum non queant accedere: ſic illum bis delectabat, & Regem in ſcripto ſuo ulciſci, cuius ad caput aſpirare non poterat, libentiſſimè alioqui peſſundaturus, & tamen quaſi in incertum tela deflectere, nec Regi interim videri niſi optimè velle. Idq; illum nos non *ſtemmatis* aut *inſignibus Regijs*, non magis quàm oſcinis cantu, aut alitis volatu deprehendiſſe dicimus: Sed ut araneas ait Agur & in palatio texere, ſic habebat ὑπαλίτας ſuos homo peſtilentiſſimus vbiuis collocatos, qui cuncta renarrarent, ad ipſumq; perferrent. Quod ſi ea quæ ad ſecretum ſæpe Regium pertinent, quanto magis quæ nec Rex ipſe diſſimulari voluit, & conſtanti ciuium omnium opinione ſunt recepta? Vbi tamen tu omittis de ſingulari quadam notâ, quâ liber ille præ alijs authorem ſuum declarabat, cum ita ſcriptum eſſet inſignibus literis in fronte operis, *Authoritate regiâ*. Quæ nec uſquam præterea adhiberi ſolita eſt commendatio, & ſine dubio novum aliquod atque inuſitatum loquebatur, & poſtremò, idem penè latinè ſonabat, ac ſi Regem eſſe *authorem* totidem verbis proclamaret. Quòd ſi aut ille quem iam dixi Perſonius perfuga, aut Card. Bellarminus, honorem in refutationibus ſuis habere Regi voluiſſent, næ illi aliquo loco ſeſe cohibuiſſent, timidius quædam locuti eſſent, addubitaſſent annon Regem ignari violarent, reſiluiſſent ex inopinato, ſeq; ipſi reuocaſſent, & quia nullum authoris nomen extare cernerent, non magis de Decano aut Chronographo ſomniaſſent, cum Rex præſertim Chronographum eiuſmodi nullum alat quod ſciam. Deca-

Paral. p. 13.

num habeat omni laude florentiſſimum, quàm de ſacra eius Maieſtate extimuiſſent. Sed Perſonio quidem ludus fuit ſic agere vt iam dixi, & Regium, quod ſemper oderat, tum etiam paulo impunius nomen lacerare, vt ſibi videbatur. Bellarminus etſi abeſt à Perſonianâ petulantiâ, tamen tenetur planiſſimè *incivilitatis*, nec honorem detulit Maieſtati quem debebat.

In Præfat. Ac quò magis hoc adhuc quaſi manibus teneamus, recordemur ſi placet quid Eudæmon hic Iohannes de ſe profeſſus ſit, ſub initium huius libri ſui, tantum abeſt vt tegendum putarit. *Nolle viz: ſe in L. litera quempiam agnoſcere, nolle Ciceſtrienſem Epiſcopum intelligere, ſed incertum duntaxat hominem pro ſuo arbitratu caſtigare.* Et tamen ita agnouit, atque ita intellexit primo ipſo Præfationis ſuæ verbo, vt qualis ante Epiſcopatum fuerit, qualis item poſt, non dubitarit pro ſapientiâ ſuâ nobis exponere. *Is in quem libellus hic cuditur* (inquit:) nota ſunt cætera, & nimirum tam plumbeo exordio conſentanea. Sed inde colligimus quantum ſatis eſt huic loco, quàm deteſtabiles ſint latebræ in horum hominum pectoribus, quàm inſidioſi receſſus in conſcientiâ Ieſuiticâ, & affirmare eos quæ neſciunt, & inficiari quæ norunt, & Cardinalem ipſum & aſſeclam eius (*Genium apprimè bonum*) Terentianum illud callere ad vnguem, quicquid ſtomachentur de lectione Comicorum, quaſi nollent hæc myſteria ſua omnibus patere,

" *Pol tu ſi ſapis quod ſcis neſcis.*

CAP. 3. TRES ſunt tamen rationes (inquit dæmonium hominis) quibus inductus Cardinalis meritò exiſtimauerit, Apologiam, cuiuſuis operam potius quàm Regiam redolere. Primò quòd laudes Regias locis aliquot interſperſas complectatur: Secundò quòd de Elizabetha tam honorificè pronunciet: Tertiò quòd in eam formam orationis tranſeat, quæ non modò Maieſtati tanti Regis non congruit, ſed vix vel ingenuitatem ſubditi deceat. Habemus ergo, vt

cit

eſt fatum, vtrinque iam excluſum ab Apologia Regem, & demiſſione nimia ſui, & rurſus immodicâ meritorum prædicatione ac oſtentatione ſuorum. An potius, vt ait ille, magno argumento eſt eum in vtroque moderatum fuiſſe, quia à vobis de vtroq; extremo reprehenditur? Vt & arrogantiæ crimen humilitas diluat, & humilitatem quam ei tribuitis, non vitioſam fuiſſe, ſed in laude poſitam, allegatio illa meritorum ſuorum alio loco declaret. Vtrinq; certè Rex Iacobus expeditus eſt. 2. Phil.

Sed quid ego te aſine ſchemata doceam? non opus eſt verbis mihi crede ſed fuſtibus. Nunquamne illud legiſti, ſi minus apud Rhetoras tuos, tamen apud Apoſtolum, *ταῦτα μετεσχημάτισα*? Et nota eſt ſapientis viri ſententia, *Gloria dei celare verbum, Regis autem inueſtigare ſermonem*: Iam quæ Dei ad Regem, eadem Regis ad ſubditos quaſi proportionalis conditio eſt. Sic igitur cognoſce. Cum Rex ſine appoſitione nominis ſui librum illum publicare ſtatueret, & tamen non recuſaret quin pro ſuo haberetur, vnde etiam (ut ait ipſe) *non nullis Principibus exteris ipſius nomine tunc oblatus eſt*, quid mirum ſi ex aliâ formâ identidem tranſeat in aliam, atque aliquid connitatur ſaltem & efficiat vt quantumuis celari diu poſſe diffideret, tardius tamen ad noticiam hominum perueniret, nec tam ipſo id agente ac ſtudente ſcilicet, quàm *libro* ſe prodente, aut *famâ* maxime: ne quod ille non niſi iuris ſui aſſerendi, & duorum incurſatorum reprimendorum gratiâ ſcripſiſſet, id titillatione quadam gloriæ, & nominis inter ſcriptores præpoſterâ affectatione, divulgaſſe videretur. Habes Sereniſſimi Regis conſilium, vel conficiendæ Apologiæ, vel etiam ſic edendæ. Quamquam Rex quidem ab initio nihil edere decreuerat, ac ne ſcribere quidem, iuſti operis inſtar, ſed tantummodò notulas alteri tradere, quarum ille ceu Theſeij fili ductu, Apologiam texeret, Marte ſuo. Ecce autem derepente iuſtum opus ſubnatum eſt, & mirè afflauit fortuna cæptis, vt ſupervacanea alterius cuiuſquam induſtria In Monitoria.

vide-

videretur. *Non est labor in Iacob, nec dolor in Israel.* τῶν ἀλλων τερμνεῖ πάλιν. Quod eo minus miraberis Eudæmon-Iohannes, quòd de singulari facultate, & plus penè quàm credibili Iacobi Regis in hoc genere, ne tu quidè te inaudiisse dissimules. Ita vides nec arrogantiam illa verba spirare, nec rursus indignã Rege humilitatẽ, quæ Bellarmino fraudi fuisse vis, quo minus verum Apologiæ authorem internosceret. Adde huc, quòd nec quæ de Elizabethæ laudibus meminit, nisi Regem tam inuidum esse tu fingas (quo nihil habet rerum natura dulcius) neminem ut laudari patienter ferat, vel certè tam ignarum, ut conciliare quæ dicis, & rationem facti sui reddere nequeat.

P. 12 Paral.

Sed quia caput maleuolum, & Iesuita germanissimus, tam multis verbis Regi obijcit laudationem sui, eumq; *vim verecundiæ suæ intulisse* dicit, cum quædam honorificentius de seipso scriberet, non disceptabimus hoc loco quatenus id liceat, quod tamen licere certum est, vt se aliquis aliquando laudet. Nisi Socratis factum damnare placeat, qui coram iudicibus positus, Prytaneum sibi voce sua vendicauit. Et tamen scribere quàm dicere concinnius est, pudoriq; nostro multo melius conceditur. *Tabellæ* enim, vt dici solet, *non erubescunt.* Rex autem Serenissimus non modo scripsit hæc de se, sed *sub alienâ personâ latens maximè*, vt & tute confiteris: & tamen scripsit id quod nemo bonus subditus in regno est, quin vltro præ se laturus sit, innumerabiles etiam exteri agnituri. Verum non disputabimus hanc causam vt dixi, verba ipsa modò breuiter inspiciemus, quæ tam odiosè proponuntur ab aduersario.

Regi sub alienâ persona latenti, non nisi licuit, quod sua ipse nomine non scripsisset. Paral. p. 24.

Pro paterna pietate qua est in subditos.] Ostendit hoc loco Rex Serenissimus, quid facturus fuisset, si Pontifex ea notasset, quæ in iuramento fidelitatis improbaret. Exempturus nimirum scrupulos illos, & ærumnas subditorum suorum leuaturus. Simul spondet quasi occultius, non degeneraturum se in posterum ab ea virtute, quam hactenus tam studiosè coluisset. Id quod re vera non magis Regi-

bus

bus glorioſum eſſe ſolet de ſe dicere, quàm volupe ſubditis ex ore audire Principum ſuorum. Sed beſtia Cretenſis nihil horum capit. Neque deeſt exemplum eiuſdem formulæ apud antiquos Imperatores. Conſtantinus de ſeipſo in Epiſtola ad Macarium; *Impetratum eſt à pietate noſtra.* Nec nomen diſſimulat, & tamen *pietatem* ſibi clarè arrogat. Eat nunc Ieſuita, & Conſtantinum Imperatorem, egregium vindicem Eccleſiaſticæ peruicaciæ, indecori inſimulet, quòd ſibi *pietatem* voce ſua tribuere auſus ſit. Theodor. Eccle. hiſt. lib. 1 cap. 17.

Quo loco non poſſum] In inuidiam vocata ſunt Regis Iacobi tempora, crudelitatis ſæuitiæq, neſcio cuius nomine. Semper enim malitia aliquid invenit quod arrodat, & nunquam ſatisfit audaciæ, ne ſi omnes quidem habenas laxaueris. Comparat ergo cum præteritis Elizabethæ temporibus, quamuis magnâ clementiæ laude celebratis, tempora ſua, & docet hæc multò illis tranquilliora extitiſſe, atque ab omni alieniora ratione ſæuitiæ. Cur, niſi ut immeritam à ſe labem propulſet? Et tamen nihil dixit, de quo *mutuum teſtimonium* rogare cogatur, aut in quod non iuretur vno ore ab omnibus.

Solum quod hodie tam feliciter adminiſtrat.] Diuinæ quidem hoc opis, non humanæ virtutis, fæliciter regnare. Quod proinde de ſe timidè gratèq, commemorat, non, ut tu putas, aut de ſuis viribus inſolescens, aut nimium confidens diuturnitati rerum ſecundarum.

Vltimum eſt, *quòd ſe propius ad Maiores ſuos accedere dicit, qui Regnum Angliæ tenuerunt, quàm Papam ad ſuos.* Quis enim vnquam Iacobo cum pietatis ac continentiæ præcepta concineret, *Sic Henricus ſe tractabat, ſic Edoardus?* Quin potius huius virtutem, nemo eſt qui non obſcuritatem afferre videat illorum laudibus, quamvis eximijs. Scimus autem quis Eugenio, *ſic Petrus factitabat, ſic Paulus ludebat?* idq; adeo cum res Eccleſiæ non tam profligatâ conditione eſſent, quàm deinceps fuerunt. Quare & Rex hoc veriſſimè dicere potuit, propterea quòd luce Rer. de Conſt. l. 4. c. 3.

clarius sic se res habet, & simul satis tempestiuè, quia à vobis *successio* importunè nimis crepatur paginis omnibus, cum tamen illa τρόπῳ non τόπῳ spectanda sit, *charismate* non *cathedra*, vt eleganter Irenæus. Vobis autem tam acres stimulos nunquam subderet hæc oratio, nisi non inveniretis quomodo refellatis, id, de quo tamen confiteri turpissimum ducitis.

Hic locus postulabat, ut illa non inulta referret Iesuita, quæ in clarissimum Episcopum Elienſem euomuit, & quidem aliud agens, *quòd maledictis ac blasphemijs operari soleat Domino suo*, Regi videlicet. Tam præclarè coniungit honorem Regis cum reuerentia Episcopi, & quo sit animo in utrumque ordinem docet, ut dignum saltum saltet Antichristo. Quinetiam addit non ita multa post, *os liberum vix ferre posse illa*, at quę tandem mi homo? *Maiestas Regia*, &, *Rex Dominus noster*. Quasi seruos nos omnes esse pronunciet qui in Regno viuimus, aut qui non sumus Pontificiâ seruilissimâ (ut sic dicam) seruitute illaqueati, i. parati ad eius nutum eiurare atque eijcere, & Regem, & rempublicam, & Maiestatem, & Magistratum, & omnia. Parumne verò indicat ex quâ secta sit? aut quæ sit Iesuitarum in Reges voluntas? Simile quiddam ante dixerat & conqueſtus erat in Præfatione, *Regium satellitium nunquam vacare carnifice & Tortore*. Credo non intelligit, & satellitium & vindicem Regi datum ab Apostolo, cum omne ius *gladij* ei transmittit. An forte conscij meritorum suorum, & impatientes iugi, extorquere volunt Regibus hæc sua arma Iesuitę, ac postremò etiam titulos ipsos abradere? Quòd si *Rex Dominus noster* non ferrur à libero, ut delicatus iste ait, quid *Papa Dominus Deusq; noster*? Quantum à pijs omnibus explodi debuit, siue seruis siue liberis? Tum si Deus dixit de Regibus *Dij estis*, & ita dixit, ut se dixisse moneat inculcetq;, *Ego dixi Dij estis*, quantulum est *Maiestatis* nomen illis tribuere, utiq; sub deo? Vsitatus certe titulus per hoc omne ævum, nec temerè à Loiolæ filijs refigendus.

dus. Nos leuiore non vtemur, hoc vulgari comes. vix ſumus. Tamen videte paululum & obſtupeſcite. *Regiam Maieſtatem*, &, *Regem Dominum noſtrum*, non ferit, quis? Non dico quod ſuſpicioſum eſt *Ieſuita & ambitiosus*, non quod repugnans, *aſſertor Pontificia vice-dei* in terris, ſed quod indignum, vah *Græculus*. Aſſentationem inquam vocat & contumeliam interpretatur, honorem illum quem de more exhibemus Regibus noſtris nos Britanni, vt eos *maieſtate* ac *dominatu* dignemur, *Myſia, Phrygia, Caria, Creta*.

DE *barbarie orationis*, & inuiſa crepidis Cardinalitijs *lutulentiâ*, omiſimus iccirco dicere ſuperiore capite, quanquam illuc incurrebat, quia fatentur eam vituperationem in *interpretem* recidere, non in *ſcriptorem*. Lætandum eſt aliquâ innoxium eſſe Regem, quem non ferè tardant in ſocietatem vocare culparum omnium. Atqui vtcunq; declinent, non perſuadebunt nobis hi homines, non eò libentius hęc *intorta* à Cardinali, *Regium* tum maximè *librum* mordente, vt illum quoque aliquâ ex parte perſtringeret. Sed quia Clariſſimus Elienſis ita interpretem ſubleuavit, vt nullius deinceps vnguem reformidaturus videatur, ne tuum quidem furialem Eudæmon-Iohannes, ſimulq; quæ à Rege diuinitus concipiuntur, ea non cuiuſvis facultatis eſſe fatemur pari ſtatim fœlicitate latinè transferre: nihil aliud nunc dicemus quàm Cardinalem Bellarminum qui fons eſt huius criminis, aliorumq; multorum, ſi prævidere potuiſſet in quàm turpem ſolæciſmum ipſe paulo poſt lapſurus eſſet, nunquam tam cenſorem de neſcio quibus barbariſmis futurum fuiſſe in miſerum interpretem. Pag. 5. Præfat. Antibarclaij ſui, *Relaturus igitur ſententias* (inquit) *illuſtrium ſcriptorum, viſum eſt incipere ab Italica natione*. Solæciſmus certe dignus qui à Chronographo Regio memoriæ mandetur ſæculorum omnium. Natum eſt hoc monſtrum in vrbe Româ, Anno. MDCX. ſub in-

CAP. 4.

signi purpurei galeri.

Restat contumeliarum altera pars grauior, quibus Regem affectum *à sciente* dicimus. Hæc enim hactenus tanquam in ignotum, sed notum tamen & compertum satis sine dubio. Neq; vero non, vt ille dux milites olim suos
1. Reg. 22. 31. in solum *Regem* iussit intendere, magnos paruosq; contemptim habere præ *Rege* omnes, ita *Rex* est in quem hæc omnis eorum molitio desudat, quocunq; alias collimare videantur, interdumq; & personas certas distringere. *Lo-*
Prou. 30. 27. *custæ sunt & non habent Regem.* Luculentum imprimis
Apoc. 9. 3. Monachi speculum, vt lectum à spiritu sancto scias, nec magis abdominis deformitate atq; ventris, quàm Regiæ authoritatis odio quodam capitali. Sed hæc alias. Nunc ad institutum. Sperat Hypertortus noster etiam hæc se excusare posse, quorum Cardinalis manifestò tenetur, manifestò inquam, atq; ita vt nullus flexuosæ tergiuersationi iam locus relictus sit. *Errani, nescini, temerè feci, abstentu-rus vtiq; si scissem.* His antea locus erat. Nunc non est. Causam oportet aliquam reddat tantæ suæ amentiæ. Primò quòd Regem cum Apostata exæquarit. Secundò quòd eum Christianum negarit. Tertiò quòd Sectarium in Scotia fuisse dixerit, & nimirum Puritanorum signiferum. Horreas in prioribus duobus lector quisquis es: in tertio etiam rideas, atq; ad te redeas, tantæ sunt ineptiæ. Singula videamus quam vim habeant.

1 De Iuliano hęc summa est. In multis discrepare nullus negat Eudæmon, in quo vtiq; probando, non est quòd se vehementius *torqueat*. Et tamen sic illustrat. *Ille Christianum nomen insectabatur, hic etiam gaudet eo, & sibi eripi indignè fert.* A vobis videlicet, & iure quidem. Eiusdem enim sceleris fuit Christianitatem ei adimere, & ad infaustum illum Iulianum aggregare. Sed cum Rex pro Christianitate aduersus vos staret, & iniuriam sibi fieri cœlo terrâq; testibus clamaret, conuicium illud de Iuliano ipse iugulauit. Summam verò similitudinem in eo ponit, quòd

in

in libris ſcribendis, ſtudijſq; tractandis, pariter quaſi verſari Rex & Iulianus videantur. Quanquam alia quædam ſtudia erant Iuliani Apoſtatæ, ridicula, leuia, turpia etiam & indecora, nec cum Regis vllo pacto conferenda. Vt recte hic locum habeat quod ait Poeta,

Sanctior hic, & non doctior ille fuit.

In libris autem ſcribendis, ſi conuenire eos ſciebas, antea ſciendi tempus fuit, cum monere Cardinalem amicè potuiſſes, hortariq; vt quia Rex interdum libros ſcriberet, veneratione Maieſtatis à maledictis in Apologiam abſtinere vellet, potius quàm ſe ignorantia deinceps defendere. Sed nulla tum ſimilitudo niſi *idololatriæ* ei occurrebat, & *inſignis impoſturæ in Chriſtianis ineſcandis*, quarum alteram ſimplicitas naturæ Regiæ non recipit, alteram rationes veſtræ vobis vendicant planiſſimè. Vide verò ne tute ipſe eam artem factites quam Regem à Iuliano hauſiſſe contenditis. Si enim rectè modò aſſequor ratiocinationis tuæ ſummam, quia in ſtudijs ac literis conueniunt quodam modo Rex & Iulianus, ideo eſſe vis vnde & in ſcelere exæquari poſſint. Quod Iuliani ſtratagema fuit, vt vicinitate icunculorum imponeret imperitis, & quia res erant coniunctæ imago Regis & idolum, alterum venerantes ad alterius venerationem, quaſi *per cauſſam*, pertraheret. Sic tu inquam, quòd doctrinæ ſtudiorumq; ſimilitudine, hoſce tibi ambos copulaſſe videris, copulari item poſſe cenſes flagitiorũ communione, Regem & Iulianum. Enorme conuicium, ac proinde tibi meritò per guttur deglutiendum. Quanquam mirè quoque claudus eſt in applicatione ſuâ Cardinalis. Nos enim à veneratione Regis ciuili, non progredimur ad venerationem, vt ibi factum) idoli, ſed ad execrationem potius, id eſt, Papæ. Iuramenti quidem formula vt à Rege incipit, ita in eodem deſinit, vt ſimilior fortaſſe fraus futura fuiſſet, ſi Regem cum Papa, quaſi Imperatorem cum idolo, in eodem labaro, veneraremur.

Sed *Athanaſius Conſtantium cum Pharaone comparat*. V-

tiam ab Athanasio vobis petere placeret exempla reuerentiæ Regibus debitæ. Soles tu quidem per contumeliam Clarissimum Episcopum vocitare *aulicum*. Quod quanquâ nullum crimen in se complectitur, ab aula non abhorrere, singularem autem laudem, Regi Serenissimo ad operas præstò esse, cum benedictionem eam Iacob Patriarcha moriens Asero suo non infimùm dilecto mandasse dicatur, *vt delicias daret Regi, Gen. 49.* tamen mentiar nisi & Athanasius tantum abfit à *rustico*, qualem vos eum informasse vobis cogitatione videmini, vt *aulicum* non rarò agat & exquisitissimum. Vide si placet Apologiam eius ad Constantium, quâ totâ tam comiter illum affatur, vt mireris in Episcopo tantum blanditiarum tantumq; dulcitudinis. Cuius primo ipso verbo (ne alia scruteris) eum vocat Christianum, & Christianum à multis iam actis annis. Vide verò. Nec Iulianum, vt Tortus, nec parum Christianum, vt parum Christianè vtrumq; Tortus de Iacobo Rege, imo parum humanè, & ex tuo potius ore *Eudemon-Iohannes* quisquis es. Sed quò mihi quæ Athanasius dicit de Constantio, ad Iacobum Regem inquinandum? Rex Iacobus tam non est Constantius, quàm nec Iulianus.

CAP. 5. 2

ECQUI vero faciliùs probaturum te nobis speras, licuisse Cardinali Regem Sacratissimum deoq; charissimum, subitò de Christianorum cætu dispungere? Extremum hoc esse solet suppliciorum omnium, cum tota in aliquo offendit Ecclesia, doloremq; suum non vsitato more persequitur, vt fit *sicut Ethnicus*, vt ne amplius *pro Christiano* habeatur. Cardinalis huc non gradibus sed præcipitatione descendit. Est violentior & effrænatior ipso Paulo 5. quem tamen in temeritatem propensiorem audieramus. Delet quos vult, quos vult scribit, conscribit, Christianos. Nec religioni parcit, nec Maiestati quidem. Quid amplius facere posset si Cathedram insideret? Vsque adeone ei lenta videtur mors Pauli, vt inuolandum ante tempus, &

extor-

extorquendum tanquam *inutili* Pontificatum censeat, armaq; sibi illa decretoria administranda? Nunc demum intelligo cur *religata Tigris*, quæ soluta si sit, turbas det. Sed bonus homo hoc defendit Eudæmon-Iohannes, *Christianum sic dici quemadmodum hominem, qui non statim* (inquit) *intelligendus est animal rationis consiliiq; particeps* (ne si quidem pro hominibus Christum mortuum esse dixero) *sed nimirum vt pictura, aut stramineum aliquid fanumve, nisi* VERI *vocabulum apponatur*. Eodem modo Christianos alios esse *pictos*, alios *veros & genuinos*, qui soli *Catholici* sint, id est, vt isti sentiunt, de fide Romanæ Ecclesiæ suspensi. Ita primi Christiani forte dicti sunt Antiochiæ, sic enim legimus in Actis Apostolorum, primi Catholici in vrbe Româ. Sed hoc non extat, & nescio vnde probetur. Cretensium Pythio credendum est. Quanquam autem hæc omnia ex conclavi prodeant, & divinam Sixti sapiant philosophiam, *Regem occidit non pictum sed verum, non adumbratum, sed ἐνυπόστατον*, tamen minuunt profecto parricidæ laudem, cum ad tuas perversissimas rationes accommodantur Eudæmon-Iohannes, & debilitant animos consimilis gloriæ cupiditate succensos. Quem enim Castellum illa permulsei int, aut quem Ravailliacum, vt se certissimo periculo exponant? *Christianum occidit non verum sed pictum, non solidum sed adumbratum*, & quæ sequuntur, valde vobis cauenda prouidendaq; Iesuitis, nisi artem hanc definatis incitandorum iuuenum in necem Regum. At etiam Augustinum nobis allegas, quasi ille furioso vestro conuicio suffragaretur. Qui non modò Regiam fidem nullo loco reprehendit, eandemq; cum suâ esse libens agnoscit, sed ipsos etiam hæreticos includit *intrà Societatem nominis Christiani*, & includit inquam illo loco quem tu citasti, & ad longum recitasti homo stultissime. Vt intelligamus quanta religio fuerit sancto Augustino, quenquam hoc dulcissimo nomine privare, quamvis alienum, quamvis extorrem, quod suavis homo Cardinalis aufert & Regi, nihil hæsi- Pag. ad. paral.

hæsitans, & tam divinâ pietate conspicuo. Christianum certe hominem negare eum qui Ecclesiastico sacramento infans imbutus est, nec morum pravitate tantum nomen dedecorat, & pacem Ecclesiæ perstudiosè colit, & Scripturas recipit, & in tria Symbola, & in quatuor Concilia iurare paratus est, atque à nullo pietatis munere abhorret, solas Traditiones quasdam rancidas non admittit, quas tamen & sapientiùs quàm quisquam ante se expendit, & maiore animi moderatione repudiat, nimis magna indignitas est, quicquid vobis videatur Christianitatẽ perosis, & in Iesuitismo demersis, quorum *cito arescunt lachrymæ in alienis malis*, aut fortasse non curatis quo alio magistro censeamini, dummodo *ad Cathedram* firmiter adhæretis. Ac venit mihi in mentem hoc ipso loco, quod sanctus Paulus de se dixit olim, Non esse se *hæreticum* quicquid illi blaterarent, propterea quòd *crederet omnibus quæ in Scripturis continerentur*. Nihilne istud Iacobum Regem subleuabit? Sed nimirum vt alibi nescio quis de eodem, *Hic homo salvus esse potuisset, nisi ad Cæsarem appellasset*, sic defensio Primatus, & eorum iurium recognitio quæ deus Coronæ indissolubiliter annexuit, non patiuntur Regem nostrum esse Christianum, alioqui innoxium. Vt illa tibi spuma resorbeatur *Cerbere*, quâ Regem *cerebro* suo credere dicis, quasi vos non credatis alieno, eiq; interdum tam insipido, vt literas nesciat, sicut ipsi proditis. Delectum autẽ seruare, & discrimen quoddã ponere inter ea quæ credat quis, & quæ reijciat, probri loco obijci à te non oportuit, qui Apostoli illud meministi de *Exercitatos habentibus sensus πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ*. Et iterum, *Omnia probate, quod bonum est tenete*, &, *Nolite omni spiritui credere*, &, *Decipient si forte ipsos Electos*, & quę multa legimus in eandem sententiã. *Sed e Christi decretis*, inquis, *quadã seligit quæ reijciat*. Quod immane mendaciũ esse, sed inane conuiciũ, perspectũ facile ij omnes habent qui Regem vel tenui noticiâ salutarunt, & repellitur iamiam à pietate diuinissimi Principis, & nus-

Act. 24. 14.

Act. 26. 32.

Pag. 16. & 17. Paral.

Sanderus de Papis, in Demonstrat. de Antichristo.

quam

quam inſidet, & noſtra refutatione opus non habet, & vt tuto in aquam intectus refrigeratur, ſic notiſſimâ ſanctitatis eius famâ extinguitur. Quòd vero diuinas, & vatem agis, *negaturum quæ modò credit ſimulac minus arriſerint*, auget audaciam, ſed eleuat fidem tuam. Quis enim tibi credat de præteritis inſimulantis, aut aſſentienti præſentia, qui non dubitas & futura vel potius nunquam futura, pro ſingulari tuâ ſtolidinate, tam confidenter impingere. Nec magis nos mouet *Παλιλλαλία* tua quàm *μανία*; *Solos fideles Chriſtianos eſſe, ſolos autem Catholicos eſſe fideles*, & quæ iam inde Chryſippus noſter concludit, vt Regem Iacobum non Chriſtianum eſſe vincat. Quaſi nos tibi largiamur de crepto *Catholico*, & *hæretico* impacto, vt parum ſit appetita tam impudente ſicario, niſi totum Fimbriam ſinu excipiamus, aut quaſi etiam ſi de ſpinis tuis laboraremus, non poſſemus ſic diſrumpere totum illum implexum, quòd & ſchiſmatici (quos vocant) non ſint Catholici, quibus tamen nullum dogmatis vicium adhæret, ſed affectûs tantùm. Ad extremum ſe corrigit, & quædam *catachreſtice* dici poſſe concedit, ſiue *per abuſum*, quæ tamen aliter ſe habeant. Quem iſti modum loquendi niſi probè didiciſſent, nunquam tam infando convicio Regem conſperſiſſent.

VACAT ergo pars illa tota quam huic proximè adiungis de non parcendo reæ ne Maieſtati quidem. Regis enim neq; fides non Chriſtiana declarata eſt, neq; facta cum Iuliani vllo modo conſpirantia. Quamquam abſurdè Cardinalis cum *Chriſto* confertur, vt quia Chriſtus Apoſtolum ſuum Satanam dixerit; ideo ille Regem pro libidine Iuliamum. Nec quod *Paulo* in Galatas, illi licet in Iacobum, quos quod ille faſcinatos ab eo dictos ſcribit, repugnat ei præter alios S. Iohannes Chryſoſtomus, qui inuiſum potius eſſe putat illorum flori Chriſtianitatis tùm primulùm pubeſcenti atq; iterum peremptо. Nec abrupte vocauit eos

CAP. 6.

Refutantur argumenta Paralleli pro laceratione Regum, pag. 18. ab exemplo Chriſti. 2. Pauli 2. *Ibidem.*

non Christianos, sed molliore vocabulo, & sibi subiectos, & tamen durius aliquid merentes, increpuit. Miror autem quòd populares tuos, *pigros ventres*, & *malas bestias*, ab eo insignitos ad omnem memoriam, sic dissimulaueris. Nisi forte te puduit. Chrysostomus certè quem iam dixi, vtrumque coniungit. Hom. 5. in S. Paulum, tom. 8. D. H. Sauil.

Nathanis 3. Quam longè vero abest à *Nathane* Pontifex? Nam Rex quidem (est deo gratia) cum Dauidis nihil morbo commune habet. Illa Paparum potius est contagio. Sed Nathan *obvolutum mollibus ferrum scitè adegit in locum purulentum*, vt ait Gregorius in Pastorali. Vestra hæc carnificina est non medicina, qui scalpellum primò ad sana membrorum adhibetis, deinde nimis efferimini intemperaneâ sectionis, neque vllam medicandi nostis argutiam. *Sauli* autem non suum sed diuinum Samuel mandatum exposuit.

Samuel 4. Neque quicquam tamen durius in illum dixit, quàm quidem *peccasse*, & *perperàm egisse*, quod Hebræis *stultitiæ* vox significat, nobis inuitior. Nam quòd *rerum dominos* appellas Reges, est illa appellatio à probatissimis quidem ductа authoribus, atque vtinam altissimè tibi semper insideret. Minus contra Primatum Regum contenderes, intelligeresq; ijs cuncta sub deo subiecta, (de ijs loquor quæ incidunt in vitam humanam) & res & reculas, nec Prædicamenta tantùm, vt vos Logici loqui soletis, sed etiam Transcendentia. Eò enim nisi fallorrei notionem Dialectici relegastis. Quod & Spiritus sanctus illis mihi verbis significâsse videtur, quibus summum Christo imperium tribuere

Apoc. 1. 5. volens, imperium ei tribuit *in Reges terræ*. Cætera enim Regibus, Reges soli Christo parent. Postremò ex Athanasio iterum argumentaris pro libertate reprehensionis, ex Athanasio inquam. Quem etiam solum ex omnibus citaturũ te significas. Quasi ille occultari sua scripta non postularit, acriora præsertim, quæ tu omissis cæteris, in tanta varietate sacrorum authorum, producere & promulgare amas Eudæmon-Iohannes. Tam præclarè succedis in laudes

Chami.

Chami. In Epiſt. ad Serapionem: *Newini* (inquit) *harum literarum exemplum edas, aut tibi ipſi tranſcribas: nam hoc ipſum* MONACHIS *quoque iniunxi.* Vides Monachos & ſolitarios ab invulgãdo deterritos. Sed tu nullâ conſcientiæ lege teneris. Dicis porrò te non diſceſſurum ab eius illo monumento, quod ſcripſit *ad ſolitariam vitam agentes.* Malleni tamen ad congreges, & in vrbe viuentes. Forſan authoritati libentiùs deferrent. *τῇ ἐρημίᾳ ξυνοικὸς ἀνθρώπους*, Nazian. vt obiter invertam Sophi dictum. Sed oſtendimus iamdudum de Athanaſij modeſtiâ, quam conſtanter obſeruat in alloquijs ad Conſtantium. Quæ ſecus, nec ille ſine ratione, nec vos tantillum adiuvant, quorum alia cauſa eſt Regem conuenientium, & diriſſimum ei convicium in os intorquentium.

CAP. 7. 3

TERTIUM adhuc reſtat maledictum *de Puritano.* Sed hoc ridendum magis quàm refellendum eſt. Quaſi *pinnas ex Capitolio* eum *furatum eſſe* dicant, vt ait Plautus. Cui enim non ſunt notæ rationes Regiæ? Sed videte colorem. Nititur ſiquidem authoritate ſolâ ipſorum ſectariorum, commendatione Regij nominis partes ſuas illuſtrare & decorare cupientium. Quod & olim Donatiſtæ, & ante eos Ariani, cupidiſſimè fecerunt, vt quo maiorem ſibi fidem apud imperitos conciliarent, Imperatorem ſibi largiter fauere dicerent, cum is in eos animo eſſet vel infenſiſſimo. Quanquam tu quidem obſcuritatem captaſſe videris, idq; de induſtriâ deſcribendis hoc loco Miniſtrorum verbis. *Nec huius decreti V. I. Regia maieſtas ſua nobilitas & clerus Scotiæ, contra diſciplinam inibi ſtabilitam omnino obloquantur.* Quod iſtud *ſextum decretum* ſit, ego me non tã Sphingem eſſe fateor vt intelligam. Et ſi illud intelligerem, tamen oratio non cohæret. Expediant qui poſſunt. Vt ſepiæ atramento, ſic tu typographo tuo multum debes, quoties in aprico verſari reformidas. Niſi fortè non intelligitis Anglicana noſtra, nec tu, nec interpres tuus, vnde hæc Obſcura oratio Paralleliſtæ p. 20.

vertenda vobis fuerunt scilicet, vt necesse habeatis sic per nubem eloqui. Sed eo æquiores in Apologiæ interpretem esse debebatis, apud quem nihil tale vspiam occurrit, quale est *abuti maiestate vestra*, pro, *mendacium spargere in iniuriam Regis*. Abusus est Fanensi Cherio Aloysius. Si nescis quid hoc sit, quære à Magistris tuis, qui te nihil sapere non valde mirabuntur. Impudentissimè autem factũ, quod Regem Knoxiano nomine oneres, à cuius institutis ille semper dissensit, quem vnà cum gregalibus suis vbiq; detestatur, & cum in Rempublicam incidisset ab illis perturbatam, pœnas potius pertulit eorum temeritatis, quoad quidem se collegendi potestas fuit, quam assensum suum vllo modo accommodauit. Nam quod Tortus ille ad hunc locum impudenter addiderat, *Persecutorem Protestantium in Scotiâ fuisse Regem*, id meritò taces, quia vides συνοφάλε δόγμα fuisse, cui nulla tua facultas sanando sit. Simul discimus ex hoc loco, quantum fidei vobis tribuendum sit, de *persecutione* vestrorum hominum Regem infamantibus, ex quo in Angliæ Regnum successit, qui tam subitò resilitis ab eo ipso conuicio, quo alienos ab eo grauatos notarâtis, de quibus tamen incorruptiùs iudicare soletis. Dixerit etiam fortasse aliquis te in ingenio Puritani non parùm hallucinari, Eudæmon-Iohannes. Non enim tam simplici disciplinæ diuersitate spectandum esse Puritanum, quam præfractâ oppositione quadam, contemptuq; earum legum atque rituum, qui in Ecclesiâ obtinent, cuius ipse membrum est. *Filia* enim *Regis circumamicta varietatibus*. Vide Augustinum Epist. 118. Et fuit tempus cum ne ij quidem qui leges aliquas Ecclesiasticas condunt pro decoro, leges eas seruarent, puta antequam conderentur, quos tamen Puritanos ea de causa non dicimus. Ita non, quid non facias, sed quid contemnas tum cum decernitur, interest scilicet. Sed hæc hactenus. Cardinali illud potius videndum fuit, *Religionem* à se *desertam* quomodo excusaret, & sola *galeri* ambitione desertam, quàm alterum arcesseret

Puritanus.

Psal 45.

abura-

abiurata fidei, sine vllo fundamento. Sed hæc hactenus vt dixi. Appellendum ad metam est, vt aliquem habeat oratio modum.

Quòd Iacobum Regem proprio interdum nomine appellatu Cardinalis, nulla reprehensio est, sed quòd plerunque à titulis honoris abstinuerit. Tu autem illud *interdum* ex tuo assumpsisti, & totum accusationis genus permutasti. Atqui animus, non oratio est, qui ob Elienſi arguitur, nisi quòd ille per hanc rimulam se prodit aliquoties, parum candidus in Regem, & maleuolentiâ suppuratus. Quòd ad Euangelistas prouocas qui Seruatorem locuturi, *Iesum* nominant, nullâ præterea honoris mentione, primò satis temerè quòd sic statim ad Scripturas, in hac quidem causa. Quasi ab illis *ciuilitatis* repetendæ sint formulæ, quæ *simplicitatis* potius magistræ relictæ sunt ad omnia. Nec illæ cum de Petro verbi gratia loquuntur, *Sanctitatem eius* vocant, nec Lino aut Clementi suum nomen immutant. Et tamen legimus in Epistolis, τῇ τιμῇ περισσοτέρᾳ, quod quidem Cardinali præire poterat ad paulo maiorem reuerentiam, etsi genius patriæ alienior foret quàm est. Deniq; illud imperitè, quòd in nomine *Iesu* tantum opum inclusum esse ignoras, vt sola commemoratio eius ei satis honorata sit, quæ & nobis nimirum exstitit tam salutaris. Rom. 12. 10.

Idem de titulo *Serenitatis* dicendum est. Quem non rectè profectò sepultum vultis Iesuitæ. Tu autem ludis in verbo; &, *Non est* inquis *verendum ne tam parum sit pendoris in Regio nomine, vt nisi serenitas ista addatur, nubilum per se ipsum atque obscurum futurum* sit. Vellem verò modestius de Regibus posthac Eudæmon-Iohannes, præsertim quando id agitur quod Regum omnium commune est, quod & suo quisque capite non posterius ducit, qui sapit modò. Honorem dico. Aut ἄκαιρα aut ἄδικα ait ille. Et, Daniel obseruauit Chaldæorum formulas, *O Rex in æternum viue*. Quanquam putes indignum vel persecutori vitam, vel æternitatem mortali exoptare. At sancto Danieli secus

visum est. Et ante eum Ioseph in Aegypto constitutus, iurauit non dubitantèr *per vitam Pharaonis*. Tantam ingenerauit in pectoribus piorum reuerentiam Spiritus Sanctus erga Maiestatem.

Vltimum est de *Rege Anglorum*. In quo iure reprehenditur ab Episcopo Bellarminus. Cur enim hoc potius quàm *magnæ Britanniæ?* Non ferunt mulctari se provincijs suis Reges. Si verum quæris, ne stylo quidem. Nec est quòd ferant. Illene ferret si quis pro Cardinali salutaret Carnalem? nec Pontifex si tertiam ei literam detraheres. Quòd si negas in Italia quenquam esse è vulgo, qui Regem ex ijs verbis intellecturus sit, si *Rex magnæ Britanniæ* dicatur, primò perineptè, cum Bellarminus non magis vulgo scribat quàm Lucilius, & imprimis quidem *Regi* se probare debuerit, totumq; scriptum suum, cuius tunc in librum importunus incurrebat, Rex autem suum titulum ignoraturus non erat; quicquid *cerdones Italiæ* fecissent. Deinde facis iniuriam genti non hebeti, vel potius peracutæ, quòd eius stupore atque tarditate, Cardinalis rus infacetiasq; defendis. Sed audite epilogum.

Nihil igitur *est cur Regem contumeliosè à Torto tractatum &c.*] Imò est quòd eum hominem nunquam *ortum* optetis quem *Tortum* agnoscitis. Tibi dico & confirmo, Eudæmon-Iohannes: obnunciastis salubertimis Regis decretis, illusistis accuratissimis eius scriptis, Maiestatem & Coronam nullo loco habuistis, detraxistis ei de laude incomparabilis pietatis, euacuastis eum à Christo quantum in vobis fuit, & in dirum illum horribilemq; Iulianum transformastis, mitissimum genium & patientissimum commouistis. Deniq; *retribuistis ei mala pro bonis*. Vt quanquam ille pro excellenti, quâ est pietate, hæc vobis remittat vniuersa, nec ius suum persequi gestiat, vos tamen illa expectent quæ in eo Psalmo sequuntur, si minus humano consilio, at diuinâ prouidentiâ quamprimum luenda.

Psal 35.

CAP. 8.

POSTQUÀM Torti innocentiam in ſuperioribus ſatis abundè ſe probaſſe exiſtimauit, vertit ſe deinde vir optimus, ad Clariſſimi Elienſis *menſuram condemnationis* exaggerandam. Atque vt omittam quæ in illum conuicia eructat, quia non habebimus eum honorem impuro rabulæ, vt vel tantillum detergendis eius virulentijs immoremur, qui eo imprimis loco (vt eſt amens) bacchatur, quo Clariſſimum ipſum virum *contumeliarum* poſtulat, veniamus ad illa miræ grauitatis præludia. *Quàm indignis modis antiquitatem lacerat? quam nulli parcit, etiam vetuſtiſſimo, etiam ſanctiſſimo, etiam doctiſſimo, Patri?* & quę cætera contexit eâdem eloquentiâ. Vt ſi qui egregium illum virum ignorent, (quanquam quò non illius fama penetrauit?) monſtra quædam ſuſpicari de eo neceſſe habeant; quotquot autem ſciunt, & quo ille ſit animo ſemperq; fuerit in antiquitatem intelligunt, diſcant Ieſuiticis nec dictis nec maledictis temere erodere. τῶν κρεῖττον ταῦτα οὐ μέλει. Sed pergit in furore ſuo, & vnos mortuoſq; ab eo traductos lacerato ſq; demonſtrat. Primò Martinum Turonenſem Epiſcopum, quem illi auctorem faciunt *legis poculorum*, vt & Diaconus prior Rege bibat. Non excutiemus hiſtoriam de quâ abundè Elienſis, & ne latum quidem vnguem vel à modeſtiâ diſcedens vel à veritate. Quanquam res eſt tota inanis grauitatis, vel potius plena ſtultitiæ, vt ab illis premitur. Vtinam verò contenti eſſent Regibus *prabibere*, dummodò manum ſuam mortiferam à poculo abſtinerent, & toxicum, vt Iohanni Regi noſtro, non propinarent. Sed quid Elienſi temperatius, qui cum & alia, & Maximum illum, ante quem honorem poculi Presbyter occupauit, non eſſe legitimum Regem docuiſſet (nec * omnino à Maximo ipſo negatum) ac proinde hoc ad Rhombum nihil attinere, *ſimpulum fluctus non facere*; concludit denum in hæc verba. *In Martini exemplo magis Maximi patientiam quàm Martini modeſtiam eordatis lectoribus eordi fore.* Quod omninò temperatiſſimè dictum eſt ab Epiſcopo, & ita patien-

Parall. p. 25. & ſequent.

1

* Apud Sulpit. c. 23.

tiam

tiam Maximo asserit, vt Martinum modestiæ laude non spoliet, quicquid hic Margites stupiduſq; autumet, qui immodestiam Martino itemq; Sulpitio, insipientiam toti aulæ Imperatoris ascribi hoc dicto clamitat. Quòd si Melchior ille Canus de Augustino & Ambrosio, non si quid illi olim dixerunt fecerunt ve, id statim in exemplum trahendum esse, *magnis quibusdam & diuinis bonis affectos esse illos*, vt sibi licerent quæ nobis non licent, forsan etiam singularis de Martino opinio, veniam aliquam ei daret magnificandi Ministerij sui inter aulicos, in quo nimis tamen absurdè vnicum hoc eius heterogeneum factum in legem abiret apud posteritatem.

In locis.

CAP. 9. 2

PROXIMVS est B. Gregorius cui *libidinem animi* obiici dicit ab Episcopo, propterea quòd *libuisse* ei affirmaret Monachos suos huc mittere. Præclara sine dubio ratiocinatio, & digna in quâ operæ nostræ conterantur. Nimirum deerat huic Saranæ bolus, & coactus est *ex lapidoso panem* petere. *Libuit Gregorio*: Ergo *impulsus fuit animi libidine quadam*. Quasi *libido* non semper in vicio ponatur, quod *libère* dicimus non semper. Libet enim & ieiunare, & pro patria bellare, & stipem dare, in quibus rebus nihil est cum libidine coniunctum, nihil à sanctitate & virtute disiunctum. Sed perge porro. Gregorianos quoque nuncios quos in Anglian destinauit, per contemptum *Monachos appellari* ab eo dicit. Quod quanquam longissimè aberat à sensu Episcopi, qui Monachum monachum vocare didicerat, σκώπτων σκώπτον, tamen si quid contumeliæ in se vox haberet, illis potius vitio vertendum erat, qui nomen Monachi infamauere flagitio, & in contemptum odiumq; vocauere. Aristippus olim nisi fallor oleo apud igniculum commodùm delibutus atque refectus, Male sit (inquit) corruptoribus rei tam salutaris. Quod eodem modo dici & de Monachatu potest. Ac fuit quidem tempus illud cum non paruo ornamento essent rebus humanis Monachi, cum

Senec.

pars

pars ſplendoris Eccleſiaſtici penes illos conſiſteret, cum & nive puriores & ſapphiris potiores continentiâ coruſcarent. Sed abijt ea ætas, extincta gens eſt, nihil horum non modò in moribus, ſed vix iam vel in chartis ipſis ſupereſt, adeoq; in Platonis non verſamur republica, id eſt, patritam atque auitam illam integritatem non retinemus, vt in teterrimorum temporum fæce volutemur. *Velut lutum plateārum conculcati ſimus.* Pro templis ſancti ſpiritus, pro terreſtri paradiſo, pro Angelorum concilio atq; cętu, quorum olim tibi ſpeciem Cœnobia retuliſſent, in porcorum volutabra, & lupanaria Satanæ, & obſcœnarum alitum caueas ſtrenuè degeneratum eſt. Non negauit hoc Waldenſis impingenti adverſario, quamvis patronus veſter inter primos, nec potuit negare. Sed & multi præterea veſtrũ acerbiſſimis verbis, eandem querelam perſecuti ſunt. Cuius rei te conſcientia fortaſſe permouit Eudæmon-Iohannes, vt nomen ipſum Monachi ſtatim vt increpuiſſet ex ore Epiſcopi, ad contumeliam & ſannas ſpectare opinarere. In quo tua tibi imaginatio, & reatus publicus, fraudi fuerunt. Ille enim nihil aliud propoſitum habebat, niſi vt rem ſic exponeret, quomodo nudè ab hiſtoricis narrari meminerat, alioqui non *ſuos Monachos* quod te adeo vrit, ſed *Monachos ſues* huc immiſſos dicturus, quales poſtea quidem permulti inter nos ſtabulati ſunt, ſi corruptelas veſtras perſtringere, & ſtomacho ſuo ſeruire, non autem rem geſtã ſimpliciter ſic eloqui quæſiſſet. Quid eſt lector? Satin' forte adhuc perſpectum habes huius hominis ingenium? *Qui ambulat per inaquoſa. & non invenit requiem,* quia nihil habet quod conferat in ſanctiſſimum Antiſtitem, vndique quidem tutum, ſed incorruptæ antiquitatis inſucata veneratione longè tutiſſimum. Illi tamen ſuus numerus *contumeliarum* adimplendus erat, *lateres ſine palea ſtraminibusve* formandi, duro domino, inexorabili Pharaoni, (eſt enim ex *ergaſtulo* Matthæi *Torti*) & laceratio æui priſci fingenda ibi aliqua, vbi nihil niſi religio eius ſube-

rat mera. Denique non figeretur, non consisteret omnino, sed resiliret sua sponte, sed euaneſceret actutùm tam perdita calumnia, nisi recentioris sæculi prauitas & *Monachorum* infamia, apud malè sibi conscios, locum aliquem faceret importunæ suspicioni. Hæc hactenus.

Nec maioris est ponderis de *nouæ fide huc introductâ* criminatio. Quam ita demum hærere & persuaderi posse iudicat, *si modò* (inquit) *diligenter attendas*. Egò vero id iam ago, & quantum possum attendo, nec dum tamen percipio, quid hinc aut in Monachos illos, aut in Gregorium nostrũ probri recidat. Si enim illi Christi fidem hic & ante appulsum suum florentem inuenere, quid est quod de se detractum eam ob causam arbitrentur, & aut vetustatis nomen repudient, aut opinionem nouitatis præposterè ambiant? Nonne quò altiùs quisque infixam relligionem fidemq; Christi annunciat, & quò plurium sæculorum diuturnitate roboratam, eò tibi fælicior prædicator videtur, & ab omni fraudis suspicione protectior? Ita tu, non Episcopus, Gregorium *nouæ fidei* authorem facis. Cur autem invideas Britanniæ nostræ, communionem Evangelij, ante hæc non vetustissima Gregoriana tempora? cum S. Paulus vel suo sæculo ad Colossenses scribens, *fructificare id* aiat *in vniuerso mundo*, quod sæpissime huc relatum à Cardinale norunt, qui in eius libris versati sunt; nec authores desint qui alios quosdam designent Anglicanæ vineæ plantatores, & nominatim illum ex hortulo suo Arimathæum, siue etiam, vt quidam, Simonem Zelotem, ad quos Gregorius collatus recens est. Quid ego nunc Patrum testimonia congeram de Britanniæ nostræ conuersione ad fidem, longè ante Gregorium hunc natum? *Britannorum inaccessa Romanis loca subduntur Christo*, inquit Tertullianus. *Terra Britannia consensit* (& ipsa) *in religionem Christi*, inquit Origenes. *Insula Britannia extra hoc mare sita, & in Oceano ipso posita, sensere* (inquit Chrysostomus) *virtutem verbi dei*. Atque etiam elegantius, Tom. 8. Edit. D. Henrici Sauil. p. 111.

Niceph. l. 2. c. 40.

Contr. Iud. Hom. 4. in Ezech. Homil. Quòd Christus sit Deus.

con-

concione, ὅτι χρήσιμος ἡ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσις, &c. ὡς μὲν ἐπίλαρος συλλογίζεται τῷ φθόγγῳ, ἐυσεβὴς δὲ τῇ ἴρίσει: Præclarum teſtimonium. Similia habent [a] Athanaſius, [b] Theodoretus, [c] Hilarius. Sed tibi nihil latis eſt, niſi cum *nouâ* huc *fide ſuâ* venerint Monachi, & Gregorius parens Eccleſiæ noſtræ conſtituatur, vt qui fatum huius Eccleſiæ non habetis in manu, vt eam cum velitis deleatis, de primordijs eius vſque aſſignandis litigetis. Et ait ſe diſputaturum alio loco de hiſtoriæ illius veritate, quâ Epiſcopi Anglicani oppreſſi dicuntur ab inſiticijs Monachis, propterea quòd Romanum iugum detrectarent. Quam quidem diſputationem iam audire geſtimus. Interea ocium hominis Græci præſtolabimur, donec ſe informârit de tota ratione rerum noſtrarum. Sed videat vt id diligenter faciat. Eoq; magis quia fatetur ſe in rebus noſtris non *ſemel antehac deceptum eſſe*, pag. 119.

[a] Athā. Apo. 2. [b] Theo. Eccl. Hiſt. l. 4. c. 3. [c] Hilar. de Synodis.

Ad extremum ſtomachatur *ſanctos & ab Eccleſia ſemper cultos viros* tam odioſè traduci. Quaſi nos neſciamus cuiuſmodi illorum Sancti Sanctuliq; eſſe ſoleant, (nihil nunc de Gregorio & Martino loquor, quorum nos de laude nec tantillum delibamus) ſed quibus nuper inquam meritis in Catalogum irrepſerint. *Pretio* vero, & *prodigio* fiẽto. Olim autem non ſtylus Romani Pontificis, ſed vitæ integritas & ſpectata virtus ſanctos conſecrabant. Τὰς ὑπομνήσεις μαχαιρίζομεν, ait S. Iacobus. Ex quibus verbis Pontificij, Canonizationes iſtas ſuas elici poſſe voluerunt. Sic enim meminiſſe aliquando legiſſe. Quid illi dicturi, ſi non Iacobus ſed Petrus hoc ſcriptum reliquiſſet? Non enim Hieroſolymis quas Iacobus inſedit, ſed Romæ iſta hodie negociatio exercetur. Mirum verò quàm infæliciter ijs ſemper argumentatio procedat. Sed turpius illud niſi fallor & miſerius, quòd S. Lucam in Actis Canonizatorem eſſe fingunt SS. Stephani & Iacobi, Silæ item & Barnabæ. Quidni verò etiam Aquilæ eodem modo ac Priſcillæ? Niſi quòd hi ſatrum hominem erudijſſe dicuntur (Apollo viz.) quod ne-

3

Bell. l. 1. de Sanct. beat. c. 7.

fas Laicis. Et tamen S. Lucas nec Apostolus quidem fuit, non modò non ordinarius, quales Petrus & successores eius, ex horum sententia, sed ne delegatus quidem & ad tempus, Euangelista tantùm. Illene igitur Canonizator sat commodus esse potuit? aut Romano Pontifici in eo munere præire? Quanquam quid nirum, cum Ecclesiasticus, quia enumerat quosdam Sanctos cap. 44. illorum etiam Canonizator à Cardinali ponatur? Tam antiqua videlicet hæc consuetudo est in Ecclesia, & ab heroicis vsq; temporibus ad nos ducta. Vnum miror quòd S. Paulo nihil huius debere velint, qui in 11. ad Hebræos, siquidem id est Canonizare, sanctas & virtutibus celebres personas repetere, non paulò perfectiori Canonizationis huius functus est munere. Quid autem cum illos loquitur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ? Hæccine non multò certior est Canonizatio? Iam verò qui se expedient, cum impius & damnatus pro sancto obtruditur? Quales vereor ne non pauci inter modernos occurrant, vt de antiquioribus taceam. Meminerit Eudæmon-Iohannes cuiusmodi ipse nobis B. Martyrem edat, pag. 119. Paralleli. Tantum potest factio & studium partium.

E. C.

Vide Resp. D. Eliensis ad Card. Bellar. Apol p. 348.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι ἀληθείας τίνος.

Qua enim ille sanctitate clarus, nisi audaciâ quadam iuvenili, & ambitiosâ libidine miscendi patriam? *Ficus praecoqua & ante tempus maturescens* (verba sunt Riberæ vestri pubem Anglicanam ad vos conuersam describentis, Com. in 7. Micheæ v. 1.) vt mirari te non oporteat, si non possit in eo succus esse diuturnus, qui nimis celeriter maturitatem est assecutus. Sed ego de mortuis nihil admodum nisi bene, qualescunq; illi fuerint: quæro quid agendum si error interveniat? Quem frustrà Cardinalis conatur excludere, tam interemptoriè præsertim, *credendum esse*. At multi fuerunt qui non crediderunt. Nimirum habent hic Canonistæ in quo se versent, & tamen tandem respondetur, Colendum videri quisquis est. Itane vero? *Si modò*

Apud Card. Bell. vbi supra, titul. 9 *Credendum esse Pont. si non errare in Canonizatione.* Imolensis & alij.

(in-

(inquit Triumphus) *ſecundum præſentem iuſticiam, & exteriorem euidentiam pro teſte habens procedat Pontifex.* Tantà opus eſſe cautione etiam ipſe putauit, vt rectam teneret, alioqui parum tutus. Et annumerat tres cauſas canonizandi ſat idoneas idem homo perſapiens, qui à nemine Canonizatus quod quidem legi, Pontifice, inter *Beatos* tamen cenſetur, malo prorſus exemplo, niſi non ſatis noui diſciplinam Eccleſiæ veſtræ. Quas illas? *Benefacta, bonam famam, & miracula.* Audio. Vt non ſit mirum ſi Papa aliquando hallucinetur (& quàm tamen periculosè hic vt paulo ante innui) cum ijs ex indicijs de ſanctitate pronuntiet, quæ non rarò & in impijs aut expreſſa cernuntur, aut adumbrata certè. Quid enim eſt horum quod non & impij participent, alia quidem clariùs, alia ſpiſſiùs? *Benefacta.* vt & *Ethnici*, *bonam famam* vt *hypocritæ*, *miracula* vt *diaboli.* Et nos tamen tam dulias noſtras aut etiam hyperdulias, certe officia pietatis relligioniſq; munera, ex his præclaris coniecturis ſuſpenſa & religata habere debemus. Sic enim contexit hoc loco Ieſuita, QUOS IN SANCTORUM NUMERO TAM MULTIS SAECULIS COLUIT ECCLESIA. Vult igitur etiã *coli* à nobis mortuos, *coli* inquam, nec intelligit quàm non falſo ſacrilegio ſe induat, vt nobis obiectet commentitium. *Deum cole* inquit Angelus ad Iohannem, quæ lex eſſe debuit relligionis ad poſteros: iſti autem vt abominandas ſuas ſuperſtitiones palliarent, ſtolidiſſimis diſtinctiunculis abrogarunt. Nec lubet nunc quidem antiquitatis teſtimonijs, & primigeniorum temporum Eccleſiæ ſenſu, hanc amentiam obruere. Plena eſt *pharetra* inuictiſſimi Elienſis huius generis *ſagittis*, ignitis, acribus, quibus omnem deo cultum fortiſſimè vendicat, à reliquijs, diuis, ſimulachriſq; profligat. Non pudebit hæc verſantem penituſq; tractantem *loqui cum inimicis in ipſa porta.* Vltimum quod adverſarius addit, hoc eſt; non ſanè ad Elienſem vllo modo attinens, ſed vniuerſe coniectum in *neſcio quos.* Quaſi enim ſi de palmâ

De Poteſtat. Eccleſ. q. 14. art. 4.

Ibid qu. 15. art. 2. & ſequent.

Raphael Volaterranus c. 21. Antitopolog. & Ioſephus Pamphilus Epiſc. Sigeinus in Chron. Eremit. S. Aug.

Paral. p. 27.

Nouitas non ſemper cum Catholicis. Ibid. Apoc. 19.

Reſponſ ad Apolog. Cat. Bell. p. 47. & paulo latius.

4 Vide clariſſimum Elienſem hac de re in hoc p. 100.

ſtuporis contenderet, alieno loco infercit ſententiam quorundam Theologorum noſtrorum, de *deſcenſu animæ Chriſti ad inferos*. Et interpretatur id ab odio eorum in Chriſti animam profectum, furioſaq; libidine cuncta permiſcendi, quod tamen ſolâ verecundiâ, etſi forte præpoſterâ, contumeliosè indignèq; aliquid de Chriſto ſentiendi, certum eſt ſtatuiſſe. Niſi honor tibi videtur, verſari in inferis, & recta τὸν ἄβυσσον petas, ô Cacodæmon, quam olim tam validè deprecati illi. Sed nolo τὰς ἐν ἅδου τριακάδας nimis anxiè. Alioqui efficerem vt de Durandis tuis audires, & nonnullis præter noſtros qui in eadem hæreſi fuerunt, ſi modò hæreſis eſt. De *vetuſtioribus* igitur *Sanctis* violatis hæc hactenus. Sequitur vt de *recentioribus* quoque dicamus.

CAP. 10. 1

QUORUM primus, quod mireris, eſt *Paulus quintus*. Vexat autem hominem quòd Romanæ cupiditatis myſteria patefacta ſint, & *paries ſuffoſſus* per quem horrendæ illæ abominationes conſpiciantur. Quanquam Reuerendus quidem Epiſcopus *palpauit potius hunc parietem quàm fodit*, vt ſanctus olim Bernardus dixit de ſe, & dixit in eadem ipſa causâ. *De Taxâ Cancellariæ, de culina Pontificis, de numero Groſſorum, Florenorum, aureorum, pro tali voto, pro tali iuramento, pro tali lege violatâ, ſoluendorum*, hæc illos lacerant, hæc cruentant audita, quorum quotidianâ frequentatione nihil erubeſcunt, & ex quibus deniq; paſcuntur ac viuunt. Vt mirer Bellarminianam ſanctitatem conniuere poſſe in tam flagitioſis mercaturis, in tam deteſtandis nundinis, niſi quòd tandem quoque inuenit vnde *Indulgentias* defenderet. Quam controuerſiam primò omnium natam eſſe non diſſimulat, & tamen coactus eſt poſtremam tractare, credo quia probatu difficillimam ſenſerat. Audi verò quid Iohannes ille Chemenſis Epiſcopus, illuſtriſſimi Salisburgenſis Archiepiſcopi à Suffragiis, ante annos plus minus quingentos deplorârit, de Prælatis Eccleſiæ veſtræ, *fœdum fœdus ferientibus cum mundo*: ſed hæc

De conſider. l. 4.

quaſi

quasi stilla est ex immenso eius Oceano. Vide quæ passim vel deflet vel destomachatur pius ille Præsul in Commentarijs suis. & titulo ipso insignibus. Recole quid Archiepiscopus ipse, quem modò nominaui, de *fame opum, de siti honorum*, questus sit, *inexplebili, in flaminibus Babylonia*, (sic Pontifices appellat, & verè tum quidem Ecclesia dei *super flumina Babylonis*, sub eiusmodi *flaminibus*) vbi etiam sic contexit, quò clarius horrendam illam βδελυγμίαν vestram exprimat, *Porrige digitum & manum concupiscent.* Memineris quid Cardinali cuidam, longè post hæc tempora, ostensum in quiete, de Innocentio quarto, apud summum illum iudicem de tribus accusato, quorũ vnum fuit quòd Ecclesiam *qua salus esse solebat animarum peccatricum*, convertisset *in mensam nummulariorum &c.* plena est reliqua horroris historia. Quòd si omnia huc congererem, quæ in Romanæ Curiæ sordes, atque adeo in summos ipsos Pontifices sancti viri declamárunt, nec hæretici iam illi quod cauillari soletis, nec partium studijs addicti, sed ex sinu atque ex gremio eius ipsius delecti, quidam etiam in *Sanctos* post mortem relati, nec finem vllum facerem, & Clarissimi Episcopi hæc ludum iocumq; esse ostenderem, præut quę illorum dedit vehementia. Quid sanctum Bernardum, quid Cardinalem de Alliaco, Nicolaum Clemangium, Iohannem Gerson, Aluarum cum suo *Planctu*, quid innumerabiles alios proferam, qui dolorem suum his de rebus liberrimè expressere, nec Pontificijs auribus, nec falsò sic vocatæ sanctitati pepercere? *Serpit hodie per totum corpus Ecclesiæ putrida quædam tabes*, ait ille vir diuinus, nec pulvillos ne Eugenio quidem suo solitus assuere. Et, *A vertice capitis ad plantam pedis non est sanitas.* Vides vt caput quoque comprehendat? De quo tuum illud audiendum erat, *Noli me tangere.* Sed audi cætera. *Inter hæc tu pastor procedis deauratus, multa circumdatus varietate. Si auderem dicere, dæmonum magis hæc pascua sunt quàm ouium. Dæmonum* verò inquit, Eudæmon-Iohannes, quasi te hospitem

Omn. Eccles.

Math. Paris.

ali-

aliquando diuinans futurum. Atq; hæc forte tibi causa fuit è Græcia migrandi, teq; & tua studia in ijs locis constituendi, in quibus *similes haberent labra lactucas*. Sed ne nimis tibi plaudas de soli bonitate, audi & reliqua. *Magna abusio: pauci ad os legislatoris, ad manus omnes respiciunt. Non immeritò tamen: Omne Papale negotium illa agunt. Quem dabis mihi vel de tota maxima vrbe, qui te in Papam receperit pretio vel spe pretij non interveniente?* Viden' vt Romę frigeat probitas? Viden' quàm parum habeat industria tua quod speret? Quid enim rotundius illa sententia? *Omne Papale negocium manus agunt.* Videlicet non in linguis igneis multipertitis, sed in rapacibus manibus & aduncis vnguibus insinuantem se spiritum Pontifices acceperunt. Infinitum esset cuncta hoc in genere consectari, ego ne ea quidem refero quæ sunt ad manum. Extant enim scripta doctissimorum hominum, & omnium propè manibus oculisq; teruntur. Vnus Matthæus Paris, quàm squalidam nobis depingit Ecclesiæ vestrę faciem, imprimis autem quantum gurgitem cupiditatis Pontificiæ? Sed *fator* (inquit) *auaritiæ Sedis Romanæ ipsas nubes superabat.* Et tamen Baronius non audet abrogare ei ne primariam quidem laudem veritatis in historia, sed acriculum in Pontifices aliquando subnotat. Quos Paris priuatim cur odisset non habebat, ille nudam veritatis formam quærebat, quam & expressit.

Omne Papale negotium manus agunt.

Matth. Paris.

Quare desine mihi crede, Eudæmon-Iohannes, posthac Episcopo *de contumelia* oblatrare, quòd Romanę vestræ curiæ vel mores aperiat, vel portenta exagitet, quæ nemo tam cæcus est quin perspiciat nimis, nemo tam vehemens vt queratur satis, quæ vestris etiam hominibus patientiam extorsere, quæq; non vni Paulo quinto propria sunt, etsi tu hæc in priuatis eius criminibus numeras, in quo singularem ei iniuriam facis, sed penitus inueterata & iamdudum cum maioribus suis pleriſq; communia. Neque verò maledictis tuis Sanctissimum ac Reuerendissimum Antistitem

involuas, neque veſtras ſordes cum illius puriſſimo ſplendore permiſceas, neque fic auferti à vobis poſſe ſperes onus illud infamiæ ſub quo laboratis. Imitari vos verò potius illius continentiam diſciplinamq; oportuit, quàm ore tam ſpurco, tamq; furioſo, in clariſſimum virtutis lumen inſpuere. Qui primò luxum illum deliciaſq; à ſe recidit, quæ vobis æternam auaritiæ materiam ſuppeditare ſolent: deinde totus in literis & in pietate occupatus eſt, *nihil alienum tollit in animum*, quæ Laurentum lex fuit, neminem ſpoliat, incommodat nemini, nullius de ſe querelas excitat, & domi lautus eſt, & publicè ſplendidus, & in afflictis miſeriſq; omne genus ſubleuandis, expediendis captiuis, educandis orbis, alendis ſtudioſis, eam ſequitur rationem, quæ tam grata Deo eſt, & probata Angelis, & ſine dubio ad immortale ei præmium ſepoſita, quàm ab omni populari gloriâ remota. φιλοσοφῶν ἀ πρὸς ὄχλον ἀλλὰ διατρίβων, ἀλλὰ πρὸς ἑαυτὸν καὶ τὸν ἀλήθειαν. Poſtremò qui nulli *rei* manum temerè inijcit, ac ne *homini* quidem, ex præſcripto Apoſtoli, ſed in ordinatione Miniſtrorum, & collatione Præfecturarum delectum propè faſtidioſiſſimum agit. Quod nunquam cum ijs ſordibus quæ à te obijciũtur, impuro capite, cohæreret. Equidem dicã hoc loco, nec celabo, quod cum cuidam viro optimo & ſatis honeſto nuper morienti affuiſſem, de ſingulari D. Elienſis laude audieram, de admirabili continentiã eius, de ſpectatã liberalitate, quàm piè nec opinantem eum ad honores evexiſſet, quàm fortiter contra oblatas deinde pecunias reſtitiſſet, quàm ſolo diligentiæ nomine eum bonaq; frugis complexus eſſet, nullã alioqui commendatione notum, & tamen beneficium ſuum ad extremum tutatus. In quo ille teſtimonio ſpiritum effudit. Sed quia noſtro præconio vir Clariſſimus non indiget, reſtat vt de Cardinali deinceps proſequamur.

Xenocrat. in Axioch.

D. Syluester Huletus, Lonãnenſis.

CAP. II. 2

QUANQUAM totus hic locus præteriri poſſet, qui de contumelijs in Cardinalem inſtitutus eſt. Cum enim Car-

dinalis & in Regium librum involasset, & quibusdam in locis nimiâ acerbitatis elatus esset intemperantiâ, quicquid vos mitigare studetis, & postremò confutationi suæ, per maiorem indignitatem, *servile nomen* Torti prætexuisset, quid mirum si ab Elienſi nec molliter habitus sit, & ita tractatus, vt qui suam dignitatem à se paulisper remouisset, quò liberius alienam violaret? Neque enim Rex est ille Codrus (quod iste garrit in Præfatione suâ nesciens quid dicat) qui mutato habitu descendit in prælium (Rex enim suum habitum nunquam mutauit, neque sub personâ priuati hominis latuit, tantummodò nudum pectus hosti præbuit, Maiestatisq; insignia & plumas à se reiecit) sed Cardinalis potius, qui *famulari habitu*, id est, sub specie *Sacellani sui*, inuictissimum Principem adortus est. Itaq; vt Codrus ille pugnans extinctus est, vel si abhorret ab his literis vt
1 Reg 22. videri vult, vt Rex Iudah de vita periclitatus est, tantùm propter mutationem vestium, sic meritò Cardinalis alicubi fortasse vt gregarius miles vapulauit, nec queri potest honorem sibi Bellarmini non habitum, qui sic de industriâ Tortum effinxerat. Atque vt aliquid ei de fabulis suis regeramus, scitis eum nescio quid de *Iouis nolibus*
In Præfat. nobis narrasse, & *mentito serui habitu lenocinante Mercurio*. Quod nos nisi per illum rescissemus, nunquam fortasse intellecturi eramus, quantumvis ei in Plauto diligenter versari videamur. Nunc autem quàm similis Bellarminus & Mercurius, Iupiter & Papa? Nam vt Iupiter Alcumenam, sic Papa Angliam stuprare quæsierat, & fidelitatem subditorum in Regem corrumpere. Ad hanc rem, suam operam profitetur Cardinalis, quasi alter Mercurius, sed Sosiæ nimirum habitu, id est, Torti sui. Quem si quis proinde pugnis vt Tortum acciperet, & bene penitusq; mulctatum dimitteret, non haberet opinor quod iure expostularet, ne apud ipsum quidem Iouem, si rectè eius ingenium nobis expressit Homerus in quinto Iliados, nec apud Pontificiam Sanctitatem. Ridet ibi vulnera filiæ suæ Iupiter, i-

demq;

denq; hic fortaſſe Papa facturus. Saltem non ita valde compatitur Cardinali ſuo, nec ſaniem abſtergit, nec adhibet fomenta, niſi falſa ſunt quæ indies huc afferuntur, & quibus orbis perſonat. Sed hunc vt dixi locum concludere poteramus, niſi *contumeliarum* poſtularemur non in vnum hominem ſeparatim, ſed in totum ordinem Cardinalium. Quanquam origo Cardinalium neque ante ignota fuit, & nuper multò illuſtriùs per Elienſem patefacta. Quibus honorem ſuum Bellarminus vt *Eccleſiaſticis* tantùm vindicare potuit, quoad antiquitatis monumenta ſequeretur, non vt *Cardinalibus*. Quod ſcitiſſimè & vrbaniſſimè ab Elienſi reſellitur, qui ſic etiam & ab Adamo repeti poſſe docet, eòq; magis quia Adam ex rubrâ terrâ fictus eſt, quem colorem adhuc retinent in veſtibus Cardinales. Sed non opus eſt omnia hoc loco commemorare. Videat qui volet reſponſionem eius ad librum Cardinalis ſecundum. Pag 98.
Porrò non ſum is ego homo qui temerè mihi arrogem, & ſcio quàm mediocrem in Eccleſiaſticis agminibus adhuc locum obtineam. Sed tamen Cardinalem ipſe ſub me habeo. Virum quidem optimum atque integerrimum Langleium, ſed Cardinalem, vt dixi, veteri iure & nomine ſic adhuc dictum, in æde Chriſti quæ eſt Londini. Nec alia ab origine illorum quàm iſtius conditio fuit proculdubio. Cardinalis.
Ex quo ſatis æſtimare poſſumus de ambitione Cardinalium S. R. E. quam iſti ſic dolet vellicatam. Sed commurmurat neſcio quid in Illuſtriſſimum atque Honoratiſſimum qui nuper fuit Cantuarienſem. Et quanquam eſt oratio tota obſcura, vt latebras de induſtriâ affectaſſe videatur, tamen nititur vt videmus maledicto Typographi, & Typographi (vt confitetur ipſe) Puritani, à quo nihil niſi ſyncerum expectandum eſt ſcilicet in Cantuarienſem, ſi quâ ille fortitudine hoc genus hominum ſemper repreſſerit, & quâ item malitiâ hi in illum incenſi ſint, meminerimus. Sed alludere volens ad nomen, *Decoctorem* vocat. In quo ſe deridendum omnibus propinat. Decoctoris enim longè alia eſt

Britannis appellatio, à ruptura videlicet vulneribusq; rei familiaris deriuata, quorum in clariſſimi viri nomine nihil ineſt, atque in vitæ rationibus multò minus. Sed ſecutus eſt ſemi-britannos ſuos interpretes, & maledicendi libidine luſit in ignotæ ſibi gentis linguâ homo Græcus. Quem ego veriſſimis maledictorum notis inuſtum, tradam hominum memoriæ ſempiternæ.

CAP. 12. 3

VLTIMUS locus datus eſt *Chriſtianiſſimo Galliarum Regi.* Cuius illi contumelijs pernoueri videri volunt, cum eum in vltimum ipſi locum reijciunt, & nimirum non modò Pontifici non exæquant, id eſt vnius vrbis Epiſcopo, ſed poſteriorem etiam faciunt Cardinali, eoq; paulo ante Monacho ac regulari. Quanquam parum eſt queri de honore non habito fortiſſimo præſtantiſſimoq; huic Regi: vtinam ſaltem per vos vitam retinere licuiſſet, quam adeo non licuit, vt nec maculam iam etiam vllam in eorum nomine reſidere patiamini, qui certiſſimi authores ei ad exitium fuere. Tu præſertim in eo libro quo reſpondes Anticottono Eudæmon-Iohannes; credo ne alij deinceps deterreantur. Sed videndum eſt tamen, ne nos potius peccemus in huius Illuſtriſſimi Regis gloriam, qui cum ceſſiſſe vtcunq; dicimus diritati Pontificiæ, & *tuliſſe quædam alioqui non ferenda.* An vos potius ſcelerati & æterno odio digni, qui primò Regem eò miſeriæ atque indignitatis adegiſtis, deinde etiam inſultatis in afflictum & iacentem, ac ne eam quidem veniam illi impetriri à nobis finitis, quæ ſola pertinet ad tantum dolorem conſolandum. Quin ades Henrice, & te pauliſper nobis oſtende: ſi tamen per recentiſſima hæc parricidæ vulnera, & nondum forte abſterſum à pectore cruorem, eſt quòd ſolitam illam ſpeciem tuam poſſimus agnoſcere. Miſerum me, quanto hæc loquor cum dolore! Tune es ille Henricus, & belli & ſapientiæ artibus clarus, cuius arma toties hoſtes tui dextramq; timuere, quem nemo vnquam hominum impunè laceſſiſſet, qui ſexageſimo

ex prælio victor excesseras? At modò quàm hæc omnia contumeliosè habita? quàm superbè irrisa? quàm importunè conculcata atque spreta? Vt verè dicere possimus quod ille de Abnero, *Non sunt manus tuæ vinctæ, nec constricti ferro pedes*, & tamen ludibrium factus es hostibus. Non quòd Christiana pœnitentia, cuius vim isti eneruant, nomen modò speciemq; retinent, dedecori sit Regibus, aut quantâvis in excellentia constitutis, quâ & olim Dauidem, & recentiùs Theodosium nobilitatos accepimus, illustrioresq; apud deum pariter & homines factos, sed quia aliud est peccatorem se deo subijcere, & in amaritudine animæ suæ delicta recognoscere, aliud ceremonijs frigidis ludere, & tamè hostis superbissimi os indignitatemq; subire. Vt illa tua de Gundijs Gonzagisq; tibi habeas, quæq; ipse scilicet beatus homo spectasti, post ęstiuam deliberationem *authumnalia consilia*. Credo sanè qualia loquitur sanctus Iudas in Epistola, à quibus omnis sanctitatis succus defecerat, pietatis ardor omnis refrixerat, folia, & frõdes, & fucos meros, cadauer pœnitentiæ, sine anima, sine spiritu. Scilicet nos nescimus quæ caussa deliberationis tantæ fuerit Pontifici, vt *sapientiæ* & *grauitati* eius totum tribuendum esse à te docendi essemus. Quis ignorat quàm quæstuosæ procrastinationes esse soleant Romæ, quarum exempla & ab Hildebrando repetas licet, cuius nota est personata quędam iam olim gravitas, simillimaq; Clementinæ huius, quò facilius quod volebat effectum daret? Eo habito, ad naturam suam simia, quod aiunt, discussâ purpurâ. Sed & illa vera caussa (ne omnia *figmento* deputare videamur,) quòd consilia communicanda erant cum Rege Hispano, & nisi illo annuente Rex maximus ad pacem non recipiendus. Tam synceri dispensatores sunt commissorum Pontifices, & nec gratiâ nec metu moveri nati, in Ecclesiasticâ disciplinâ, re sanctissimâ, administrandâ. Nihil minùs quàm προπετὲς ὁμοῦ καὶ προπέτεια ἐν ἁμαρτίαις, quod Nicæni vestri prohibent, in talibus præsertim, satis severè.

Iam verò nec. Sic narrabis tibi ea quæ cum Rom. & veritate, non facilo accepi sed ipse cõperi, &c. Paral. p. 57.

1

2

Nic. 2.

can.4. Atque illi nec *Clericum* differri volunt ſine cauſa, vos *Regem* pro arbitrio, tamq; illuſtrem. Non *templum clandi* (σπτὸν ναὸν μὴ κλείειν) vos totis ſæpè regnis, & nuper Venetijs Rep. florentiſſimâ. Sed ad rem. Sixtum quidem illum quintum conſtans opinio eſt morte luiſſe, cum ſignificationem modò dediſſet, conſilia de rebus Gallicis ſe ſeparare deinceps velle à conſilijs Hiſpanicis. Quod Clementem hunc memoriâ tenuiſſe non incredibile eſt. Sed
3 nec vnquam quietas fore Gallias norat Pontifex, niſi penitus expiatâ offenſæ Regiæ memoriâ, cum poſt reconciliationem etiam cum Pontifice, Caſtellus in eum ſubmiſſus ſit à veſtris, infeſti cæteri. Quæ tertia fuit cauſſa progreſſuum horum tam lentorum, etſi tu nullam niſi Pontificis *ſanctitatem* fuiſſe fingas, *diſciplinæq; vigorem*, & *negocij maieſtatem*. Quæ iamdudum Romæ aut penitùs exoleuere, aut certè vtilitatibus didicere cedere. Ἐλικτὰ πάντα, χὐδὲν ὑγιὲς. Reliqua qui volet, ne illæ videat in eo libro, quem Dux ille Nivernienſis Legatus Romam ad Pontificem ſuper hac re, & nimirum is ipſe Gonzaga, quem tu hoc loco prædicas, edidit, inſcripſitq; *Relatio Ducis Nivernienſis ſuper Legatione ſua in Italiam &c.* Vt ibi curiæ veſtræ mores ingenuus homo depingit, & ne Ieſuitarum quidem vlli cedens, aut de zelo in religionem, aut de obſequio in Pontificem? Redeo ad mimum, & ad præclaram illam Pœnitentiam quam dicitis ſcilicet. *Sic Paulus fallitabat? ſic Petrus ludebat?* (placet enim circumſonare vos Bernardi ijs verbis:) alienone in corpore aut ille *inceſtum*, aut iſte *periurium*
1. Cor.5. Act.5. vleiſcebatur? Et illa virga, quam interminari ſoliti ſunt petulantibus, leviter *ad ſignificationem tantùm* humerum ſtringebat, an totam perſonam formidine quatiebat? Vt nihil ſit diſſimilius his ſpectris phantaſiarum, quæ vos pro pœnitentia, tàquam pelles caprinas pro vero Dauide, ſubſtituiſtis, quàm Theodoſianæ rationes illæ, & ſi quæ ſunt ſimiles, quæ non modò ſpectantibus, ſed etiam legentibus horrorem afferunt; veſtræ mihi crede quò magis intro-

ſpici-

ſpiciuntur, cò magis & huic negotio, & vniuerſæ pietati pondus abrogant. Quòd ſi curæ fuit Apoſtolo *corpus ſuum* contundere *ne aerem verberaret*, maximèq; ſi alijs locis & quidem non paucis, ita ad λατρείας λογικὴν nos vocat, vt γυμνασίας & σωματικὴν præ ea contemnat abijciatq; , ecquidnam hanc rationem ei probatum iri exiſtimemus, quà nec anima, nec corpus, nec iam aer ipſe luat, id eſt, non ſolida vlla pœnitentia pro delicto imponatur, ac ne obſcurior quidem, ſed mera σκιαμαχία & σκιαμαχία exerceatur, *virgo* à *virgine* oleum mutuum petat, & *fictitius reus* plagam quoq; *fictitiam* pro Rege ſuo excipiat? Rom.12. 1.Tim.4. Matth.25.

Sed *nemo eſt filius quem non corripit pater*. Et, *ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulterini eſtis & non filij*. Præclara defenſio nugarum Pontificiarum. Quaſi quiſquam ante te tam acutus inventus ſit, qui hunc locum ad pœnitentiam Eccleſiaſticam accommodàrit, qui de diuinis caſtigationibus apertiſſimè loquitur, quibus omnis eſt piorum vita referta. Et Henricus quidem quartus nondum *ad ſanguinem vſque reſtiterat*. Poſt tamen nec illâ palmâ fraudatus eſt. Sed nihil eſt promptius quàm Romanum Salmoneum ea ſibi vendicare, quæ ad diuinam Maieſtatem ita arctè pertinent, vt aliò ſine impietate transferri nequeant. Veluti hic nunc locus eſt, de diſciplina Sanctorum omnibus adminiſtranda, à ſupremo illo patre. Vt omittam quòd hoc pacto nemo pius vir foret, & Eccleſiæ deiq; genuinus filius, qui non interdum in graue peccatum laberetur, vt Eccleſiaſticâ cenſurâ defungi queat. Sed cum mucoſæ naris homines ſibi illudendos proponeret, Ieſuita ſtylum hoc loco non elimavit. Pag.56 &c. Parall.

Illudne verò non diuinitùs factum eſſe putemus, quòd humilitatem exaggerans Chriſtianiſſimi Regis, quâ ſe Pontifici ad tantum dedecus ſubmiſit, Pontificem ſuum *humanam creaturam* vocat? In quo non modò Canoniſtarum dogma reſcindit, qui Pontificem ens ex Deo & homine conflatum interpretari ſolent, ſed vſitatum illud ipſo-

rum

1.Pet.2.13

rum traducit argumentum, quod ex verbis ſancti Petri etiamnum arripiunt, vt ciuilem quemq; principẽ longè infra Pontificem ſuum deprimant, & hunc quidem tanquam *humanam creaturam meram*, illi ceu diuinæ alicui creaturæ,(non enim dicent credo *creatori*)ſubijciant. Sed me hæc quoq; tranſilire cogit feſtinatio mea.

Reginaldus in Rotolæo, alijq;

Parem olet ſtultitiam quod ab initio iam quæſierat, ſi tanta eſt contumelia virgæ Pontificiæ, dignumne eum hominem non modò *regno*, ſed *vita* omnino eſſe putemus, qui eouſq; ſe demittere non recuſaret? Sed nos non ſolemus tam temerè Reges aut ſolijs exuere, aut vita privare. Vos vt videbitur,& vt ſoletis. Regem à Pontifice inſolentiùs æquo tractatum eſſe dicimus, & vt illum neceſſitas ſua excuſet, vos tamen fraude veſtrâ tenemini. Quàm fatuè autem illud ac præpoſterè, quòd contradictionem ſibi eo loco in verbis Epiſcopi inveniſſe viſus eſt, in quo ſibi ipſe turpiſſimè contradicit? Nam cum pag. 53. *virgarum ſupplicium ſeruile* vocitaſſet, ad quod Regem ſe abieciſſe tam multis contenderat, mox pag. 56. inter præclaras philoſophationes ſuas, de diuerſitate ſuppliciorum quæ à diuerſis ſumuntur, vt cum pater filium, aut Dominus ſervum, ſed non eodem vterq; modo punit, totus in contrarium planiſſimè abit,& *ſervile* in Pontificis virgâ nihil eſſe vult, liberalia omnia. Dicet ſorte *virgarum* ſeruile ſupplicium eſſe, *virgæ* honeſtum ſatis & liberale. Quod quanquam eſt ſubtile tergiuerſanti effugium, ne dicam lubricum præcepſq; legenti, tamen refellitur ab eo ipſo capite 5. Parall. pag. 222. vbi Epiſcopi verba quædam ex Tortura citans, admiſcet illa de ſuo, quæ & lunulâ munijt ad maiorem cuidentiam [*virgis Pontificijs,*] vultq; ijs cæſum legatum videri. Vult inquam virgis legatum illum cæſum auctor ipſe Paralleli. Non igitur diſtinguit, & ſibi contradicit. In Epiſcopi verò verbis nulla contradictio eſt. *Imò, modò*, inquis, *vt remiſſa nimis Eccleſiæ noſtræ diſciplina, modò vt nimis ſeuera ab eo reprehenditur.* Diſciplina inquam iure vt nimis

remiſſa

remissa vel potius nulla, cum ludicra supplicia pro veris adhibentur, & noxij luunt in alienâ personâ: sed rursus insolens & abominanda tyrannis (non enim hæc seueritas est, non disciplina,) cum Regum corpora ad eam ignominiam postulare non dubitatis, quam ne priuatis quidem delinquentibus germana Pœnitentiæ ratio adiudicat.

At etiam facetus esse homo voluit, *Episcopum expalluisse re quasi Pontificem cerneret cum virgis expeditis rectà erga se grassantem.* Nec intelligit ne cogitari quidem hoc posse de Pontifice, nisi ab eo qui Pontificatum ei omnem adimat, & Ecclesiastico honore penitus spoliet. Episcopum siquidem noluit esse πλήκτην Spiritus Sanctus. Restat ergò ut contrudatur inter Laicos Papa, & à Iesuitis suis. Imò solum murabit si vel Clericum percusserit, nedum Episcopum. Concil. 3. Bracarense sub Wambano. Can. 6. Nec *Pontifex* iam, nec *Romanus* quidem. An forte Pontifex non tenetur provinciali Concilio? Sed & is qui paulò ante *in Regio satellitio carnificē Tortoremq́*, non satis probārat, nunc *Papam* inducit *cum turbâ loratiorum* in scenam spectandum. Quanquam ille si historias nostras vsurpasset, in quibus iam viz: legendis occupatus est, Pontificem pedo, à nostrate Episcopo, & post mortem insurgente, in horrorem datum sciret, tantum abest vt Papam *cum suis ferulis*, qui cordati sunt inter nos hodie Episcopi metuant.

Tit. 2. & Apost. Can. 27.

Innoc 4. à Roberto Grosteſt. Epiſc. Lincol.

Postremò conglobat & strepitum facit. *Norunt Apostoli & caecitate percutere resistentes Evangelio, & de nubibus elatos detrahere, & verbo examinare mendaces, in prōptu habētes vlcisci omnem inobedientiam. Vlcisci* quidem fateor, *& omnem inobedientiam*, sed *quibus armis* locus ipse docet. *Arma* enim *militiæ nostræ non sunt carnalia*, 2. Corinth. 10. 4. ne *materialia* quidem. Quare λογισμὸς καθαιροῦντες, & νόημα αἰχμαλωτίζοντες in eodem loco, ad quæ Pontificis virga non peruenit. Satis est si ceruicem illa aut tergum feriat. *Mendaces* autem *verbo examinare* quod ais, examinare credo voluisti dicere: sed apud vos parum interest v-

trum dicatur, vtrum fiat, ſicut paulo poſt pag 67. *vtrumne in ſecundo an tertio libro nihil profecto intereſt.* Verùm quid hoc ad baculum tuum noue Petre, quo legati humeros mulceas ſiue radas? Nonne pudet te tam diſſimilem eſſe priſcis illis Apoſtolis, vt cũ ij *verbo* ſceleratos occiderint, tu *ſcipione* tuo ludas & nugeris? ὦ δαμῶ ξύλε inquit Chryſoſtomus, ὦ δαμῶ χεῖρες, & cætera præclarè, hiſtoriam illam expendens, de Anania & coniuge. Sed, *elatos* etiam inquit *detrahere de nubibus.* Quæ oratio *in nubibus volitat* ipſa, & meum fateor captum eminus ſuperat. Niſi alludit ad hiſtoriam de Simone Mago, quẽ præſtigijs confiſum, fama eſt per aerẽ volitare tentaſſe, & humi alliſum eſſe. Sed nihil tale nec Rex nec legatus tentarunt. Aut forſan pœnitentes ſuos ſic tractat Pontifex, vt Ariſtophanes Socratem in calathiſco incluſum, & in nubibus pendentem. Quem proinde aut attollere, aut detrahere rurſus poteſt, per ignominiam, quando vult. Omnino certè vt nubem pro Iunone Ixion, ſic vos illic pro Rege legatum cenſuræ ſuppoſitum habuiſtis. Deniq; etiam *cæcitate percutere reſiſtentes.* Vt Elymam Paulus; ſed ô bone, non baculo in oculos impacto, tanquam alterum Lycurgum, quod tibi ſcilicet efficiendum fuit.

Tom 1 conc. ὅτι χρὴ σιγᾶν ἀ τοὺς χείρονας &c.

ASSERTIONIS TORTVRAE TORTI,

Pars tertia, reſpondens de Mendacijs.

CAP. 1. *IN tenui labor, at tenuis non gloria*——

Hoc quidem Poeta dicere potuit, & ſe conſolari, cum in apum hiſtoriâ, id eſt minutiſſimorum animalculorum, tradendâ elaboraret. Mihi autem ſæpe in mentem ve-

nit

nit vereri, ne nullo artificio noſtro, tædium à lectoribus abſtergere poſſimus, tam ſteriles minutiæ ſunt quibus Cretenſis animalis huius liber abundat, & in quarum refutatione iamdudum verſamur. Declinauit enim conſultò toroſiſſima quæq; & neruoſiſſima, vt ſic dicam, in luculento illo corpore membra, eaq; delegit, quæ & propter leuitatẽ ingenij ſui conuenientiora ſibi fore putauit ad colludendum, & ex quibus ſi minus confutandis veram aliquam laudem, attamen ex vellicandis imaginem laudis poſſet reportare. Quanquam *contumeliarum* & maledictorum ea ratio eſt, vt propter prauitatem humanæ naturæ, omnium animos ſuſpenſos occupatoſq; teneant, dum vltro citroq; ventilantur; iſq; locus hactenus à nobis excuſſus eſt. Sed reſtat deinde *de mendacijs* dicere, & verène an falsò, hæc atque illa aut citata, aut collecta, aut narrata deniq; ſint, docere. Infælix argumentum & triſte ac horridum, quod nec vllâ ſuauitate ſuâ condiuit aduerſarius, quin potius multò odioſius effecit, eâ præſertim parte quâ Breuiculum ſuum appingit, nec admodum ſanè recipit eam tractationem, vt lectorum animi deliniri poſſe videantur. Quia tamen ſemel propoſitum eſt diuiniſſimi viri famam aſſerere, & impudentem emiſſarium ab eius ceruicibus quoad fas eſt depellere, nec abijciemus prouinciam ſemel ſuſceptam propter perfidiam, nec propter inanem metum relinquemus.

AC DICTURUS de mendacijs, initium ducit ipſe vel à mendacio ſuo, vel ab errore certè, ſatis ſplendido. Nam locum deſignaturus in Tortura Torti, in quo ijs de rebus ſermo habeatur, quæ iam ad examen reuocandæ ſunt, planè alienum nobis deſignat, & pag. 65. & 66. pro 95. & 96. *cancrorum* more notat. Niſi *nihil inter hæc duo intereſſe* autumat, ſicut alibi dicit, vt vetus iam Pyrrhoniorum dogma redeat. Nimis certè ſupinè rem totam tractauit, vel forſan etiam lectoribus ſuis voluit illudere, aut aduerſarium ſic pauliſper de induſtria remorari. Quòd Pontifici- Paral. p. 64.

os Papa ad Martyrij gloriam cohortatus erat, Rex acutiſſimus atque intelligentiſſimus facile inde ſenſit iniuriam ſibi fieri, Perſecutoris ignominiam in ſe redundare, ſi illi Martyres haberentur, qui propter legum ſuarum contemptum occumberent. Reſpondit Pſeudo-tortus, vt eſt panchreſtæ facultatis, Regem non declaratum quidem ijs verbis perſecutorem, ſed tamen quia conſilia eius eò tenderent, in ipſius poteſtate relictum eſſe, velletne porrò pergere & implere titulũ, an penitus ab obtrudendo iuramento ceſſare. Vnde clarum eſt quàm vicinum eum perſecutoris gloriæ faciat, ſi tamen à Catalogo ipſo parumper excipiat. Quanquam & illa perſecutio quoque dici conſueuit, quæ concepta viſceribus, ſi minus forte erumpit ad cladem bonorum, tamen moleſtiam acerbitatemq; ijs creat: Et Reges parum gratiæ ei habere ſolent, qui eos ſic liberat hoc odioſiſſimo nomine, dummodò à conſilijs ſuis incæptiſq; deſciuerint. Quaſi ſi nos Pontificem iam Antichriſtum eſſe negemus, ſed eà tamen conditione, vt & ſuperſtitiones prope infinitas à ſe ableget, & imprimis de faſtu illo remittat, quo imperium vendicat in Reges terræ. Porrò doctiſſimus Elienſis, ex alio quodam Breuis loco idem evincit, quod hîc videlicet obſcurius dicitur, & tam præfractè modò ab iſtis negatur. Anglicanos enim Martyres quoſdam *nouiſſimorum horum temporum* diſertè meminit Pontifex, eoſq; cum priſcis illis fortitudinis laude conferri poſſe ait. Quod abſurdè extenditur ab Eudæmon-Iohanne, magno fallaciarum architecto, ad vniuerſam hanc Eccleſiæ citerioris ætatem, in quâ nos nunc viuimus, niſi Iacobi Regis tempora pariter includantur: cum alioqui non horum, vel non certè nouiſſimorum horum temporum, ſed tantummodò recentiorum quorundam ea tempeſtas fuiſſe dicenda ſit, quæcunque fuerit. Neque enim ſi quid acciderit intra annos centenos, vt obſidio Lutetiana, aut Tridentina coitio, aut ſi quid ſimile, ideo rectè nouiſſimis hiſce temporibus accidiſſe dicitur, niſi pari

quo-

quodam tenore, iam inde exordiens, ad hæc vſque nouiſſima tempora durarit. Sed quod Pontifex inuidioſè malitioſèq; ſcripſerat ad Regia tempora cruentanda, id vos videlicet callidè iam lenire velletis, & aliò per interpretationis technam deflectere; in quo tamen omnibus eſtis ludibrio. Vt omittam quòd qui non fictâ modeſtiâ dicuntur, non modò nihil contumelioſè in Regem eructant, ſed ne quidem quod ambiguum ſit, aut quod eò referri à non ſatis intelligentibus poſſe videatur. Quàm abſurda autem oratio Torti Cardinalis, quam attribuit ei hoc loco aduerſarius noſter? *An potius vellet contra innocentes ſæuire, & perſecutor ſanctorum martyrum appellari?* Quaſi quiſquam Martyres perſequi poſſit, cum nemo eo ſtatu ſit ante mortem oppetitam, eâ autem oppetitâ, non habeant homines amplius quod faciant. Luc. 12. 4. Niſi reuera illud voluit, Regem quoſdam Martyres iamdudum feciſſe, quod in ſe erat, quos indies etiam magis facturus fuerat, atq; ita ex perſecutore, ſed non ſatis exercitato, in ſtrenuum ac nobilem tranſiturus. Tam longè ab eo abeſt, vt Regem *perſecutoris* nomine infamet, aut ipſe, aut Pontifex; tam planè reliquerunt in ipſius arbitrio, eſſene, an non eſſe, *Perſecutor* velit. Niſi illud nos moueat quòd commentus eſt hoc loco idem Eudæmon-Iohannes, vt doctiſſimi Epiſcopi ſuccidaneam probationem iugulet. *Rex vidiſſet quicquid Epiſcopus videre potuit, Rex tamen non eſt vſus hoc altero argumento, Ergo nullum eſt.* Quaſi Regi ſua ſententia probanda fuerit pluribus, cum nec vos adhuc verbo contradixiſſetis, nec ille quicquam obſtare videret, quò minus pro certâ atque indubitatâ haberetur, etiamſi nullo alio argumento confirmaret. Quin tu aliquando de Regibus loquens, commodiùs comiùſq; loqui diſces Eudæmon-Iohannes, aut fortaſſe etiam malo tuo docebere, qui protinus vt quid de regio captu affirmandum eſt, non eſſe tam *hebetem* dicis quin ſentiat, ſicut nuper Becanus, *non eſſe ſtipitem.* Dolet ſcio vobis tam acutum eſſe Regem noſtrum tamq; intelli-

gentem, ac non modò ſupra *morem*, ſed propemodum etiam ſupra hanc *mortalitatem*: ſed quicquid erat, vobis ſi ſaperetis, alia oratio ſumenda fuit. Tandem videmus cui mendacium adhæreat, non certè Epiſcopo, qui & ſenſum Bellarmini genuinum interpretatus eſt, & Torti putidiſſimum gloſſema convellit, & non *alijs quibuſdam verbis Torti reſponſionem accommodauit*, vt iſte tinnit, *quàm quibus refellendis initio allata eſt*, ſed ex vno Breuis loco alterum controverſum declarauit.

CAP. 2. ALIVD mendacium & quidem non ſimplex ſed decumanum fuit Matthæi Torti, quòd authorem Apologiæ gravem ſe Theologum profiteri dixerit. *Quæ gravi Theologo qualem ſe author Apologiæ iactat, indigna ſunt.* Accurrit hic cum dictamo ſuo capra Cretenſis, quia lethaliter ſauciam Cardinalis exiſtimationem eſſe perſpexerat, niſi alicunde extricaretur ex hoc mendacio, atque ait Theologum quidem, ſed non gravem, dici à Bellarmino, his verbis, Apologiæ authorem. Quod vt ei concedamus, quia non ſunt omnia nimis ſubtiliter exigenda in tanto concurſu mendaciorum, ſatis eſt ſi à craſſis & palpabilibus ſe abſtineant, quæro quo argumento fretus hoc dixerit, authorem Apologiæ ſe Theologum profiteri? Nimirum quia ſic, *Quantulacunq; eſt Theologia mea.* Quod nemo videlicet dicere potuit, aut quantulãcunq; Theologiæ ſcientiam ſibi aſſumere, niſi qui ſe Theologum profiteretur. Ego tamen & Theologos animadvertiſſe mihi videor omni Theologiæ ſcientia carentes, ac ne agam obſcurè, non paucos è veſtris, quibus non paulo meliores vel *ex fabarum ſtipulis* necti poſſe Eraſmus ſolitus eſt dicere, & rurſus diuinarum rerum cognitione abundantes illos, qui tamen ipſam artem non profiterentur. Quales forte fuerunt, quibus nobiliſſimum Concilium aliquando ſic gratulatum eſt, *In Principibus noſtræ ætatis, & potentia Regia, & Sacerdotali inuenitur doctrina.* Sed nemo ſuperior hac parte laudis (ab-

Calced. in T. 2 pag. 63. ed. Venet.

fit

sit invidia vero verbo) Sereniſſimo Iacobo Rege noſtro. Auguſtinus l.2.contra Epiſtolam Petiliani, c.92. *Videte ne forte in labijs veſtris* (tu ſocijq; tui Eudæmon-Iohannes) *Reges Chriſtianos, tanquam Scripturarum diuinarum imperitos arguatis, in corde autem veſtro ſatis doctos eſſe doleatis.*

AN verò etiam illa diſceptantes audire ocium eſt, vtrumne Papa cum deplorat calamitates Anglorum, *quas iugiter ſuſtinuerunt* fidei causâ, retroacta quoque tempora complectatur, an in ijs duntaxat ipſis inhæreat, quibus Brevia ſcripta ſunt? Quo loco eſt inſignis contradictio huius hominis, etiamſi nullâ aliâ culpâ laboraret; qui primo pag.65. verè reſponſum eſſe vult à Torto, de eo tantùm tempore verba illa intelligenda eſſe, quo Breuia ſcribebantur. Et tamen nuox versâ paginâ, videlicet 66. de ijs erumnis ſermonem hunc intelligendum eſſe affirmat, quas Paulo Pontifice ſuſtinuerunt: interpretanſq; ſe ipſe, *hoc eſt* inquit *vnius anni & dimidij ſpacio, antequam Breuia ſcriberentur.* Vertigo & Scotomæna hominis niera. De ipſo tantùm tempore quo ſcripta ſunt Breuia, & tamen de toto eo tempore quod ante fluxit, id eſt, de anno & dimidio, intelligenda Pontificis querela eſt. Quid aliud tibi accinam Eudæmon-Iohannes, niſi, *Mendacem oportet eſſe memorem?* Et tamen tu is homo es, qui de obiectis *mendacijs* purgaturum te profiteris, & mox alijs quoq; eandem notam inuris. Niſi hîc quoque ſubterfugij tibi aliquid reliquum ſit, homini & per anguſta rimarum elabenti, & tamen nullum periculum *penetrationis* trahenti, vt illud, *ſcribebantur*, ad totum fermè biennium referendum videatur. Credo verò ſicut olim, *Pingebat Apelles, Polycletus fingebat*, vt eſt apud Plinium; quo in opere facile ætas humana conteritur. Sed Regius Chronographus omni occaſione vapulat vobis; Papa cum triginta alat amanuenſes, ſic enim legimus apud Bembum, in præfatione Epiſtolarum, neque ſcribunt tam perſpicuè, vt vel ſui homines intelligant, & noviſſi-

CAP. 3.

Proœm. in Natur. hiſt.

nouiſſima hæc tempora appellant ea, quæ non parum præceſſere confeſſione ſua, & deniq; *ingiter toleratas ærumnas* illas, quas tamen & ab initijs Regni Iacobi reijciunt, & intra Pauli Pontificatum omnes definiunt. Qui quantumvis ante negligens afflictionum Ioſeph, *ex quo tamen ſollicitudo Eccleſiarum ad eum pertinuit, non angi filiorum ſuorum calamitate non potuit.* Ita Paulum antequam Paulus eſſet, omni charitate & miſericordia ſpoliant, vt fictitium tueantur ſenſum ſuum, & nimirum periculum illud declinent, quod ex iniuſta calumniâ Regiorum temporum rectâ in ſe redundare vident.

Verba Paral. lep. pg 65.

CAP. 4. SPECTATE verò iam *caprinum prælium* vt ait Varro. Vtrum Galenus medicus fuerit an Philoſophus, vtrum ſecundus an tertius ille liber ſit de *differentijs pulſuum*, vtrum *leges* legendum ſit an *quaſdam leges*. Quaſi, quod tu ad ſecundum horum reſpondes, cum te captum atque oppreſſum ipſa veritate ſentis, non æquè liceat & ad omnia, *Nihil profectò intereſt*, vel vt paulo poſt, *Non laborandum fuit Torto*, gravi videlicet homini, *de verbis ac vocibus, cum de re ipſa conſtaret.* Quid tu autem niſi voces nunc meras tricaris, & *ſpinas vellis* atque *oſſa radis*, vt ait ille tuus, à rerum certe gravitate totus aberras? Sed *Tortus non vocavit Galenum Philoſophum.* At Regia Maieſtas à philoſopho illud ſuum mutuata fuit. Quò maior confidentia nequiſſimi Torti, Galeno id aſcribere, nihil hęſitantem, quod in philoſophum potius conferri ſolet, quiſquis is eſt. Neque enim Regia Maieſtas ſi hominem non nominauit, ideo nemo fuit niſi Galenus in quem competeret. Mirum autem ſi Galenus *differentiam* nullam ponit inter eos libros, quos præſertim ſcripſit *de differentijs pulſuum.* Niſi quòd facile tibi fuit Galeni opera confundere, cum perſonam à perſonâ non diſtingueres. Deniq; quod attinet ad particulam *quaſdam*, R. Epiſcopus non apponit ad diſtinctionem, quaſi aliæ leges demonſtrari poſſent, aliæ minus, ſed ad

De Thilbus

con-

contemptum potius Galenianæ veſtræ authoritatis atque ſententiæ, quâ nimirum minimè lædi Regiam cauſam ſenſerat. Vt ſi dicam eſſe *quendam Eudæmon-Iohannem* qui omnia deprauat atque infectat, & *iniquitatem* adeo *quærit in domo iuſti*, quod Sapiens vetat, non dico vt diſtinguatur ab alijs eo nomine, ſed vt indignitas hominis magis magiſq; pateat. Et tamen paulo contra morem ſuum auſus eſt hic de ſcholæ riuulis quiddam libare, quòd omnia Chriſti dogmata *fide* non *probatione* nitantur. Et quid ſi dicam non omnia? quaſi quædam non probentur ad longum & in Scripturis, vt 1. Cor. 15. *Probatione* ergo ſaltem & *fide*, non *fide* diſiuncta à *probatione*. Quanquam tu à *legibus* præcipitium facis ad *dogmata* veſanus. Quaſi leges *de officijs*, vt proximum amare, poſſeſſionibus nos abdicare, libidinem domare, non differant *à dogmatis*. Quorum priora nec Ethnicis quidem ignota fuerunt ac fide deſtitutis, multo etiam diligentius meliuſq; obſeruata, quàm quod dolet dicere à quibuſdam Chriſtianis. Sed hęc eſt Theologia Ciceroniani *veruecis*, pecudis meræ. *Nulla igitur ex parte labat hac in re* Reuerendiſſimi atque clariſſimi Epiſcopi fides, ſed Cres potius non diſcedit ab ingenio popularium ſuorum, vt tuam potiſſimùm clauſulam in te retorqueam.

De verbis S. Baſilij à Cardinali adductis in Epiſtola ad Blackuellum, reſponderat accommodatiſſimè Regia Maieſtas, Cardinalem ſi progredi paulo longius voluiſſet, & tantummodo finitima verba contexere, habiturum vnde vel ſibi ipſe ſatisfaceret, vel Blackuellus argutias illas diſcinderet. De Imperatoris enim amicitiâ magni pendendâ apud Theodoretum conſequi in verbis Baſilij: quem hodie Imperatorem aut Regem temporalem, qui tam piæ Iuramenti formulæ reſiſtunt, non modò ſe non magni æſtimare declarant, ſed vix niſi ingenti ipſius periculo in rerum natura velle relinquere. Quid ad hæc Tortus? Non fuiſſe ſibi propoſitum totum librum deſcribere, ea tantum

sumpsisse quæ cum negotio, quod tum agebat, coniuncta fuerunt. Reliqua illa verba nec aduersaria fuisse, nec necessaria tamen. Quo nomine quanquam præclarè castigatur ab Episcopo, tamen iste ampullator non dubitat sic laudare, *Hæc Torti tam iusta, tam solida, tam expedita defensio*, vt moueri nos quidem oporteret, nisi iamdudum talibus mangonijs assueuissemus. Nam quòd *Petri obedientiam & primatum Apostolicum negari iuramento susceptæ* clamitat, tam diuinè ad omnia satisfactum est ab Episcopo, vt vrat proculdubio non istum modò homuncionem, sed totam societatem, gentemq; totam,

Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

Pag. 70. Parall. Tortur. Tort. p. 18.

Quanto satius exagitaret quæ in eam sententiam *disputantur* ac *distinguuntur* à doctissimo viro, vt nos huius criminis immunes esse doceat, illos blaterare de Petri primatu quæ penitus nesciant, quæque nihil ad se pertineant, quàm hæc tam friuola consectaretur, vtrum totus liber exscribendus sit; annon, quoties quis sententiam ex authore citat? Sed Iuramenti formula tam sanctè tamq; sapienter concepta est, vt neque deroget pietati, & vltro aduersarios ipsos lacessat. Qui iam quidem eò tutius se dimicare existimant, quò longius ab eius impugnatione recesserint. Ac cum initio nihil propositum esset nisi istud ad disquirendum, videmus in quàm multas quæstiones se secuerint, vt de Galeni *de pulsibus* (dicerent potius *de repulsis*) & de ratione sententiarum ex authoribus citandarum, accuratius iam nobis philosophandum sit, nec dubiè quin vt summam belli aleam declinent, à qua non parum videlicet sibi metuunt. Quanquam Regis quidem sapientissimi sensus is non fuit, quem iste cauillatur, quasi de ascribendis illis verbis tantopere laboraret, nedum de commentario toto exhauriendo, dummodo ea apud animum suum cum prioribus comparans, æquiùs de Regum maiestate sentiret, & Cardinalis ipse primò, & deinde etiam alijs fucum facere omitteret.

Climax Episcopi pag. citat. An in Christo, An derivata, an in vnum aliquē, an in Petrū, an hæreditaria in Petro fuerit, Quis hæres, Quatenus. An Successor eius in Episcopatu, An Petrus Episcopus, An Romanus, An ritè succedā, an iure electum sit.

AUDET

CAP. 5.

AUDET porro infœlix mentionem vſurpare loci Gelaſiani ex Epiſtola ad Anaſtaſium. Quem Tortus quòd truncatum dimidiatumq; more ſuo allegaſſet, diuiniſſimus Epiſcopus Tertulliani genium ſecutus, elegantiſſimè eum cum mure Pontico contulerat: quòd vt ille tortam panis obrodit, ſic Tortus hinc præcipua quæq; verba deroſerat, dicam, an deraſerat, quæ parum inſtituto ſuo fauere viderentur. Quoniam autem ſtomachatur in hoc eius ſalſiloquio, efficiam profecto vt nihil dici aptius potuiſſe fateantur, & murem illum Horatianum inter prandia conterritum, ac ſubitò diſcurrentem videre ſe dicant, quicunque hæc ſequentia pauliſper expendent. Nec tamen *deſcribam totam Epiſtolam*, qui illi tam horribilis labor videtur, ſed tantùm loca quædam notabo, in quibus declinandis, lectorum ſit iudicium, an non *murem* ſolùm ſed *ſoricem* etiam egregium ac veteranum ſe præſtiterit. Nam cum primis ipſis verbis, Imperatoris in Pontificem indignatio tanta declarata eſſet, vt Fauſto atque Irenæo famulis ſuis abnegatam vel videndi eius licentiam percrebuiſſet, quæ ſanè permagna ignominia erat non putari dignum quem vel famuli ſui viderent, ille tamen pergit in hæc verba. *Vbi ſerenitatis tuæ benevolentiam comperi, humilitatis meæ clementer expetiſſe ſermonem.* Clementiam iudicat quòd literæ ſuæ ab Imperatore requiſitæ ſint. Quid autem? num recuſat ſcribere? non, ſed *iam noxam mihi imputandam eſſe non immeritò perpendi, ſi tacerem.* Scribit igitur, ſed nimirum ne deſit officio ſuo. Quid autem ſcribit, *Breuiane*, aut *Bullas*, quas vocant? quæ miſſilia ſunt eorum qui hodie ſedent Pontificum, atque illa quidem in fidem ſubditorum intenta, hæ & in Regium caput contortæ. Neutiquam verò, ſed, *Vbi fidei quid Catholicæ deeſſe comperero, pro meo modulo* (aſt vbi illa plenitudo?) *ſuggeſtionibus oppertunis ſupplere contendo. Suggeſtionibus* dicit & *oppertunis*; quæ certè ratio diſtat ab ijs machinis non parum, quæ hodie intentantur, ſatis importunis. *Suffoſſum* non *ſuggeſtum* eſt à Papa nu-

per. Vis autem scire quo fundamento hæc omnia? *Dispensatione etenim mihi diuini sermonis iniuncta, væ mihi est si non Euangelizauero.* Quod Papę sic colunt, ac si dictum esset, *Væ mihi si Euangelizauero.* Sequitur, *Quòd si Paulus &c. multo magis mihi exiguo metuendum est, si diuinitus inspiratũ, & paternâ deuotione transmissum subtraxero ministerium prædicandi. Paterna* dicit *deuotione transmissum*, quod posterorum flagitio, (si tamen illi posteri) penitus cernimus sepultum. Nec Paulum in Paulo hodie invenimus. Porro, *pietatem tuam precor, ne arrogantiam indices diuinæ rationis officium.* Et, *Absit quæso* (Pontifex hodiernus non potest pronunciare hoc *quæso*) *à Romano Principe vt intimatam suis sensibus veritatem arbitretur iniuriam.* Et, *Quapropter sub conspectu dei purè ac sincerè pietatem tuam deprecor, obtestor, & exhortor, vt petitionem meam non indignanter accipias.* Viden' quantâ vi supplicet atque oret? quam nihil sit spiritibus vestris simile in his verbis, ijs inquam spiritibus quibus omnia hodie prostatis? Nec *acriter exigit*, nec *stricte præcipit*, nec concludit denique, *Hæc est mera voluntas nostra.* Quasi illud velit, *stet pro ratione voluntas.* Quid est enim *voluntas* mera, nisi à ratione diuisa? At nihil horum Gelasius ne in tam longa quidem Epistola. Quæ Paulus ne tum quidem omittere potuit, cum *breuissimè* scriberet, cum tria non amplius verba cum Catholicis suis faceret. Ita scilicet Dionysius est, & ferulam quatit, & non modò *ad significationem*, sed etiam ad veram contumeliam insolenter se gerit. Sed adde, *Non sint grauia quæso te* (iterum dicit *quæso*) *quæ pro tuæ salutis æternitate dicuntur.* Et tertiò, *Quæso pietatem tuam vt quo affectu dicuntur à me, eo tuis sensibus intumentur.* Vt si hanc rationem damnandi Iuramenti insecutus fuisset Pontifex, quam Gelasius hoc loco insistit, nunquam tantum incendij excitatum fuisset in orbe Christiano, quantum hodie nec sopiri quidem posse spes est aliquo modo, præsertim vt ab istis fouetur. Quam nimirum rationem Rex Sereniſſimus ac Sapientissimus tunc

Verba Torti.

expe-

expectiuit, cum *verbum* aut *verbulum aliquod* in forma Iuramenti designari sibi peteret, quo merito Pontifex offenderetur. Sed videsné Lector, quam probè se *murem* declarârit hic homo, qui hæc omnia tam splendida, tam luculenta *præsolit? Murem* autem? imo *soricem* quod dixi. Vt verissimè adiunxerit eodem loco Episcopus, *Ne quasi sorex tuis indicijs perires.* Quod aut iste aut typographus eius legit *senex*, *ne quasi senex tuis indicijs perires*, vt non solùm siue *murem* siue *soricem* dicere placet, sed *veterem* etiam & *veteranum*, idq; ipsorum confessione, Tortum, intelligas. Paralleg. 72.

Sed quò magis adhuc fatuitas huius hominis appareat, videamus vt impugnet accuratissimam responsionem D. Elien sis, de *Sacramentis* hic *ministrorum curæ commissis.* Vult enim non Sacramentorum tantùm inspectionem, sed Ecclesiasticam iurisdictionem, omnem in vniuersum Regibus adimi, ac Pontificibus concedi ijs verbis. Quod nunquam efficiet. Etsi enim eum *colla submittere* dicat *præsulibus verum diuinarum*, tamen certè ex *pietate* atque ex *deuotione* [*deuotus colla submittis*] quo modo etiam S. Paulus postquam diuinitus vocatus esset, *Ananiæ ou submisit caput*, vt loquitur Hieronymus. Quem tamen Ananiam, Laicum fuisse, astruit Bellarminus, de Sacr. Bapt. l. 1. c. 7. Sed dum de collo submittendo audiunt, protinus imaginantur Alexandrum Pontificem suum, ceruices Frederico Imperatori conculcantem. Porrò Gelasium audiamus *Licet præsideat humano generi dignitate*, id est, quanquam nemo te superior sit in toto genere humano, tamen sacrarum rerum Antistites debitâ reuerentiâ ac pietate colis, hoc est enim, *colla submittis præsulibus verum diuinarum*: quod iste nugator tantoperè exaggerat, vt Pontificem in collo Regum atque Imperatorum vetere superbiâ sedentem hinc facere, & suis propè manibus collocare velle videatur. Sed præter hæc (inquit,) tria alia notanda sunt, vt non de solis sacramentis Gelasium eo loco loqui appareat: quòd & *causas*

Parallel. ubi prius.

2 princip. Nec post Zosi.

ſalutis ſuæ à Prælatis expetant, & in *ſumendis cœleſtibus ſacramentis*, ac poſtremò in *diſponendis iiſdem*, non *præſint* Reges ſed *ſubſint*. *Cum igitur quatuor hæc diſtinguat Gelaſius, & tanquam diſtincta ſuis ſingula cerimoniis efferat, colla ſubmittis, atq; ſalutis cauſas expetis, inq; ſumendis cœleſtibus Sacramentis, iiſq; diſponendis, &c. cuius vel temeritatis vel impudentiæ eſt, ad ſolam Sacramentorum adminiſtrationem, totum eum locum velle referre?* Imo cuius eſt furoris aliò referre? nam de *colli ſubmiſſione* iam ante dixi, quod nihil minus quàm ſupremam iuriſdictionem ſecum trahit. Et reſtringi poſſet ad Sacramenta non incommodè. *Sacramenta* autem Sacramenta quo minùs intelligamus, quæſo te, quid impedit bone vir? & *ſumere ſacramenta* ſit Sacramenta ſumere, & *diſponere* eadem ſit tradere ac miniſtrare? Niſi aliud quid *Sacramenti* ſit in hoc *Sacramento*, quod nos videlicet neſcimus, tu ſolus ex omnibus evoluendo es. Vos quidem audito, hoc *magnum Sacramentũ* eſſe, ſtatim adhinnitis, & magnum *rugamentum* inde extruitis, quòd *Matrimonium ſit vnum ex ſeptem Sacramentis*. Nos autem, ſi Sacramenta hoc loco ea intelligamus, quæ vſus Eccleſiæ ſic inſigniuit, Baptiſmum & Synaxim, quæ *ſumunt* Laici non tradunt, quæ *diſponunt* Eccleſiaſtici, non Laici, *temerarij* vobis, imo *impudentes* videmur. Et tamen multa ſunt alia in eadem Epiſtola, quæ huc te quamuis refragantem ducant: ut cum dicit *prærogandis*, id eſt enim exhibendis, quod de quibusnam ſacramentis niſi illis intelligas quæ modò nominaui? Et cum vocat *venerabilia*, quæ quidem vos ita veneramini, vt dum hæreatis in *pauimento*, non diſcedatis ab *elemento*, nos ſymbolum complexi, in gratiæ datorem tota mente conſurgimus. Nec *cauſa ſalutis* vobis aliud quàm Sacramenta videri debent: quibus nec nos ſanè ſalutem gratiamq; detrahimus, & vos intra ea omni modo concluditis. Quòd ſi per cauſas ſalutis, *quæſtiones* acciperet, afferre has ad Pontifices potius ſolent Laici, quàm ab ijs, quod iſte dicit, expetere. Reſtat

Pa. 81 p. 73.

ergo

ergo vt *ſacramenta* hic ſacramenta ſint, in quibus ius ſibi proprium Pontifices vendicant, nec hactenus quod ſcio à Regibus libatum, quibuſcum, qui pij ſunt modeſtiq; Reges, nihil ſibi niſi *in percipiendo* negotij eſſe agnoſcunt. Vt vndiq; munitiſſima ſit Epiſcopi reſponſio. Sed *rationem* (inquit) *reddunt pro animabus Imperatorum* (quo argumento inter alia hic vtitur Gelaſius) quod ſupereminentem Pontificum iuriſdictionem in Imperatores clarè arguit. Quaſi non infimus quivis presbyter, ſi tacuerit in cauſa dei, rationem redditurus ſit de anima Regis ſui, cui tamen ſupremum hoc imperium concedere, quod Pontifex affectat, & tot collegas Papæ facere, non modò nobis abſurdum, ſed vobis etiam inſanum videatur. Imo rectè Sapiens, *Deus vnicuiq; mandauit de proximo.* Et certe nemo non redder rationem de fratre ſuo, ſi ei ſuccurrere præcipitanti neglexerit, cum tamen poſſit. Planiſſimè autem & Reges rationem deo reddent de prælatis ſuis, vt ait S. Auguſtinus Epiſtola 162. *Ad Imperatoris* (inquit) *curam, de quâ rationem Deo redditurus eſſet, res illa maxime pertinebat:* de diſſidio Epiſcoporum inter ſe invicem loquens. Nec dubium quin Prælati item de Regibus. Sed hi niſi recta ac ſalutaria docuerint, illi niſi conuenienti vigore ſanxerint, (non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem (verba ſunt eiuſdem ſancti Patris Auguſtini) verumetiam quæ ad diuinam religionem. Nonne verò Gelaſius ipſe ſic diuinitùs & in hac Epiſtola? *Si contra leges publicas aliquid tentatum ſit, nulla id pati ratione potes; ad diuinitatis puram ſinceramq; deuotionem, vt tibi plebs ſubdita rediganur, conſcientia tua non putas intereſſe? Plebs* (inquit) *tibi ſubdita*, id eſt genus humanum quàm latè patet, cui eum præfidere paulo ante dixerat, nec ſolum Laici ſed prælati. Et clamitat *conſcientiæ ipſius hoc intereſſe.* Reſpondebit ergò Deo niſi aliter fecerit, *rationem reddet* de animabus ſubditorum ſocordiâ ſuâ perditis. Atque etiam paulò antè non minùs nervosè: *pro ſalute animarum ſuarum neceſſario vobis obtemperat Conſtantino-*

Eccleſ.

Cont. Coc. con. l. 3. c. 51.

tinopolitanæ ciuitatis multitudo, si eam ad Catholicam & Apostolicam communionem vos Principes reducatis. Quam ponderosa sunt hic omnia si vacaret excutere? *Obtemperandum Imperatori pro salute animarum.* Non ergo ita alienæ sunt ab eo salutis causæ. Obtemperandum *& à multitudine* Constantinopolitanæ ciuitatis. In qua mitum ni multi essent Ecclesiastici. Sed remittamus id ei tamen, nec per omnia instemus. Deniq; , *ad Catholicam & Apostolicam communionem vos* (VOS PRINCIPES) *reducatis.* Opus ergò Principum est, ad communionem Apostolicam Catholicamq; reducere, & *viis* & *scipibus* à vero discluſos, id est, vt reddit Augustinus, & *hæresum* perfidiâ, & *schismatum* licentiâ importunius vagantes, omninoq; Ecclesiasticum decorem condere. Quid autem, vt summâ dicam, aliud agit in hac Epistola ipse Gelasius, nisi vt Rex Ecclesiasticam causam disceptet, de Acacio, ex Episcopis, propter hæresim, expungendo, quod boni illi viri nihil ad Imperatorem nunc attinere dicerent, hacq; omni curâ eum perfacilè liberarent? Pontifex autem non satis sibi facere videbatur, si de Acacio ea sentiret quæ sentiebat, nisi Imperatorem in eandem sententiam perpelleret, nec tamen tam imperiosè quam iste simulat, *Debet ergo Maiestas tua sedis Apostolicæ iudicium tueri eiq; obtemperare,* (insolens illatio, & nimis aliena à pietate sancti viri,) sed nimirum vt sua ipsius verba indicant, *Iam hic quid sit magis loquendum non ego profitio, sed sub diuino iudicio vestræ conscientiæ derelinquo.* Et, *Rogo vt me in hac vita potius audias deprecantem, quam, quod absit, in diuino iudicio sentias accusantem.* Monet ergo, & instruit, & orat, & docet, & modicè terret, sed nec suis iudicijs ita mancipat, vt nusquam liceat discedere, & de cætero non ipse in eum insurgit, sed deo eiusq; iudicio relinquit. Vnde nec cunctis generaliter *Sacerdotibus,* sed *recte* nimirum *diuina tractantibus,* fidelium corda submittenda esse ait, & quod dixerat, *ex illorum eum pendere iudicio, non illos ad suam redigi posse voluntatem,* sentit scili-

cet

cet relligionem non inflecti, ac circumvolui, ad libidinem Regum, nec tamen vel ſacerdotes per omnia ſequendos eſſe, (quorsùm enim tum Acacius tam infamis?) ſed illorum *iudicio* piè deferendum, maximè de *Sacramentis*. *Iudicium* quidem vel vbiuis, *voluntas* nuſquam aut *temeritas* obtineant. Atq; hoc nihil officit rationibus noſtris, ſemperq; & à nobis factitatum fuit, & iam diligentiſſimè obſeruatur, vt nulla, de relligione, rebuſue ſacris, ſeorſim ab Epiſcopis, tractatio celebretur. Omitto alia, *quòd imperium & ſuperna diſpoſitione collatum eſt, & Antiſtites parent legibus politicis*: in quo mirum quàm hi homines Gelaſij decreta antiquarunt.

Longiorem me non mea voluntas fecit, ſed adverſarij malitia, & argumenti copia. Abi verò tu iam digne homo *gelaſino*, & *Gelaſianâ* Epiſtolâ nos deinceps territato, cuius partem luculentiſſimam Tortus quaſi *Troxartes* alter præroſerat, non *amore brevitatis*, *cuius ſtudioſiſſimus eſt*, vt tu dicis, ſed odio veritatis, odio authoritatis, quibus infenſus maximè.

CAP. 6.

NEMINI dubitandum eſt, quin Eudæmon-Iohannes, qui non ordine incurrit in vniuerſum Reuerendiſſimi Epiſcopi librum, ſed neſcio quas particulas ex toto revellit, carpſitq;, vt in eas pro arbitratu ſuo ſæuiret, de cæteris tacens, planiſſimè confiteatur tam ſolidi operis molem eſſe, vt non modò leui incurſu non ſternantur, ſed ſi ex nomine eius coniecturam liceat ducere, nec *hominum* nec *dæmonum* vlli cedant iniuriæ. Qualia quidem & alia permulta ſunt, æquabiliter fuſa per totum librum, & illud imprimis de Conſtantino, Donatiſtarum cauſam dijudicante, ad quod fortè fortuna modò aciem reflecto, cum quid proximè in *Tortura* ſequatur inſpicio. Sed ijs omiſſis quæ tam ſacra aduerſario ipſi habita ſunt, vt ea temerare nullo modo auderet, nos ad illa pergamus in quibus materiam aliquam nacta eius rabies eſſe videtur, ſi minùs cum ſpe

lædendi coniunctam, at idoneam tamen experiundi voluntati. De Gregorij verbis epistolà ad Maximum, quæ 25. est libri 5. videndum est. Quo loco nisi Episcopus extra omnem aleam constitutus sit, hic autem se merum *Satanam* prodat, & *nomine & omine accusatorem fratrum*, non recuso quin ipse *reus supponar*, vel vt ait ille,

Iamiam pistrino dedar ego atq; asino.

Paralà p. 78. ad 81. Principio complures citat S. Gregorij sententias, quibus omnibus, vt Absolon olim cincinnis suis, sic suo ipse testimonio strangulatur. *Scimus piissimos dominos:* & rursus, *Dominorum pietas:* & infra, *Serenissimis dominorum iussionibus:* & epistola 32. *piissimus dominus.* Atque hæc omnia ex Gregorio, de Imperatore, aut ad Imperatorem, verba faciente, cum tamen vltrò negârit paulò ante, *os liberum*, illa fari aut ferre posse *Dominus noster*, cum de Rege temporali sermo sit. Quasi quod Papam decere potuit, Principem temporalem alloquentem, id Fraterculo turpe videri debeat, aut cuiquam inferioris classis sacrificulo, vt Regẽ *dominum* appellet *suum*. Sed nimis profectò vndiq; apparet, verum esse quod obseruauit acutissimus Episcopus, humilitatem sancti viri non satis ijs placere, & Gregorium *septimum* illum turbatorem, longè potius quàm *primum* cordi esse. Quàm futilis autem exceptio ad enucleatissimũ responsum Reuerendissimi Episcopi de iussionibus Imperatoris, quarum ter Gregorius meminerat, in eâdem ipsâ Epistolâ, quam Tortus pro se citarat? *Iussiones* ait eas *literas* Imperatoris appellatas, *quæ nihil præcipiunt, nihil iubent, officioso magis quàm vero vocabulo.* Quod tamen officium non adhiberet credo Gregorius, vt sapiens fuit, nisi aliquo iure atq; æquitate niteretur. Sed vos sanctissimi viri virtutem in meras ceremonias commutastis, quas vsq; adeò non retinetis, vt pro jis etiam supercilium & scelus substitueritis. Ac neque contenditis ad eius similem laudem, nec tamen eum frui illâ sinitis, quam ipse pepererat, sed quovis potius nugarum, interpretatione vestra, detor-

Vide supra p. 25-42.

quetis.

quetis. Quòd ſi tibi nunc largiremur verum eſſe quod dicis, multas Epiſtolas nihil tale continentes, *inſſiones* appellari, tamen vide quid tu ipſe nos ignorare non patiaris, magnus logicus, *Denominationem a principaliore fieri conſueviſſe, apud dialecticos*, pag. 23. Vt non potuerit non aliqua ſaltem eſſe iuſſio, eaq; veri nominis ab Imperatore profecta, inter tot eius Epiſtolas *inſſiones* nuncupatas. Cui autem hæc poteſtas iubendi ſemel conceſſa eſt, de reliquo anguſtari nullo modo poteſt, quin in mandata quàm velit multa exeat. Ita ſi ſemel Imperator Papæ iuſſit, potuit & ſæpius: non vocaret autem eius Epiſtolas vſitato nomine *inſſiones*, niſi aliquando ſaltem *inſſa dare* ſoleret. Sed quanti ſtuporis illud eſt, quòd dum oſtendere vis *inſſiones* appellari eas Epiſtolas, in quibus nihil tamen reuera *inbetur*, non nominas niſi illas, in quibus aut veriſſima *iuſſio* comprehenditur, aut certe *obiurgatio* omni authoritatis mandato acerbior? *In ſereniſſimis inſſionibus ſuis dominorum pietas dum me de quibuſdam redarguere ſtudunt, parcendo mihi minime pepercit.* Et infra: *Ego qui in ſereniſſimis dominorum inſſionibus ſimplex deuincior, conſtat proculdubio quia fatuus appellor.* Tu ſi ſatis ſanus eſſes, hæc vnquam proferres ad mitigandum rigorem iuſſionis Imperatoriæ? quibus potius exacerbari omnes vident. Nam quod citas ex Epiſtola 32. de Imperatore hortante vt pacem coleret cum Iohanne Conſtantinopolitano, non video cur hortatum eum dicas potius quàm iuſſiſſe. Niſi Gregorius vt aſperitatem demeret vocabulo, & quàm grata ſibi Imperatoris illa iuſſa acciderint, demonſtraret, verbum illud conſultò ſic immutauit. Certe quidem agnoſcit, & *iuſſum* vocat, & *obedientiam* ſpondet, quæ non ſolet ſimplici cohortationi deferri. *Quantum ad me attinet, ſereniſſimis inſſionibus obedientiam præbeo.* Videſne me nihil hactenus ex Gregorio citare, niſi quod extet in libro tuo, atq; adeò in ea ipſa pagina libri, in quâ hæc ex profeſſo tractanda ſuſcepiſti? Quàm fatua eſt hæc ergo tua principij petitio, vt oſtenſu-

rus iussionem non semper esse iussionem, sed aliquid mitius voce sonare, ea loca assignes, in quibus aut disertissima iussio comprehenditur, aut aliquid iussione asperius grauiusq;? Sed credo te præcipitem ad scribendum ruisse, insaniisse etiam sæpe stylum tractantem. Alioqui & de Aeolo quid est quod fremis, ex cuius ore tu Gregorium loqui facis, cum paulò ante tam sanctus videri velles, vt hanc omnem paraturam Ecclesiasticis interdiceres? Nunc autem & *Poetas elegantissimos* reperisti. Ita non modo non educis eos ex ciuitate cum Platone, sed *elegantissimum* quemq; laudas præ *fructuosissimo*. Et quia *Iuno non habebat potestatẽ imperandi*, arguis nec Mauricio Imperatori fuisse, quantumvis *iussionibus eius* plena sint omnia apud Gregorium. *Sed quæ à viris* inquis *magnæ authoritatis ac potentiæ nobis commendantur, ea mandatorum instar obtinere solent.* Non magnæ simpliciter, ò bone, nisi & maioris quàm ille est cui commendantur. Vnde totum Pontificium hypsoma concidit, quo conscenderunt suprà σέβασμα & σέβασμα πᾶν, id est, reuera suprà Imperatorem. Nam si authoritas Mauricij, quâ eminebat præ Gregorio, faciebat, vt petitiones eius *mandata* viderentur, ergo Papa Antichristus est, & Optati vaticinium suum habet exitum, quo neminem inter Deum atq; Imperatorem medium venturum affirmauit nisi Antichristum. Sed quia locus hic de Torti malâ fide institutus est, ea præsertim quæ in authoribus minus rectè citandis apparet, videamus quæ fides sit Eudæmon-Iohannis, fortissimi vindicis alienæ integritatis. *Hortatum esse* dixerat *Imperatorem*, vt *Gregorius cum Iohanne pacem coleret*. Gregorius autem nec *hortationem* vocat Imperatorias literas vllo loco, & præter id quod iam citaui ex aduersarij ipsius libro ad contrarium monstrandum, videte quid habeat sanctus ipse pater l. 40. epist. 34. ad Constantiam Augustam. *Præterea indico quia piissimi Domini scripta suscepi, vt cum fratre & consacerdote meo Iohanne,* DEBITAM *esse pacificus. Et quidem sic religiosum Dominum* DECU-

Λεγόμενα σέβασμα. 2. Thess. 2. 4.

Contra Parmen l. 3.

IT,

IT, *vt iſta ſacerdotibus* PRAECIPERET. Vt *debeam* inquit *eſſe pacificus*: &, vt *praeciperet ſacerdotibus*: &, *religioſum dominum ſic decuit*. Vt ſciamus quàm veram iuſſionem hæc importent, non cohortationem aliquam, quam iſte confinxerat, non neſcio quid officij nomine tenuandum. Sed inſanit planiſſimè (quid enim dicam delirat?) cum vt doceat Imperatorem non verè iuſſiſſe, ſed tantum per honorem Gregorium ſic locutum eſſe de jis literis, quas ab Auguſto ſolitus eſt accipere, Gregorium nobis citat Epiſtola 32. ſatis id vt dicit explicantem illis verbis, quibus de Conſtantinopolitani Patriarchæ faſtu reprimendo, ſuadet Mauricio ad hunc modum. *Quia verò non cauſa mea ſed dei eſt, & quia non ſolus ego ſed tota turbatur Eccleſia, quia pia leges, quia veneranda ſynodi, quia ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti mandata ſuperbi atque pompatici cuiuſdam ſermonis inventione turbantur, piiſſimus Dominus locum ſecet vulneris, atq; reſiſtentem agrum auguſta authoritatis vinculis conſtringat. Aſtringendo eum, ſtatum reipublicæ ſublevatis, & dum talia reciditis, de regni veſtri prolixitate tractatis.* Quid magis lethale dici potuit illorum cauſæ? quid noſtræ magis lætabile? Nihil dico de inſolentia illius tituli (quem Gregorius pompaticum ſuperbumq; vocat) quem damnatum in Iohanne illo Conſtantinopolitano, ſequens Romanorum Pontificum proſapia celebravit. Sed quid illa ſibi volunt, quòd *cauſa Dei, cauſa totius Eccleſiæ, Legum, & Synodorum, & Domini noſtri Ieſu Chriſti cauſa*, Imperatoris, Imperatoris inquam *pietati* aſſerenda commendatur, tam graui præſertim oratione, vt & *vincula authoritatis* ad *conſtringendum*. Patriarcham quamuis reſiſtentem, eidem tribuantur, & *ferrum* ad *ſtruma* illas ſuperbiæ *execandas*? Quod denique factum eius tam iucundum fore deo pollicetur, vt & toti reipublicæ ſalutem allaturum ſit, & ipſi quoque ad Regnum non breue tempus propagaturum. Sed non ſatis erat huic væcordi, qui ſe Eudæmon-Iohannem vocat, pro inſigni ſtultitiâ ſuâ, locum

à proposito alienum adducere, nisi pro singulari furore, maximè etiam aduersum atque contrarium inculcaret. Quòd nisi Regiæ reprehensionis rationem habuit, voluitq; *sinistimum* omne adscribere, nescio quid spectauit cum hæc tam inimica sibi rettulit, ne verbo quidem apposito vnde sciremus, quo tandem sensu sibi fauerent. Vt quidem p.77.Parall. cum sic legerē quomodo est in libro eius, *Cum tamen Iunoni nullum ius esset imperandi. Id quod Epistola 32. satis explicat Gregorius, &c.* Gregoriana illa verba quæ proximè adducit, & quæ nos iam retulimus, eò fine dubio spectatura existimarem, vt docerent Aeolum non fuisse obnoxium Iunonis authoritati, nec Iunonem imperium in eum aliquod habuisse. Quasi Gregorio curæ fuerit de *Æolo & Iunone*. Cum autem ipsa verba diligenter pondero, multò etiam magis hoc suspicor. Nec alioqui, quorsum citet, vllus adhuc video.

Sed tria restant purganda in responso Episcopi ad locum S. Gregorij. De *elicito per obreptionem*, de *laxata censura*, de *suspensione Maximi donec de Imperatoris voluntate constaret*. Gregorius hoc attulerat quò minus Imperatoris nomine moueretur, ijsq; terroribus, quos falsò Maximus ei obiecerat, quia nihildum inaudierat de Imperatoris iussionibus, quæ tamen si vllæ essent, *per obreptionem elicitas*, se eas credere. Non dixit vt vos, *Quid Imperatori cum his rebus? Quæ potestas ei iubendi est?* sedsi quid iussisset, Parall.vbi putas. in eo se *obreptum illi* putare. Quid ad hæc Iesuita? *Gregorius tamen & Imperatorem modestè excusauit, & rem ipsam satis notauit, ijs ipsis indicijs, quibus Imperatoris iussionem vocauit in suspicionem. Neque enim quod disciplinæ aduersatur, quod ordinem turbat, quod Canonibus contrarium est, eius iubendi potestatem vllam habere potuit Imperator, &c.* Quasi nos hoc dicamus, iniustum quid iubendi potestatem penes Imperatores esse. Sed iubere quod rectum est ijs fas esse dicimus, & in negocio Ecclesiastico, & sacro homini iubere, & postremò Pontifici ipsi, vt hic Gregorio. Iniusta

qui-

quidem & impia atque inordinata iubendi, nec nos *rerum dominis*, nec vos vel Pontificibus veſtris veniam ſpero vllam facietis. Quibus proinde *obreptum* ſæpe fuiſſe dicitis, & cum eo verbo de ijs vtimini, quo hic Gregorius de Mauricio, non in dubium reuocatis eorum authoritatem, ſed erroris culpam in alios deriuatis. Quòd ſi Mauricius hic authoritatis ſuę fines egreſſus eſt, non erat ſatis Gregorio *modeſte excuſare*, vt tu ineptè ſtolidèq; reſpondes: flagitium fecit & magnum quidem, in eo quòd non oppoſuit ſe pro iure domus Dei contra vſurpatorem, ſicut ille Pontifex contra Oziam, ad thuribulum nimis temerè proſilientem, ſed barbaro furori patientiâ ſuâ atque obſequio lenocinatus eſt. Quod ſcimus quantum abſit à Gregoriana conſtantia, qui non vno loco mortem ſe oppetiturum potius clamitat, quàm munus ſuum timiditate proditurum. Ac quod ſe ſcire ait Imperatorem *ſacerdotalibus negocijs ſeſe non miſcere*, intelligit per iniuſticiam non occurſaturum illorum actibus, nec leges potentiâ refixurum, nec commiſſurum vt libidini ſuæ ſancta Eccleſiæ diſciplina ceſſiſſe videatur. Deniq; audiamus ſanctum Gregorium. Locus eſt lib. 5. epiſt. 25. *Sed etſi forſitan pro reipublicæ ſuæ vtilitate, quæ diuina ſibi largitate conceſſa eſt, multa cogitantibus, & in diuerſis ſollicitudinibus occupatis ſuggeſtum eſt, & eorum iuſſio per obreptionem elicita, &c.* Quid clarius? Non imputat temeritati quòd inuaſerit in alienum, cum Eccleſiaſtica diſponendi ſibi ius ſumpſit, ſed moleſtijs atque occupationibus eius haud immeritò condonat, quibus tantis vndiq; circumſeſſus erat, vt ſimulac deſpexiſſet, facile eſſet cuivis eius tempus aucupari (vt ait ille de L. Sylla) & Imperatorem vel optimum circumvenire præpeditum. Ita clarum eſt Imperatorem mandaſſe & de ſacris ac ſacerdotalibus. Quòd ſi rectè, obtemperatum fuiſſe & à Pontifice ipſo Romano, ſin forte incautiùs, Gregorium tamen non habuiſſe niſi illud quò refugeret, *Ego infœlix quid facio?* Vide Epiſtolarum l. 4. Epiſt. 34. ad Conſtantiam Auguſtam.

Pro Roſe Amer.

Alterum

2

Alterum caput eſt, de *cenſura à Gregorio relaxatâ*. Et *quomodo* (inquit Epiſcopus) *relaxata*? Reſpondet ex Gregorio, *ſecundum iuſſionem Sereniſſimi Domini Imperatoris*. Quæ eius verba ità te vexant, vt ſtatim eum *mentitum* dicas *in caput ſuum*, qui nihil niſi *ex capite*, atque adeo ex ipſo *ore* S. Gregorij reſponderat. At Imperator non habuit ſoluendi authoritatem, quam ſolis ſacerdotibus Chriſtus commiſit, & de eo teſtem citas ipſum Epiſcopum. Quid tum vero? Vt intelligamus Epiſcopum accuratiſſimè tenere totius huius quæſtionis rationem atque vim, vos Eccleſiæ noſtræ ea ſæpenumero affingere, quæ nunquam cuiquam noſtrum in mentem venerunt. Sed reliquum eſt igitur (inquis) vt ea iuſſio non *poteſtatis* ſed *reuerentiæ* fuerit. Vis dicere (inſulſiſſime) *obtemperatum* eſſe à Gregorio per *reuerentiam*, non *mandatum* à Mauritio *per authoritatem*. Alioqui enim & *poteſtatis* fuit in Gregorio laxare, & *reuerentiæ* quòd detulerit Imperatoris mandato, eiuſq; authoritatem ſecutus ſit. Neque nos cum *iuriſdictionem* Regibus aſcribimus, (liceat enim cũ Alciato veſtro ſemel ſic loqui) idque in cauſis ſacris, atque in ſacras perſonas, iuriſdictionem adminiſtratiuam, ſed gubernatiuam potius illis aſcribimus, vt ſubleuandæ tarditatis tuę causà ſic enunciem. Te autem non eſt nirum neſcire quæ doceamus, atque ita in ignotam cauſam furere; qui pag. 383. & ſequentibus, Epiſcopi ſententiam hac de re ita probas, vt in eam pedibus ipſe concedas, qui tamen nihil diuerſum ab Eccleſia noſtra docet, à quo Eccleſia noſtra nihil. Cæterùm audite ſi placet graue crimen: *Laxatæ cenſuræ nulla eſt mentio in verbis Gregorij*. At culpæ laxatæ mentio apertiſſima. *Intolerabilis quidem culpa eſt, ſed hanc ſecundum iuſſionem Sereniſſimi Domini Imperatoris laxamus*. Ac vt mihi quidem videtur, ſi diſcrimen vllum in vocibus eſt, paulò durius illud dicitur, cum de homine dicitur, *Culpam laxare*, quàm *pœnam*. Pœnam enim imponimus & pro noſtra voluntate, quam proinde etiam remitte-

Alciat. in cod. rubr. de Sacroſanct. Eccleſ. tom. 3. pag. 198.

Paral. p. 78.

Concil. Nicæn. can. 12. Ancyran. c. 5. & 18. Neocæſar. can. 2. &c.

re

re multò melius poſſumus; culpa quaſi alterius fori eſſe videtur. Qui igitur *culpam*, næ idem *pœnam* multò magis *laxabit*. Quanquam cum addit, *atque de hac re contra te minimè mouemur*, quid quæſo niſi cenſuram pœnamq; condonat?

Tertium atque vltimum *de Maximi ſuſpenſione*. In quo magna elucet authoritas Imperatoris, & ad res Eccleſiaſticas gubernandas, cum negare non poſſis, imo cum fatearis ipſe, diſertis verbis, eatenus ſuſpenſam fuiſſe ſuſpenſionem Maximi, *dum conſtaret an Imperatoris voluntate ordinatus eſſet*. Recordare enim ſi placet verba tua, pag. 80. Itaque hactenus in Epiſcopi verbis nihil mendacij eſt, in Gregorianis rationibus multum modeſtiæ, in Imperatoris perſonâ ſingularis authoritas, cuius voluntas ad Epiſcopum ordinandum ſatis eſſet, nullâ accedente Pontificis conſcientiâ. Quid eſt igitur quod queraris? Nimirum altera ſententia ſuſpenſionis in Maximum lata eſt, eaque non ſuſpenſa ad Imperatoris arbitrium, ſed vim ſuam abſolutè ſortitura, niſi Maximus ille à Miſſis celebrandis deſiſteret. Quaſi verò non præſumptam Imperatoris voluntatem, hic quoque interceſſiſſe exiſtimandum ſit: cum *piiſſimos Dominos certum eſſet nihil contra Canones & diſciplinam turbaturos*, vt ipſemet Gregorius ſibi iam ante perſuaſerat. Et tamen, quod tu diſſimulas, non ita abſolutè pronunciavit in Maximum, quin Auguſtam certiorem de re tota fecerit, vt per illam viciſſim marito innoteſceret. Vide lib. 4. epiſt. 34. ad Conſtantiam Auguſtam. Quæ ipſa ſignificatio rationum ſuarum, quaſi imploratio quædam fuit Imperatorij conſenſus, vel eiuſmodi certè ſubmiſſio totius negotij ſub eorum voluntatem, vt aut ratum eſſet ſi ij fauerent, aut ſi minus, Gregorius tamen ſuo functus officio videretur, de reliquo quieturus. Sed eſt etiam quod te hic moneam Eudæmon-Iohannes, quia mirè in hac cauſa hoſpes eſſe videris, non libenter nos faceſſere tantam Imperatoribus Regibuſq; moleſtiam, quorum perpetuas occupationes ſcire

3

paulò ante poteramus vel ex Gregorio, vt nulla Eccleſiaſtica cenſura imponatur, niſi illorum arbitrio prius requiſito. Cuius enim importunitatis illud eſſet? quando negotium ſuum ageret? quando regni? quando deniq; nihil ageret? Ita potuit Gregorius Maximum ligare non admonito Imperatore. Et ligauit vt fatemur, ſed in cauſa ſuperbiæ atque contemptus, in qua Imperator nullus interpoſuerat; non de præpropera ſuſceptione in ſe Epiſcopatus Saloniani, quam cauſam Imperator noticiæ ſuæ ſeruârat, Gregoriumq; interea ἐπίσκοπον iuſſerat. Deniq; antiſtes maximus mendaciorum, & alter vt ſic dicam Olympionices in hoc ſtadio, aſpergit ſuo puluere Reuerendiſſimum Epiſcopum, eumq; poſtulat huius criminis bifariàm. *Semel quòd ſuſpenſam docet ſuſpenſionem ad Imperatoris arbitrium. Iterum quòd hoc ipſum mendacium ſuum ad hanc Epiſtolam accommodat, in qua ſententia fertur praciſè, ac ſine ſuſpenſione vllâ, ſuſpenſionis.* Quaſi eadem Epiſtola vtriuſq; ſententiæ non meminerit. Sed Lector hæc iudicet, te *Satana Dominus increpet.*

CAP. 7. TANDEM aliquando ad *Breniculum* peruentum eſt, id eſt, ad odioſiſſimum vnum locum totius libri, vel à rei propoſitæ ieiunitate, vel ab iniquitate & impudentiâ ipſius aduerſarij. Sed de priore horum parum eſt, in quo ſuo iudicio vtatur lector, ſi quis fortè hæc rugoſa & hirta non concoquit: ſimul enim nec aduerſario ſuſurranti aures dedet, ipſáq; iniucunditate à contagio abſterrebitur.

——— aliquis q, malo fluat vſus ab illo.

Alterum mihi vehementius conquerendum eſſe cenſeo, vt omnibus deteſtationi ſint horum hominum rationes. Quid eſt enim tam iniuſtum, tam inuiſum imo ac barbarum, quàm Regni florentiſſimi conſilia infamare, acta peruertere, leges ac conſtitutiones ſceleratiſſimè mentiri, mox neſcio quid ſtraminei homuncionis producere, & aut à te, aut certè inter tuos, ficti, cuius authoritate vſq; obnitare,

vel

vel ad rempublicam gravandam, vel ad furores tuos excusandos ? Deum immortalem, quousque hæc tam iniqua tentabitur ratio ? quousque id in Regnum vniuersum valebit, quod nec inter priuatos ius est, vt neglectis tabulis & fide publicâ, solâ accusatoris oratione opprimamur ? *Statuite duos viros filios Belial contra Naboth.* Hic autem nec duos. Vnum tantummodò testem citat, eumq; *perpusillum.* Ex cuius ore videlicet fama pendeat gentis nostræ, *vrbes populiq; responsa concipiant.* At cur proximo cuiq; creditis de rebus longinquis ? Cur domestico narratore contenti estis ? Cur autem audacissimum quemq; potius consulitis, quàm vel relligione grauem, vel prudentiâ præstantem, vel noticiâ rerum ipsarum spectatum satis & probatum ? Verum enim est illud quod dici solet, *Pluris est vnus oculatus testis quàm auriti decem.* Cur vt quisq; adolescentulus prior calamum occupauit, & nescio quid chartæ furibundus illeuit, ita nefas deinceps ducitis ab eius pronunciatis, tanquam ab oracvlo tripodeue, discedere ? Altè penetrat quod semel insedit, & nullus τῇ δοκμῇ locus relinquitur, ne si omnia quidem coneris, apud animum pestilenti anticipatione præoccupatum. Accusatur publica regni iustitia, Rex ipse clementissimus, & omnis memoriæ mitissimus, ac leniissimus, pro sanguinario & tyranno nefariè describitur. Si quæris à quo ? à Matthæo Torto. Si quo teste quæris, quibus argumentis ? *dixit Breuiculus, habet Breuiculus, Breuiculus sic explicat,* id est, liber in Normandia nescio vbi protrusus, ἄκρατος ἀνυπόστατος, cuius nec author scitur, nec ipsum monumentum, quantumvis indagatum, adhuc ad nos peruênit. Nonne præclarè iam se res habet, cum Regia existimatio à talibus duobus impunè conculcatur, altero *obscuri* (& Typographo suo fatente) vel vt postea apparuit planè *spurij*, altero *nullius nominis* animali ? Nimirum hæc ratio illa portenta nobis peperit, quibus nulli nec mendaciores vnquam extitere tragelaphi, nec monstruosiores per omne ævum hippocentauri, de inusitaris 1. Reg. 21.

Pontificiorum ſupplicijs apud Anglos, de humanis viſceribus gliri datis in paſtum, de inſutis alijs in pelles ferarum, & rabidorum canum laniatibus obiectis, vt quæ nemini vnquam tyranno præter vos in mentem veniſſe leguntur, ea quia concepta animo deſignare non poteſtis, & in corpus noſtrum, quod velletis, expromere, interea ſaltē in famam conuicio conferatis. Ab hoc conſilio & *actuarius* iſte, in quem modò dirigimus, quia neſcio quâ atramentariâ fœlicitate ſuâ valet, acta regni non dubitanter traducit, carpit exempla in pulueratios edita, eximit è proditorum numero quos vult, Martyres conſecrat, iudices lacerat, tribunalia inceſtat, audet contra Theatrū orbis terræ venire, & vnus vniuerſis os ſuum opponere. Si requiris quâ ſpe, quâue mercede, vt poſtea authoritatem obtineant hæc eius ſcripta, & ſicut nunc *Breniculus* tanti eſt apud *Critolaos* iſtos, vt clariſſimam legum noſtrarum lucem obruat, ita Garnettiana apotheoſis per Eudæmon-Iohannem, non noſtras modò tabulas & authentica refigat, ſed *maria* (vt ait ille) *& terras cœlumq́, tandem ipſum deprimat*. Quam prouide verò, vt omnia, iam inde ab initio, Rex ſagaciſſimus, & certè de ſublimiore quodam genio hauriens, ciuitatem illam in ſeptem montibus ſitam, reſonare omnigenis ſuſurris dixerat, & latè multiplicatos ſonos ſpargere, vt Dodonæam porticum (quæ eſt apud Plutarchum) imitans, non ſolū ἐπιλάλους ſed ἐπιλάροντες exiſtat, & quod ait Euripides de loquaciſſimo toto genere viatorum atq́, præconū, *δίς τόσα πυργῶν τῶν γιγομένων φιλῆσα. Arcem è cloaca, & ſepulchrum pro deo:* extra etiam idolomanias ſuas, & in ſermone promiſcuo. *Sunt quædam ſpecula*, inquit bellè Seneca, *quibus ſi vnum oſtenderis hominem, populus apparet.* Id hîc valet. Et talis nuncius ille ad Dauidem, exaggerator ſupra modum, qui ex vnâ vnius Amnonis nece, omnes filios Regios interiſſe pronunciat. His artibus ſuum regnum Antichriſtus propagat, his indies ſibi vires acquirit bellua, *mendacio portento*, 2. ad Theſſ. 2. 9. & *portentoſo mendacio*, vt

De finibus 5.

In Apologia.

Hecubâ.

Natur quæſt. l. 1. c. 5.

res iam probat. Nec horrori illud eſt ijs in extremo Apocalypſeos, de ſtagno ignis ac ſulphuris aſſignato, cùm alijs maleficis perditiſq; mortalibus, tùm omnibus & fingentibus & amantibus ψεῦδος. Quorum alterum authores impoſturarum harum ſerit, alterum ad credulam multitudinem pertinet, quæ talibus paſſim paſcitur in perniciem ſuam. Sed ne queri duntaxat dolorem noſtrum videamur, nihilq; præterea agere, inſpiciamus vt ſarciat quę ab Elienſi conarguuntur in allegatione edicti.

Primum eſt *de ordine*, quem certè Tortus turbàrat. Reſpondet non *intereſſe, quòd & ſacra ſcriptura Apoſtolos cõpletens, in cæteris quidem ordinem nullum certum ſeruat, a ſolo autem Petro ſemper orditur, quòd ille Princeps eſſet ordinis Apoſtolici.* Quaſi non alia ſit nominum, alia ſententiarum inter ſe conſecutio. Non enim refert fortè quod primum nomen ponas in enumerando, at refert certè non parum de ſententijs, de clauſulis, niſi illud redeat quod irridet Plato, Vide paral. p. 82. 83. &c. connexis.

Χάλκεα τάρθενος ἦμι, Μίδου δ' ἐπὶ τύμβῳ κεῖμαι In Phædro.

vt ſcilicet non interſit, à primo an à poſtremo verſu poema auſpiceris. Quàm autem elumbe de Petri primatu, quem hic ingerit, & colligit ex nominis præpoſitione? At & Aquilam Priſcillę Scriptura poſtponit, & poſtponit conſtanter, obſeruante Chryſoſtomo: cum tamen non præeſſet Aquilæ Priſcilla, *in ſpiritualibus* ſaltem, quod vos vultis. Sed fuit ignitior zelus Priſcillæ, & Petrus reliquis ὑπέρτερος Apoſtolis. Geminum eſt quod Baronius adhibet de vmbra, vt quia vmbra Petri ſanauit infirmos, ideo authoritas eius in poſteris eadem eſſe credatur quæ in ipſo viguit, quia illius quaſi vmbræ quædam ſunt poſteri, atque vtinam vmbræ. Nam quid ego de eo dicam, quòd & Principem Apoſtolici nobis ordinis iſte formet, quaſi hyperapoſtolus quidam à Chriſto inſtitutus ſit, & non ſit Apoſtolus ſummum nomen in Eccleſia. *Primum Apoſtoli*, inquit Paulus, 1. Cor. 12. 28. Vel, ſi aliquis Apoſtolo ſuperior ferendus Baron. ad annum Dom. 34. T. 1. p. 167. Vide S. Chryſoſt. Tom. 8. ed. D. H. Sauil. p. 134. Orat. in Actorum initium ſecundâ.

est, ille Petrus potius sit quàm Paulus, qui tamen ait de se, ὑπὲρ ἐγώ, id est, plus ego. Et alibi de eximijs loquens, non vnum sed multos memorat τὰς λίαν ἀποστόλους, quibus tamen se nihilo inferiorē reputat. Deniq; audire gestit quid tandem erratum sit in ordine violando, quid sequius se habeat propter inuersam methodum. Qua in re etsi falsitas nulla sequuta sit, quod non temerè dixerim, tamen & inuidiæ profectò nimis multum datur, quæ præclarè lenitur commodâ consecutione sententiarum ex se mutuò, quoties decreta tristiora clementioribus temperantur, & denique negligentiam ac supinitatem nimis crassam, vt in homine tam curioso alienorum, redolet, ideoque vel hoc nomine reprehendi iure meruit.

CAP. 8. INVIDIOSE & illud, dicam amplius, *flagitiosè*, quòd edictum in Catholicos latum dicat Tortus, & coactos homines sub interminatione *frequentare templa hæreticorum in ipsis terminis*. Nec enim ingenuè hoc vt ab aduersario, qui nouit nos fidem non odisse Catholicam, sed potius anquirere, nouit inquam ex dissidijs ipsis cōflictationibusq; cum eo nostris, nec omnino verè vt à magistro historiæ. Declamatorem fortasse aut rabulam illa verba deceant, itemq; quæ proxima sunt de *cœna hæreticorum*, & quæ addit Gnatho noster de *ientaculo*, narratorem certè relatoremq; nullo modo. Nonne hoc est *inquinare* quæ te dicis *indicare*, & pro *Breuiculo* candoris, *largam legendam* amarulentiarum apponere? At, *docere lectores debuit*, inquit Iesuita. Quid tandem? Non dogmata, sed Acta Comitiorum regni Angliæ. Tum quis est tam ignarus, tam rudis omnium, cui nisi vobis docentibus & vbiq; inculcantibus, non intelligat rationem nostram percipiendæ Eucharistiæ tam distare à vestra, quàm vos à primigeniâ, proh fædè, desciuistis? Et hoc igitur petulantiæ datum est planissimè. Exhauserunt inquam stomachos suos siue Breuiculus, siue Tortus, non Acta *prodiderunt*, nisi vt Iudas Dominum suum hoc loco.

At

At in eo satis facetè, quòd sententiam edicti *dialecto suâ reddi posse non putas, nisi reddatur Anglicanâ*. Verbum è verbo redditum oportuit mi homo, quicquid sit de idiomate, idq; tuâ ipsius lege, qui postea vbi Episcopum *Inconsequentiarum* postulas, non arbitraris contradictorias ab eo rectè positas, nisi verba retineat, etsi sensum, quantum satis est, exprimat. Sed de harum similiumq; captionum tuarum tendiculis, conueniemus te, cum eò loci venerimus.

Est etiam vbi nullum nec à Breuiculo perizoma prostituto Torto. *In carcerem latronum, & sicariorum dari iubentur, qui Iuramentum recusant*, inquit Tortus. Malitiosè & invidè & falsò, quis negat? Sed *habet Breuiculus*. Non habet. *In publicum* inquit *carcerem, hoc est latronum & sicariorum*. In quo quanquam nimis se dilatat Breuiculus, qui etiam Torto exponit quid sit *carcer publicus*, quasi viam ei demonstraret ad debitum hospitium, tamen latior multò Torti culpa subest, qui Breuiculum abbreuians (*breuitatis enim studio*, inquit Eudæmon-Iohannes, *Tortus hoc fecit*) largius nomen secutus est quia inuidiosius, breuius & rotundius, quia commodius, omisit. Quid est autem quod de plebeijs hoc loco garrit? *Quò* (inquit) *plebeij, quò latrones, quò sicarij*. Quasi plebeius furoris, non conditionis, esset vocabulum, aut recusantes Fidelitatem in peculiarem aliquem carcerem, vel si vis in Prytaneum, pro excellentibus meritis suis, non publicum communemq; conijciendi viderentur. Quod reliquum est, confitetur violento verbo vsum esse Breuiculum, cum Regi inuasionem bonorum tribuit, *Rex invadat duas tertias bonorum*. Lætandum est non penitus deploratum esse pudorem, & furcâ abactum tamen recurrere. Quanquam ne hic quidem nimis ingenuè agit ὁ ἀνὴρ, qui perseuerat *hanc invasionem esse proprie dictam*, tantum verbo minus significanti vtendum fuisse decernit, cum de Rege sermo esset. Quasi de verborum significatione, quæ lis est Grammaticalis, non de horribili conuicio vestro Rex quereretur, cum *prædonem* eum, cum *Iulianum*, Pag. 36.

cum

cum *nec Christianum*, pingitis fingitisq; furciferi.

CAP. 9. MERITÒ etiam notauit Reuerendus Episcopus, Tortum in allegandis edicti partibus, per maiorem inuidiam ea omisisse, quæ ad mitigandum rigorem, & demonstrandam legislatoris elementiam facerent. Insigne crimen in eo, qui in se suscepit acta recensere, ea vt omittat quæ in re inhærent, ad eamq; propriè spectant, illa sola assumat, quæ suo sanguinario proposito inseruiant. Ac si illud quis exaggeret aduersus deum in Decalogo, quòd *peccata parentum in tertiam quartamve generationem puniat*, illud autem fileat, quòd *misericordiam exhibet idem in millenas*. Quod eorum est, qui vt alia ex ijsdem tabulis erasere, & nominatim hoc ipsum totum mandatum, ita deum quò formidabilem nobis facerent, illi *vindictam & vltionem* ascribunt, omnem autem *misericordiam* in Mariæ medullis visceribusq; condiderunt. In Catechis. quibusdam Pontificijs. Respondet huic loco Eudæmon-Iohannes, *omissa etiam alia à Torto non panca, itemq; à Breuiculo, quæ haud parum amplificant rigorem legis, siquidem ponantur*. Sed hæc nulla responsio est; tantùm ostendit Tortum cũ Breuiculo neutrà ex parte satisfeciſſe muneri suo, atque adeò vtrumq; in vtroq; imperfectæ relationis genere claudicasse. Deinde illa quę notat, siue etiam quæ nominat, qualia sunt? Quæ primùm nescimus absint necne à Breuiculo, quia nullum vt dixi exemplar eius obtinere possumus. *Heus puer abige veros gallos à tabula*. Non ferunt Dagon & arca coniungi. Reformidat Angliam Rothomagensis Breuiculus, in Angliam blasphemus. Tum quod notat in 14. prout extat apud Episcopum, *ne quis seruum impunè domi suæ habeat sacra recusantem*, an tibi hoc durum aut rigidum videtur, an inuidiam edicto, aut misericordiam partium vestrarum, commoturum? Quàm lenta potius segnities si aliter se haberet, quàm pudendus & nusquam excusandus torpor? *Ego & domus mea*, inquit Iosua. Iosu. 24. Non satis habet vt vides polliceri de se, nisi domum etiam offerat, deo quem colit, ap-

pendi-

pendicem muneris. Et Abraham vernas eduxit in hoſtē ſuum, Gen. 14. quo etiam modo nos cum ſeruis noſtris, totāq; familiā, deo contra Satanam militare debemus. In mandato de Sabbatho, nonne edicitur de ſeruo, imò etiam de ancilla, atque adeò de hoſpite in domum recepto, vt omnes commune ſacrum deo peragant? Vnde illa in Cantico, cap. 8. *Apprehendam te, & ducam in domum matris mea, in cubiculum genetricis mea, ibi me docebis.* Vult omnem familiam eodem religionis ſociari vinculo. *At nec advenam licet excipere ſacra recuſantem*, inquit iſte, *ex edicto.* Et meritò non licet, vt iam oſtendi. De advena ſub tecto noſtro cauetur in Decalogo, vt ab omni profanatione Sabbathi ſe auocet, & ſoli diuino cultui vacet. *Non manebit in domo mea*, inquit Dauid, *qui flagitioſus eſt.* Nedū credo *qui nomen nominat alienorum deorum*, qui *offert oblationes* à quibus ipſe abhorret. Periculoſum, fugiendum, illud vbi accidit, *Peregrinus ad me venit*, 2. Sam. 12. 4. nota eſt reliqua atrocitatis tragœdia. Non ergo hæc augmenta ſunt ſeueritatis noſtræ, ſed neceſſaria pignora ſeruitij deo. Et tamen exceptiones ſunt ab hac ipsā ſanctione, *Si pupillus ſit, ſi parens, vel ſi cuſtodiæ eius commendatus authoritate publicā*, tum vt impunè ſit talem ſecum habenti & recuſantem. Sed vt phrenetici fremunt cum à medico ligantur, & nominatim ille miſer, ὁ δαιμονῶν, in Euangelio, diſrupit catenas, vincla diſiecit, alligari non tulit: ſic tu cum tuis ſtomachamini & ringimini Eudæmon-Iohannes, in hac ſalutari ſeueritate Principum, quod olim ante vos Circumcelliones fecere apud Auguſtinum, Luc. 8.

Vincla RECVSANTES——

& nimirum vt quadrant cætera;

Quos hominum ex facie dea ſæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum. Aeneid.

Quid autem Auguſtinus? Allegabo tibi non omnia, ſed ſanè perpaucula, ex vnā eius Epiſtolā 48. ad Vincentium. *Niſi legum iſtarum, quæ tibi diſplicent, vinculis* (te alloquitur

Papistæ sydderam.

Eudæmon-Johannes) *tanquam phrenetici ligarentur* [Circumcelliones, *non sanarentur.* Vides sanitatem huic seuetitati deberi, & nulla remedia tam facere dolorem, quàm quæ sunt maximè salutaria? Illud autem quàm grauiter? *Contemnere & tolerare, nihilq; quod ad terrendum & corrigendum valeret agere, esset vere malum pro malo reddere.* Videsne vos beneficio obstrictos nostro, de quo tamen quiritamini, & litem intenditis? Tum, *Quid illud alterum genus morbi grauissimi eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, sed quadam vetustâ socordiâ premebantur, dicentes nobis, Verum quidem dicitis, non est quod respondeatur, sed durum est nobis traditionem parentum relinquere.* [quos depingit?] *nonne salubriter regulâ temporali molestiarum excutiendi erant, vt tanquam de somno lethargico emergerent, & ad salutem vnitatis evigilarent?* Sed tota Epistola mihi describenda esset, si nihil vellem omittere; contexam tamen & adhuc quadantenùs. *Quàm multi ex ipsis nunc nobiscum gaudentes* (Sheldonos, Copleyos, & Salkeldos mihi cogita) *pristinum pondus pernicioſi sui operis accusant, & fatentur nos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno, ita morbo veternosæ consuetudinis interirent? Puto certè quia dilectione, non odio flagellati sunt.* Clarissimè autem, *Gratias agimus deo de pollicitatione completâ, quâ Reges terræ Christo seruituros esse promisit, ac sic curauit morbidos, sic sanauit infirmos.* Quid illa? *Legis Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum. Nisi fortè chariorem putas hominibus esse pecuniam, vel qualemlibet possessionem, quàm lucem istam quæ oculis capitur. Hanc ille cœlesti prostratus voce, subitò amissam non recuperauit, nisi cum Sanctæ incorporaretur Ecclesiæ.* Ille igitur oculis, vos tantùm loculis mulctamini. Adde iam; Iezabel *occidit Prophetas, Elias occidit pseudo-prophetas, Pharaoh populum Dei duris laboribus attrebat, Moyses eundem populum impiè agentem, duris coercionibus affligebat. Similia fecerunt, sed non similiter prodesse voluerunt.*

Papistæ moderam. sed imperiti.

erunt. *Ille dominatione inflatus, iſte zelo inflammatus eſt.* Sed nec ita deſinit. *Legimus non ſolùm quòd ceciderunt Iudæi Paulum Apoſtolum, verumetiam quòd ceciderunt & Græci pro Paulo Apoſtolo Soſthenem Iudæum.* Illa verò elegantiſſimè, *Tres cruces in uno loco erant,* (Chriſti puta & vtriuſq; latronis,) *Quid ſimilius iſtis crucibus? Quid diſſimilius iſtis pendentibus?* Item, *Traditus eſt Paulus includendus & colligandus, ſed quolibet cuſtode carceris peior eſt vtiq; Satanas, cui tamen ipſe Paulus tradidit hominem in interitum carnis, vt ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Ieſu. Et hic quid dicemus? Ecce mitiori tradidit crudelis traditor, crudeliori tradidit miſericors traditor. Diſcamus, frater, in ſimilitudine operum diſcernere animos operantium, nec clauſis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accuſemus.* Tandem, *Temperata ſeueritas & manſuetudo ſeruanda eſt, vt coertione exiliorum, atq; damnorum tribulatione, admoneantur conſiderare quid & quare patiantur, & diſcant præponere rumoribus & calumnijs hominum Scripturas quas legunt dei,* vel quas debebāt certè. Extremum hoc ſit, *Vides non eſſe conſiderandum quòd quiſque cogitur, ſed quale ſit illud quò cogitur, &c.* Hactenus Auguſtinus. Ex quibus cernis quàm ſalutaris hæc ſeueritas viſa ſit manſueto patri Auguſtino, dummodò ne vltra pecunias aut poſſeſſiunculas ſæuiret, quàm neceſſarium hanc *virgam in arca* retineri, & *latera ſubinde tundi filij delicati,* hoc eſt, Recuſantis obſtinati & proterui, ne ſublatâ diſciplinâ relligio intercidat, euerſis legibus omnium licentiarum colluuio exundet.

ILLUD verò mirandum, decimum octauum edicti articulum à te carpi. In quo nihil video quod incuſes. Quid enim ibi agitur, niſi tantùm actori indemnitas paratur, vt leges liberum habeant curſum ſuum, & omnis aditus iniuſticiæ præcludatur? Ac minus in 19. & 21. *ne fraus vlla fiat inriſdictioni Eccleſiaſticæ, per hoc edictum.* Cur enim vna lex bona alias tollat? Quod verò etiam nominas, & di- CAP. 10.

ſertè ponis, *ne duas illas tertias terræ, & fundorum, alteri Recuſanti dimittere liceat*, omninò & ſapientiſſimè & æquiſſimè prouiſum eſt, niſi ludere legiſlatorem verum eſſe exiſtimes, & cum in hæreſim non in hominẽ lex diſtringatur, *antico* excluſam, *poſtico* recipiendam fuiſſe ſuperſtitionem veſtram. Tum, *vt Nobiles per ſenatores, ſicut plebeij per Eirenarchas ſuos explorentur.* Honorarium hoc quidem non oneroſum. Ita enim Regiæ ſecuritati proſpicitur, vt ratio habeatur dignitatis etiam ciuium. Sed hæc ſunt illa grauamina quæ omiſit Breuiculus, hæ illæ ſpinæ, quas non mirum calcare eum, qui ſpinas in pedibus natas circumgeſtat, faſtidioſum hominem, Ieſuitam Cydonium.

Quanquam (inquit) ſi quis *attentè conſideret, vix vllam in ijs exceptionibus inueniet, quæ ad mitigandam faciat legis ſeueritatem.* De exceptionibus ijs loquitur, quas prætermiſſas à Torto queſtus eſt D. Elienſis. Id videamus.

1 Primò, *quòd in duabus illis bonorum partibus, quas lex Regi adiudicat, non comprehendatur domus ipſa fundúſve Recuſantis, in quo habitare ſolitus.* Hoc iſti ſuauiludio pro nullâ gratiâ reputatur, non exturbari præcipitem è domo, è lare ſuo, non paternis ſedibus auitiſq; expelli, vt ædes cuiq; ſuæ ſint exilium. Cuius ego commoditatem quid pluribus perſequar? Scitum eſt quòd Seruator eò alludens, *Vulpes foueas habent, & volucres nidos, filius autem hominis nec vbi caput reclinet.* Hæc propè vltima humiliatio fuit verbi incarnati. Οἶκος φίλος, ὄικος ἄρτιος. Sed non videtur ijs graue, ſi nos vitâ exuerint, ſi mundo expulerint, ipſos domo non carere, *ſub vite & ficu ſuâ in* patria ſedere, in nullâ beneficij parte numeratur. Omninò tam perſpicuum cauillatorem hic agit, vt verear ne abuti videar lectorum patientiâ, qui tam diligentèr ſingula reſellam. *At domus non comprehenditur in duabus tertijs bonorum.* At comprehendi poterat, niſi lex ſe explicaret. Nonne *bonum immobile* tibi domus videtur? *At ſatellites duntaxat noſtri hinc inhibentur, ne præter conſtituta prædas agant in domum.* Præter, inquis,

conſti-

conſtituta? Et quæ tandem *conſtituta*, niſi hanc mitiſſimam humaniſſimamq́; cautionem, quæ vim ſuperioris ſanctionis ſic reſtringit, vt in reliquâ diſturbatione domicilium exemptum ſit? De veſtris verò ſatellitibus vide Bernardum lib. 4. de Conſider. ad Eugenium, c. 1. & 2. Ego enim iam propero.

Altera conditio eſt, *vt ſi vnquam eloquantur, id ita fiat, ne quid fundi domuſue detrimenti capiant.* 2 Aſpernatur hanc conditionem homo ſuperbus & ingratus, quòd non *Catholicis*, ſed *eorum bonis* duntaxat caueat. Quaſi de bonis Catholicorum ille litem non intenderit, cum dixit, *inuadi* ea ſolere à Rege, quæ nunc tamen tam accuratè prouidèq; haberi, tam ſollicitè aſſeruari in vſum dominorum, ſi quando erit vt repoſſideant, pro nihilo æſtimat. Tam *ſcæuus* eſt, & non *aurem* modò *dextram* (vt Epiſcopus de Malchis) ſed *manum* amiſit, bene merenti læuus. *Ventus vrens & ſiccans fluenta gratia*, ait Bernardus, niſi fallor, de hac μωμῇ ingratorum. Quem verò non inducat peierare de bonitate, qui ita ruſticè, vel dicam impiè, gratiam ſereniſſimi Regis obtorquet, & beneficium, rem ſuauiſſimam amabiliſſimāq́; reſpiciens, maligno oculo faſcinat? Quid ſi in totum abſtuliſſet? Quid ſi domum fundoſq́; non Recuſantibus modò adimi, ſed nec reddi reſipiſcentibus Rex maximus voluiſſet, ne dum accuratè diligentèrq; habitos, & nuſquam deteriores ſe factos? *Reddit ſe agellus cuiq́; ſuus*, vt ait ille, & hic *reddantur* conuerſis ad bonam frugem, *reddantur* inquam qui ſe *reddant* ſibi. Non perit portio, ne Comeſſatori quidem & *prodigo*, quamvis *omnem ſubſtantiam cum meretricibus ſcortiſq́; victitando perdiderit* (ſuperſtitionum mihi veſtrarum abominanda recogita) tamen *reddit* ei clemens pater, & *reddit* illibata, *reddit* integra, quæ ipſe ſibi puer demens diſſipârat. Viueres in Perſia, aut olim vixiſſes diſciplinâ Xenophontica, docerent te quid eſſet νόσον hanc νοσῶν Eudæmon-Iohannes. Sed ſunt etiam in inferis huic peccato ſuæ pœnæ, φάσλα δ' ἐξίσται, ait præclarè Pin-

Luc. 15.

Cyropæd.

darus, & quæ cætera ſequuntur apud ocellum Lyricorum. Interim habet curia noſtra, habent Comitia, quod eos probè allectet ad præbendas vobis gratias, ſi quando vſus veniat. Teutonum adagium impletis ad ſummum, quo dicere ſolent, ſi *humeris quempiam in cælum ſubvexeris, & tandem minus molliter depoſueris, infenſiorem tibi ex hoc, quàm conciliatiorem ex altero fore.* Sed adhuc mihi ſequendus es.

CAP. II. 3

DE familiâ vel famulatu, leue eſt fateor, ſed eò dignius te. Familia certè comprehendit & filios, etſi maior nominis vicinitas eſt famulorum. Porrò putare poſſet aliquis, tam alios omnes quam ſeruos certatim exturbandos eſſe, ſi *recuſarent*, (cum de non retinendo in familia ſermo ſit diſertiſſimus,) ſed exceptio oſtendit quàm latè porrigat ſe gratia legiſlatoris, quam exceptionem Tortus dicam an Breuiculus ſepelierat, an vterq; .

Geminum eſt illud de altero parente: quem non video quo minus ad alterutrum extendas, atq; adeo vel vtrumq;. Quanquam fateor me non admodùm ſtuduiſſe Iuri noſtro, vt reſponſa dare audeam, ſed ipſe quoque in ſequentibus hoc opinari videris, & in eam ſententiam haud grauatè concedere. Nec ſolùm *Vitricus*, ſed *nouerca*, in contubernium aſciti *priuignis* ſuis dici poſſunt, cum ſuo adeo vtriuſq; coniuge, naturali videlicet parente domini ædium, cum pater materq; non proprie pertineant ad familiam, quam ſine ijs expleri & Ariſtoteles in Politicis poſſe docet, & cœleſte oraculum longiùs diuidit, iubens vt propter hoc relinquat homo patrem & matrem ſuam. Multò ergo magis *nouerca*, & *vitricus* alieni ſunt, quos legis tamen gratia cohabitatione non prohibet. Tantum pietati indulget qualicunq;. AT, *ſi modò*, inquis, *res ædeſq; ijs de ſuo non ſuppetant.* Et recte quidem. Quod non abolet miſericordiam, ſed illuſtrat ſapientiam legiſlatoris. Ità enim de *ſacrificio* cultuq; prouidet ex ſcito dominico, vt iter ſu-

um

um *humanitatis* & viſceribus ne præcludat. Quibus tamen ſaluis, longe ſeparet ab inuicem, & contagia corruptelarum quoad pote arceat. Illud verò iam feſtiuè, quòd nulla *accuſatio debeat eſſe de omiſſione, cum ſatius ſit neſciri legem vllam eſſe talem, quàm miſerâ iſtâ conditione temperatam.* At imperfectus relator, qui primò omittit quæ explicanda in ſe ſuſceperat, deinde etiam diſſimulat laudes noſtrorum hominum, qui in mediâ iuſtitiâ reminiſcuntur miſericordiæ, & poſtremò non pudet nos legum noſtrarum vllo loco, vt cuiquam gratiam de omiſſione habeamus.

CAP. 12. 4

SEQVITVR quartum *moderationis* exemplũ, quòd ita cautum eſt, *ne de muliere vllâ coniugatâ exigatur multa, neque de marito eius, quantumvis illa ad Euchariſtiam non accedat, ſiue quoad marito conuixerit, ſiue poſtquam marito ſuperſtes fuerit.* Et hoc quoq; pari ſupercilio calcatur. *Non enim* (inquit) *vxori ſed marito ſic cauetur, cuius vtilitati & commodo cedunt bona vxoris dum vnà viuunt.* Quaſi quod benefit marito, non & vxori, itemq; è contra quod malefit, vt plagas ait Plutarchus dextri lateris & à ſiniſtro ſentiri. Sic enim communes ſunt coniugum offenſæ. Τῶν γὰρ ἀνδρῶν τραυματίαις ἀνίκητα καὶ τὰς συνουσίας αὐτοῖς κοινοῦν, ait Chryſoſtomus. Et contra proculdubiò. Atque idem alibi non fert illud verbum in coniuge, *Meum* eſt, *proprium* eſt, *non magis* (inquit) *quàm ſolaut ſidera tua ſunt propria. Si enim vna caro, quomodo diuiſa poſſeſſio?* Tum habet quod gratuletur ſibi vxor recuſans, quòd etiamſi ſingulares eſſent fortunæ amborum, quæ tamen coniunctiſſimæ ſunt vt iam docui, & à Plutarcho explicatur ſimilitudine confuſionis aquæ & vini, tamen legis beneficio nihil calamitatis ex ſuâ culpâ redundaret, neque ad virum, neque ad prolem.

Ἁπλῶς Ναυτίῳ χρώμενος λιμῷ. Cornarius epiſt. ad Epiſt.

CAP. 13. 5

NVLLAM verò putare *legis eſſe gratiam, quòd nec dos vxori pereat, nec infamia inepiaue ad ſtirpem dimanet*, ex eo *quòd quis felloniæ reus fiat ex hoc edicto, felloniæ* inquam, non-

ne tale eſt, vt ab eadem efferatione atque barbarie profectum iure videatur? Quod omnino certè accideret, niſi lex caueret, nec illud *ferè* tuum obſtaret quo te ſic iactas. An verò quòd fellonibus illa remittuntur, quæ non perduellibus, leue tibi adeo contemnendumq; videtur? Nonne ſatis eſt quædam & atrocia indulgeri, niſi omnium importunitatum licentia fiat impunita, niſi etiam in eo genere peccati ſubveniatur, quod vt nullâ miſericordiâ communitatis tangitur, ita mutuam refutat miſericordiam omnium? Quinetiam diſputat homo vecors contra ipſas leges noſtras, vt non ſolùm æquitatis iniuſtus æſtimator, ſed iuris, ſed legum, calumniator appareat manifeſtarius. Non vult aut viri vxorem, aut prolem parentis ſcelera luere, quamvis immania, in rempublicam. Vbi vt nihil ei regeram ex profanis hiſtorijs, quæ tamen plenæ ſunt ferè omnes his exemplis (alicubi etiam & in *nomen*, non ſolùm *gentem* ſæuitum) cogitet quæ legimus de importunis creditoribus, altero in veteri Teſtamento 2. Reg. 4. 1. altero in parabolâ Matth. 18. 25. qui nomen paternum & à pupillis miſeris vſque ad carcerem & ſeruitutem repetebant. Nonne multò magis idem iuris erit vniuerſæ reipublicæ in causâ delicti, quod priuatis & in causâ æris alieni negari non ſolet? Quòd ſi dicat in *criminalibus* aliter ſe rem habere, aliter in *ciuilibus*, cogitet non Cretas ſolos iure ſuo viuere, quanquam habent illi Minoem ſuum, & fortè Lycurgum, ſed nos quoque Britannos, qui non nuperè hoc ſciuimus, ſed à maioribus noſtris, & ſub papiſmo natis, legem illam accepimus. In illos, ſi ſe non continet, facundiam ſuam exerceat, illos laceret. Iam hic etiam diſcreta mariti & vxoris bona reperit, vt vxor *domina* ſit dotis ſuæ, maritus *vſufructuarius* tantùm, qui paulò ante quòd maritus non teneretur ad mulctas de peccato vxoris ſacra recuſantis, nullam in ſuos homines æſtimârat gratiam, propterea quòd *vxoribus nihil eſſet priuati aut ſui*. Omitto quo minio marginem ſuum pingat, quas ſpumas & quàm cruentas vbiq;

pro-

proijciat, *Tortor falsarius*, *Tortor calumniator*, *Tortor mendax*, sic enim Episcopum excipit fraterculus, sic illos refert qui κυριότητας ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσι. Nec Michaelem Archangelum, vt ibidem sequitur apud S. Iudam, sed aliquem ex propiore cognatione suâ imitatur. Qui tamen *de Contumelijs* paulò ante, quàm tragicè? Verùm voca *Tortorem* quamdiu lubet, toties enim ei virtutis suæ veniet in mentem, vos de clade vestra ac dedecore admonebimini. Ne *mendax*, ne *falsarius*, ne *calumniator*, nos præstabimus, vel potius ipsius virtus, & fides, hæc omnia satis abundè iam præstitit. Nunc vltimum audiamus.

CVM prouisum sit ea lege, vt *quocunq; tempore Papista cuiquam, mens animusve fuerit conformem se reddere, & iurare iusiurandum, ex eo fas vt ei sit, actionem priorem, totumq; adeo iuris processum irritum facere, & possessionem adire suorum omnium*, hoc *cum cautum sit* (inquit D. Elienſis) *ad mitigandam legis seueritatem, malâ fide omissum est ab authore Breuiculi.* Respondet Eudæmon-Iohannes, *non ad mitigandam sed ad amplificandam hoc sæuitiam nostram facere.* Quasi suos mites esse dicat homines, qui Relapsum exurunt sine vllis inducijs. Nos autem inhumani, qui illud sequimur, *Quocunq; tempore*, Ezech. 18. &, *Si forte det Deus vt resipiscant*, 2. Tim. 2. 26. Sed rationem sanè attendite, cur nos sæuiores. *Prohibere enim ne Ecclesia tam multos habeat martyres, quàm alioqui habitura fuisset, si summo iure per omnia ageretur*, si nihil quicquam permitteretur indulgentiæ. Quò igitur nos vertemus? quid consilij capiemus? quam rationem inibimus? Si sæuerè decernimus, *persecutores* sumus hoc nomine, si relaxamus & flectimus, *persecutores* tamen sumus, & eò *diriores persecutores* iam, quia martyres non efficimus, quæ leuior persecutio est, sed inhibemus & subneruamus, quæ longè maxima. Ita Rex ipse persecutor, si pergat vrgere de suscipiendo iuramento, martyresq; facere, vt ait ille tuus in Epistola ad Blackuellum, quòd si de-

CAP. 13. 6

sistat a cæptis, si se temperet reuocetq́; , magis etiam persecutor, quia pertinaces martyrij coronâ fraudauit. Ὡς ἂν φίλης τὸν τρίβολον ταύτην, ἐρᾷδον τὸ κέντρον ἴσαλας, ait Climax. Nec Iohannis *minuritione*, nec Christi *Paane* vincendi sunt, qui semel se in malitia cum *dæmonibus* obdurauerunt.

CAP. 14. NEGLIGENTIAM hactenus vidimus, & *incuriam* Torti, in invertendis, inquinandis, perperam referendis, *ingratitudinem* etiam flagitiosam, in delumbandis gratiosis edicti partibus, restat vtiq; vt *fraudem* non vulgarem consideremus in addendo quę nusquam sunt, interpolandoq;, quod aduersarius grauissimum accusationis caput vocat.

1 Primum tam manifestum est tamq; conspicuum,

Quàm solis esse radij cum sudum est solent.

Nullus prætextus, nulla glaucoma, quin fateatur *obliuionis* quidem & *incuriæ* nonnullius Breuiculum argui haud immeritò posse, solummodò non concedit, vt *minus sincera fidei* documentum dederit. Cum deprehenduntur fraudes eorum, obliuiones vocantur & humanæ incuriæ, vt est in Italico prouerbio, cum non deprehenduntur, authenticæ sunt & fidem faciunt. Ita in altero securi sunt, in altero etiam noxij. Tu verò ne istud posthac artificium mentiendi obliuionis & incuriæ nominibus velato, nec te *simiam* aut *columbam* sectari dicito Eudæmon-Iohannes, cum alia quædam obliquis aggrediare machinulis, vt est apud Comicum. Sed nec Tortum defendito, si a Breuiculo deceptus, eidem mendacio manum suam accommodârit. Tortumne hoc deceat aut quenquam prudentem, primùm *emere ingum boum*, vt est in Evangelijs (nam vt ille ζεῦγος ita iste ψεῦδος, βουψεῦδος ob magnitudinem) postremò *probare*? ex triuio, ex tonstrina, maledictum arripere, quod antequam expenderit trutinatusq; sit, in Iusticiam publicam regni florentissimi non dubitet torquere? *In primo* inquit *articulo stabiliuntur leges Elizabethæ in Catholicos*, cùm in toto eo loco ne mentio quidem vlla fiat Elizabe-

Mil. glor.

thæ

thæ. Nec iam vlla Breuiculi culpa eſt, niſi quòd *toto triennio* aberrauerit à ſcopo, qui tibi ſcilicet nullus error videtur, prout Torto faues, vel vt ingenio tuo magis, cui miſerè applaudis, ſed nuſquàm deploratiùs, quàm hoc loco, demonſtrati erroris defenſio peracuta. Ita vt ij qui natantibus opitulaturi commerguntur, nec alienam honeſtatem ſatis probè expedis, & prodis tuam.

Sed *tandem* inſpexiſti *acta Comitiorum noſtrorum anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti.* Benè habet. Et quid *tandem?* Num quid ibi patrocinij duplici veſtro mendacio, de decem florenis in viginti commutatis, de hyperbole numeri, quorum vtrumq; in Torto animadvertit Elienſis? Nihil minùs. *Negligentes* (inquit Tortus) *in perquirendis Catholicis, viginti florenorum ſummâ luunt.* At hoc, nec acta noſtra, nec Breuiculus tuus dicit. Ad Breuiculum prouoco. *Locorum præſides*, inquit Breuiculus, *ſi eos tabulis inferre omiſerint, qui per totum menſem templis non interſunt, ſoluant pro vnoquoq; ſummam viginti florenorum.* Inferre autem tabulis, quorum nomina delata ſunt, & latentes inquirere vt deferri poſſint, non eſt idem. Hoc præfectis templorum incumbit negocij, & decem tantùm florenis lege mulctatur, illud & diuerſum eſt, & ad alios pertinet, & præter periurium taxatur ſummâ viginti florenorum. Quædam igitur à Breuiculo non incommodè poſita Tortus deprauârat, non ſanè credo per malitiam, per incuriam magis, ſed eſt *lata culpa*, nec à ſatis idoneo authore pendere, & illum ipſum quoq; peruertere. Manet etiam hyperbole, nec poteſt excuſari, vbi *omnis ordinis, omnis ætatis* Papiſtas inquirendos lege docet Breuiculus, cum lex directè de *nouennibus* præfiniat, ac nec ijs *vt res* ſint, inquit D. Elienſis, ſed vel vt *de familiæ numero conſtet.* Quod tu ab eo mutuatus, ita accommodas, vt dicas *inquirendum proinde & in omnes, quia alioqui quis minor ſit ætate legitimâ non conſtabit.* Quaſi illa *inquiſitio* ſit *à lege intenta*, aut quicquam faciat ad ſeueritatem noſtram demonſtrandam, cum ſi aliter de ætatibus conſtare poſſet, nihil

2

cum ijs, neque legi, neque Magistratui, commune foret. Sed tibi fortè dolet, quòd omninò inquiratur, malles *lucernam* non apponi *fur*. Nonne meministi quid Apostolus, τοῦτον σημειοῦσθε δὶ ἐπιστολῆς, 2. Thes. 3. 14? Præclarum factum, atq; ab Apostolo laudatum. Et Ioseph retexit patri suo vicia germanitatis, teste Scripturâ, Gen. 38. 2. Παῦλα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τῦ φωτὸς φανερῦται, Eph. 5.

CAP. 15. 3

DE tertio quid multis opus? Quòd das id accipimus, teq; & tuum Tortum verbis tuis conuictos constrictosq; tenemus. *Nihil tale* videlicet *statui in tertio articulo, quale Tortus memorârat de puniendis promiscuè omnibus, qui sacrâ communione se abstinerent.* Nam nec tertius articulus crimen vllum notat, nec templum nec cænam desertam coarguit, & primus articulus, qui vel solus huic argumento affinis est, non omnes promiscuè non cõmunicantes comprehendit, sed eos duntaxat, qui è perfidiâ suâ emersi, rursùs in veterem contumaciam revolvuntur. Quos ne vos quidem Catholicos sed *Schismaticos* dicitis, vt acutè Episcopus. Vnde illa tibi & ab ipsâ veritate extorta, minùs *cautè in eo fortasse Breuiculum se gessisse*, (*fortasse* inquis, ita timidè accusas tuos) *quòd explicatius dicere debuisset, quos tandem è Catholicorum numero propriè comprehenderet caput hoc legis, ne in omnes promiscuè, eos etiam qui nunquam à vobis defeciſſent, lex ea lata videretur.* Hæc tua sunt ferè. Nam illis quid infirmius, quòd ita contexis? *Cum primo Edicti articulo grauis mulcta imposita sit ijs, qui in schisma lapsi, templa hæreticorum adire cæperint, nisi etiam ad cœna communionem processerint, cumq; articulo tertio potestas iudicibus facta sit de his delictis cognoscendi, ferendaq; ex lege sententia, ideo in Catholicos, qui templa communionemq; nostram vsque recusarent, animadvertendi potestatem factam esse*, in *omnes* inquam *Catholicos*, (id enim quæritur) ac non in *certum* quoddam & *separatum genus* eorum, qui cum semel cessissent, victaq; pietati manus dedissent, deinde tamen ad

vomi-

vomitum redijſſent ſuum. Omninò mihi perſuadeo, te non ita diſputaturum, niſi nihil planè aliud habuiſſes quod diceres, nihil autē regerere, ac à tergiuerſando deſiſtere, nullo modo poſſes. Teq; ſatis redargui puto à conſcientiâ tuâ, etiamſi nullius oratione caſtigere. Nec illa quæ recitas ex Edicto vagè, de *poteſtate* viz. *Iuſticiarijs facta inquirendi interrogandiq;, ac ſententiam ferendi de omnibus Recuſantibus, ex legis huius præſcripto*, quicquam ad rem. Inquiſitio enim determinatur per illa verba planiſſimè, *ex legis huius præſcripto*, cohibeturq;, ne vltra ſe diffundat quàm dicimus. Ita mirè veterator cum ſis & *nequam Iohannes*, tuâ tamen ipſius allegatione proderis. *Acerbiſſimam* verò omnium quòd *hanc legem* eſſe ais, quæ tota tam plena non *æquitatis* modò cuiuſdam, ſed etiam *clementiæ* eſſe perſpicitur, vt quicquid ibi triſtius duriuſue occurrit, commodiſſimis humaniſſimiſq; *exceptionibus* mox temperetur, nonne nobis teſtimonium lenitatis tribuit, te querulum & ingratum ore tuo damnat? Deniq; quòd poſtrema huius articuli pars à Torto omiſſa eſt, *de iis qui ſe non ſtiterint ad Terminum iuridicum pro conuictis habendis*, gratiamne tu nobis factam exiſtimas? Quaſi illud non anticipet, etiam qui non legit, niſi fortè qui communis iuſticiæ ignarus eſt, aut vlla ſit reſpublica, vbi latebræ & occultatio tergiuerſantium reorum, æternæ legibus fraudi eſſe ſoleant. Ὅτως μὴ δίκῃ κεφάλαια ὁ φυγὼν ἀπῇ, Apoſtolorum eſt, canone 74.

CAP. 16. 4

IN quarto quod annotas, non iniucundam quiddam accidit ad reliquam triſticiam diſputationis tuæ diſcurrendam. Quæ *ſacra hæreticorum* Tortus dixerat, cuius verba tu priore loco ponis, Breuiculus conſequens per explicationem vocat *ſua*. Qui *noſtris* inquit *ſacris* intereſſe detrectat. Vel ſi Tortum Breuiculo poſteriorem facimus, quia ille à Breuiculo cūcta mutuatus eſt, quæ Breuiculus *ſua* dixerat, Tortus exponens, vocat *hæretica*. Vtrumlibet certè ſit, hæretici iam exiſtatis neceſſe eſt. Nam nec ante quidem ar-

gumento alio vti meliore plerunq; ſolebatis, ad vos Catholicos comprobandos, quàm quòd *nomen Catholicorum* occupaſſetis. Quòd rogas *quale ſit, vt qui cum partem mulctæ ſoluerit, non eſt reliquam ſoluendo, bona mobilia amittat ſua, eamq; pœnam quæ à lege conſtituta eſt patiatur*, ego te viciſſim conuenio, quid ſi ſoluendo ſit & non ſoluat? Non enim paupertati, ſed vel negligentiæ vel contumaciæ mulcta hac lege irrogatur. Etſi non eſt excuſandus, ne à paupertate quidem, quòd minùs mulctam à pio principe dictam exoluat, qui in veteri curriculo ſuperſtitionum ſuarum verſans, deum iam ſacrilegus iuxta & contumax exaſperat. Quòd rogas, *cur poſtremam Edicti Elizabethani partem non aſcripſerit D. Elienſis*, reſpondeo quòd propoſitum ei fuerit illa tantùm notare, quæ ſub Rege Iacobo recentiùs ſancita, occaſionem vobis dederant illius tempora rationeſq; criminandi. Interim confiteris, cum tuo pudore, Tortum illud tanquam novum in nobis carpere, quod tam diuturnâ auctoritate & ante Iacobum Regem viguerat.

CAP. 17. 5 IRRIDES Epiſcopum, *Tortum* tuum culpantem, *quòd quintum articulum penitus omiſerit, ſextum autem in quinti locum ſufferſerit.* Sed purganda fuerunt iſta tibi, non irridenda, vel à Torto certè potius non committenda iam ab initio, vt in Regem, in gentem, atque in ſtatum noſtrum inuehens, eoſq; ex tabulis ſuis conueniens, ita ab accurationis laude excideret, vt in nonnullam veniret ſuſpicionem doli. *An vna, an plures illæ fuerint rationes*, quibus permoti noſtri, mulctam amplificarint, ego non diſputabo, dummodò conſtet eos cauſam amplificandi habuiſſe. Quod vſqueadeò non negari à vobis animaduerto, vt plures etiam opinione noſtrâ cauſas reperiſſe videamini. Etſi fateor me nihil boni argumenti cernere, cur plures comminiſcendæ ſint hoc loco rationes, niſi quòd tibi id ſolenne eſt, dialectico primario, vt crimen declines, & aſtum concinnes, etiam ea quæ coniunctiſſima ſunt diſtrahere, ſicut alibi facis,

pag.

pag.305. Interim quòd consilium fuisse nostris dicis, *vt constantiam Recusantium pœnæ acerbitate labefactarent*, erat potius, vt censura ijs ludibrio ne foret, veluti *equo feroci* sunt *hastæ* apud *Iobum*, vt ne nostrâ indulgentiâ,& quadam propè impunitate, temeritas perditorum hominum in perniciem suam foueretur. Ex quo constat quàm lentos habere soleat progressus iusticia nostra, quàm sedatè & pedetentim ad puniendum accedamus. Synesius. ἀγλῶ ἅπαντα & diuinitùs didicimus. Vos *semel percutitis, & non secundò*, vt aiebat ille furiosus, magister tantò ante, non solùm sæuitiæ, sed singularis etiam sceleris, & *in vnctos domini*, designandi. Vobismet certè acceptum referatis oportet, meritò *exedatis* quod à vobis omne *intritum* est. Rara sub initia taxatio pœnarum, nulla supplicij forma vel metus, nihil denique quod non ipsi vestri exoscularentur atque laudarent. Crescente audaciâ *Nemesis* se collegit, & reconditos, non excussos, sibi aculeos esse docuit, quibus vsque vos pungit, quàm leniter, in salutem! Quorum quidem hic effectus summus esse reperietur, ne Iesuitam satrapam domi alatis, sericatum hominem manuleatumq; . *Et miramini?* deinde ais. Quid tandem mi homo? *Catesbeios, Percios, reliquamq; mauum pulverariam, extremis malis extrema remedia desperandos quæsisse?* Ego verò non miror, *si ab impijs impietas*, vt habet adagio, si quicquid expectari posset, aut ne expectari quidem ab vltimâ truculentiâ, id à vobis Papistis omne conferatur in Ecclesiam Dei. Diuinas excubias, protectionemq; capitis nostri, iterùm iterùmq; mirandas, prædicandas, & decorandas, sentio, monumento sempiterno. Sed quid tibi necesse erat, homini cato, indicare dolorem tuum, & societatem partium pestilentissimarum confiteri? Verè enim illud dicitur, *Vbi dolor ibi digitus*, vt appareat partes aliquas fuisse tuas, vt Iesuitæ, in tam diro conatu. An ignorassemus hos consilia coijsse cum *dæmonibus*, nisi sum idem studium *Eudæmon-Iohannes* significasset? Quanquam autem nemo *pauper* fuit inter pulueratios (nisi quo

1.Sam.26.8.

sen-

sensu quorundam hominum cupiditates nunquam explentur) vt inde admirationem nostram tantæ insaniæ imminui oporteat, tamen etiamsi pauperrimi omnes attritissimiq; fuissent cladibus, non possemus tantum furorem in Christianâ professione, nedum autem zelotarum, nedum à Iesuitis edoctorum, non maximè vehementissimèq; mirari & obstupescere, facturi id etiam indies, & impensiùs facturi, quamdiu hâc animâ superauerimus nostrâ. Præclarè Eucherius, Valerianum fratrem instruens de mysterio Christiano, *Ibi tibi præcipietur*, inquit, *nullam esse causam tam dignam putes, quâ tibi iusta fiat mors hominis.* Hoc ille inter capita Christianitatis collocat, vir diuinus. Nec *causam* inquit *tam dignam*, sit licèt causa religionis, nec cur iusta videatur *mors hominis. Hominis* inquit. Nedum *gentis*, & *tuæ gentis*, & tam *florentis*, irreparabilis, inconsolabilis, sempiterna vastitas.

CAP. 18. IN parte responsionis meæ, ad exceptiones à Breuiculo, contra accuratissimam refutationem D. Elienſis, id mihi præfari liceat, quod non incommodè præmittere vniuerso argumento potuissem, nihil quicquam enucleatius à quoquam vnquam editum, quàm est clarissimi Antistitis, hæc, Edicti Anglicani, vel complexio à sententia, vel versio latinè. Ac de stylo quidem iudicent, qui aliquid aut sunt, aut esse se arbitrantur. Nullius enim limam & inter Iesuitas nati reformidat Aristarchi. Δίος παῖς τὰν ἔτι σᾶς ἔτι κὰς ἀάτλα, vt ait Sappho. De fide verò sententiæ, de partium integritate, de germanitate relationis, quæ pars ab aduersarijs maximè arroditur, duo quædam testificantur, & iudicium principum Iurisperitorum totius Regni, quorum omnium discussione non semel ventilata est, tandem etiam vniuersorum suffragio comprobata, & hostium vel frustranei cassiq; morsus, vel aperta confessio hallucinationis suæ. Nihil dico de ordinis perturbatione præposterâ, quam etsi

ita

ita obijcit Torto D. Elientis, vt defendi aut excusari nullo modo queat, tamen nunquam ab Episcopo ei obiecta fuisset, nisi in homine tam temerario ad aliena insectanda, tam audaci, tam calido, domesticâ tantam segnitiem ne ferendam quidem esse rectè existimasset. Dissimulatis itaq; vicijs ordinis, de rebus ipsis videamus.

In sexto articulo infanùm falsus est, itemq; in septimo. Quod callidè tegit inuoluitq; quoad potest, in summâ tamen, & ipse confitetur. Ait *omnes sacrâ eanâ communicare recusantes, multis addici*, cum de jis tantùm sermo sit, qui templa vbi adierint, hoc tamen recusant, & communione deinceps abstinent. Quorum certè eò grauior culpa censenda est, propterea quòd nec à doctore admoniti resipuerint, & cùm nostræ, tùm Pontificiæ disciplinæ extorres, duas res finitimas distrahere laborent, *verbum*, & *sacramenta*, quasi alterius horum amorem suum studiumq; profitentes, cum altero tamen commune quid habere erubescant. Sacramentum est *verbum visibile*, inquit Augustinus, & similiter fortè verbum est *audibile sacramentum*. Porrò Antiochenum Concilium tales excommunicat, c. 2. Τὸς ἰδιώτας ἐκ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἕως ἂν ἐτῶν γραφῶν ἀκούσωσι, ἀποστερεῖσθαι δὲ τῆς μετέχειν τῆς εὐχαριστίας. Ac satis diù ante Antiochenos, ipsi etiam Apostoli, can. 9. Τὸς μὴ παραμένοντας τῇ ἁγίᾳ μελέτῃ εἰς ἀταξίας ἐκκλησίας ἀφορίζεσθαι. Sed confitetur hîc, vt dixi, Eudæmon-Iohannes, Breuiculi authorem, *verbis*, vt ait, *edicti nostri admodùm implicatis obscuriùs, deceptum*. Quod quò magis credamus, ait se tum demùm id animaduertisse, cùm illum articulum ex Anglicano idiomate, *nescio cui interpretandum ipse proponeret. Habisse enim sapius, & exitum reperire nullum potuisse*. Sed quis non videt, hanc glaucomam esse, atque obtentum merum, hominis in manifestario mendacio deprehensi, vt tantò post difficultatem orationis in edicto, obstitisse dicat suis, quò minus sensum assequerentur, cùm ea si qua fuisset, authori Breuiculi imprimis impedimento esse debuerit, ne

6

non modò difficilem ſententiam attingeret, verumetiam falſam atque alienam eliceret? Quantò ſatiùs omiſiſſet illum vnum difficilem locum, ſicut alios non paucos omiſiſſe conuincitur, qui ad eleuandam ſeueritatis noſtræ inuidiam pertinebant, quàm de re tam obſcurâ iudicium ſuum proferens, magnum mendacium in orbem terrarum ſpariſſet, ad iuſticiam Regni Anglicani traducendam? Sed non ſolùm temeritas fuit, quòd cum loco ancipiti rudis homo congreſſus ſit, verumetiam malitia, quòd tam prompte mentitus ſine vllo ſcrupulo, ſine vllo remorſu; tua autem excuſatio Eudæmon-Iohannes de neſcio quo tuo, cui eadem verba interpretanda propoſueris, ex quibus ille nihil excudere propter difficultatem potuerit, putidæ fraudis, & ridiculæ tergiuerſationis tota plena eſt.

CAP. 19. 7

QVANTO magis in ſeptimo abundat hæc ſeges? *Hallucinatum eſſe Breuiculum*, cogitur confiteri, vt alibi non rarò, *ſed ita* (inquit) *vt haud magnam reprehenſionem mereatur*. Ita trabes huic feſtuca eſt, & feſtuca trabes, tranſubſtantiatori maximo. Tortus interim ſecurus, & nuſquam vituperandus, quia Breuiculum habuit quem ſequeretur. Nonne conſultò hominem à ſe conductum clamitat, qui Breuiculum ſcriberet, in quem omnem reprehenſionem deriuaret? Quanquàm turpe eſt Cardinali, in foueam incidere, vel cæco ipſi, vel cæcum ſequenti. Quàm autem acutè? *Nemo cœnam ſumere poteſt, ex legis præſcripto, niſi in templis, ergo lex quæ multitudini irrogat non communicandum, comprehendit omnes & templo abſtinentes.* Quaſi primò non ſit frequentius veniendum ad templa, quàm ad ſacram cœnam, vt quamvis cœna niſi in templis ſumi non poſſet, tamen permultum intereſſet, templorum frequentatio, ad cœnæ perceptio lege cogeretur. Sed tamen poteſt etiam cœna ſumi extra templum, ſi fortè id neſcis, idq; adeò ex legis noſtræ præſcripto. In quo non fauemus Miſſis veſtris angularibus, ſed ægrorum commodis, vt par eſt, pro-

ſpicimus.

ſpicimus. Lex ergo quæ ad cænam ſumendam compellit, non compellit tamen neceſſariò ad templi additionem, ſatiſq; habet, ſi cæna vbicunq; ſumatur. *At pauciores ſunt qui templis omninò abſtineant, quàm qui cœna ſe ſubducant*, ergo *nulla hinc exaggeratio ſit noſtræ crudelitatis, quin potiùs ad pauciores ſic pertingere demonſtratur.* Quaſi nos de reorum multitudine laboremus, quod in eorum poteſtate poſitum eſt qui peccãr, & non legis ſententiam vindicatum eamus, quæ quicquid alibi de frequentatione templorum aut ſtatuerit aut indulſerit, tamen dominicum ſacramentum hic quidem negligi, *à recidinis* præſertim, haud impunè finit.

DE octauo, nos quoque *diximus*, & meritò riſimus explicationem illam Breuiculi, *de carcere ſicariorum atque latronum.* Quanquam peior latrone, ſicario infeſtior, qui cogitationes illas alit, quas Sacramento fidelitatis adigi horrentibus, comites & contubernales eſſe, non malè præſumitur. Et nullane illa exaggeratio, quòd *omnes non iurantes* iuramentum illud fidelitatis, tu in carcerem compingis, pro ſingulari bonitate tuâ, quum nos nemini moleſtiam de eo exhibeamus, qui annos *minùs octodecim* natus ſit? Etſi falſum eſt quod inſinuas, minores eâ ætate comprehendi non potuiſſe, cum quinquennio minores non rarò iurent, & iurent adeò de rebus longè minoris momenti, quàm eſt fides in principem, niſi incredibilis Regia bonitas, & ſpectata clementia, ſuis omnibus, quoad liceret, ſubventum eſſe voluiſſet. CAP. 20. 8

IN nono, *quòd ad coniugatas illa ſeueritas non extendatur*, quid mirum ſi tibi *remiſſio nulla* videtur? Quid enim tu non deſpicis quamvis luculentum? *De dote non intercipiendâ, de infamiâ propulſandâ, de ædibus fundiſq; ſartis tectis conſeruandis, denique de ſatisfaciendo cuiq; bona fidei creditori, & poſtremò iam de vxoribus pœna eximendis, quâ tamen viri* CAP. 21. 9

implicantur. At vestra crudelitas, non modò non distinxit inter virum & fœminam, honoremq; infirmiori nullum vasi habuit, vt à Petro admonemur, sed in aluo latitantem infantulum persecuta, cum pullis matrem doctè peremit, vitam, quam nondum dederat natura, præuertit. Et nostræ taxationes, si vltrà pecuniam non exeant, imò si ex numero delinquentium magnam partem non comprehendant, nulla gratia est? Vt ne dicam vos *religioni* illas turbas mouisse, & *conscientiæ*, nos de *Regni salute* contra coniurationes vestras laborare, quod maximum discrimen est.

CAP. 22. 10

IN decimo, sanè sentio, me neruis defici, ad tantum & tam horribile mendacium querendum. Non opus est limatâ aut subtili responsione, declamatione potius forti & vehementi opus est. *Tertiam recusationem Iuramenti fidelitatis, vitæ dispendio* ait Tortus *vindicari.* Cùm tam longè id absit, vt morte vindicetur, vt nulli tertiùm nec proponatur more nostro, nec proponi decernatur. Eò igitur iam recurritur, vt *ambiguitate sacramentorum* deceptum Tortum esse dicatur, *quia breui intervallo Breuiculus de vtriq; meminerat.* Quod nos facilè ferremus, & Torto remitteremus hoc quicquid est humani, de confundendis sacramentis, (vt Rex scitè dixerat, malleis & tuditibus ita altè adactam Henricianam formulam in cerebrum Cardinalis, vt denuò extundi nullâ vi posset) nisi non oporteret totum orbem personare infamiâ nostrâ, iniustâ, immeritâ, propter Torti incogitantiam, aut Breuiculi audaciam. Nunc autem reciprocantur, tanquam pilæ, mendacia, & ab vno ad alterum impunè peruolant, ac quia nescio quis hoc prior aut finxit aut credidit, ideò lex quædam cæteris imposita videtur idem sentiendi. Capras aiunt, si vna quæpiam eryngium gustauerit, omnes concurrere atque circumsistere. Sic hic. Quòd si Cardinalis Ecclesiastici illud, *Qui citò credit lenis est corde*, ita alicubi accommodat, vt ne diuina quidem oracula, nisi magnis argumentis accedenti-

Ia Apolog.

Plutarch.

Lib. 6. de gratia & lib. arb. cap. 1.

bus,

bus, credi vélit à nobis Chriſtianis, quantò minùs excuſari poteſt, ſi talibus ipſe offucijs abripitur ad errorem, ab errore mox profilit ad contumeliam? Iam defenſio huius hallucinationis apud aduerſarium, etiam odioſior eſt. *Iuramentum hoc nominatis* (inquit) *fidelitatis erga Principem, cuius proinde detrectatio eſt capitalis. Omnis enim defectio à fidelitate mortifera eſt.* At hoc docet mereri, non docet plecti morte Recuſatorem. Indignatur ergo fortè in lentitudine noſtrâ, in nimiâ patientia, 'cauſam certè ſeueritatis accuſandæ non habet. Et cum Regia clementia primam recuſationem iacturâ bonorum, alteram carcere tantummodò plectat, ille vult omnia capitali pœnâ ſanciri. *At ſacerdotes* (inquit) *qui pœnas legibus dedere, ſalui eſſe potuiſſent, ſi iurare voluiſſent.* Valet ergò ad gratiam, non ad acerbitatem, hoc Iuramentum, quod neminem ne Recuſantem quidem trahit ad mortem, ſed capitalium interdùm ſceleratum gratiâ facit, ſi delinquens eam de ſe ſpem præbeat, vt à iuramento non abhorreat. *At Rex interminatus ſubinde atrociter Recuſantibus.* Quaſi Regi non conſtet facti ſui ratio, etſi à te non capiatur anguſtæ mentis homine. Interim nihil tale nec factitatur apud nos, nec legibus decernitur. Et ſcimus quid Apoſtolus, εἰ καὶ ὕτω λαλῶμεν ad Heb. 6. Tum omnia ſub conditione, [*quod quidem ſi contingat*,] ſi expoſcant merita veſtra. Interea Pontifex iure grauatur, qui Catholicos ſuos conijcit in *diſcrimen vitæ*, audin' illud *diſcrimen?* nihil ergò determinat; *& rerum ſit tot omnium ſuarum ſanguinis, quod hac quidem ratione*, quod in ipſo eſt, *perdiderit.* Confer. paral. p. 215.

Teneatur memoriâ hic Torti error, cui nullum ne à Breuiculo quidem patrocinium, ſolis conſecutionibus Eudæmon-Iohannis obumbratur, ſed videmus quàm miſerè inflexis inuerſiſq;. *Tortum* ait ille *quis rectificet?* Rex quidem ſereniſſimus in verbo fortè durior eſt, in rationibus leniſſimus; vos vitam pollicti, ſecuritatem, ocium, non ratò trucidatis eum ipſum quem pellexiſtis. Eccles.

CAP. 23. 11 IN vndecimo, quid tanti est, vt *captio syllabica* ne *euertet vim omnem accusatoriarum tabularum*? Et tamen additur gratiosissimè, *Nisi is qui accusatur, iusicietur de facto*, templa scilicet adisse se fateatur. Quod & conuersum ad pietatem protinus in tuto collocat, superioris omnis recusationis gratiam plenam facit, & ad contumaces etiam pertingit, quia illi aliquandò *dispensationibus* suis freti sacris nostris interfunt. Malignè ergo & falsò, quòd nulli hoc solatio esse vestris clamitas. Quasi tales nulli sint & in *vestro* grege.

CAP. 24. 12 1 AD duodecimum, Non luctabinjur tecum *de numero paragraphorum*. Nihil, si vis, interfit ad rem, *vnone an pluribus lex paragraphis claudatur*. Ad laudem tamen hominis pertinet rectè referre, & contrarium meritò, vel negligentiæ, vel grauioris cuiusdam criminis, notatur. Porrò *causam cur omitteret*, causa nulla fuit. Oportebat verò intelligi, nos non temerè prosilire ad pœnas infligendas, legesue ferendas, sed insolentia vestra incitatos. Sic Sara in Hagarem, sed turgentem consurgit, & vos cum Iesuitas, id est, pestes & λυμεῶνας, ex superfluo redituum vestrorum alere possetis, non iniuria grauioribus mulctis attenuandi videbamini, atque ab eorum societate penitùs alienandi. Nam quod ais, *per Iesuitas redire ad Ecclesiam*, scimus quam Ecclesiam dicis, ex quâ certè exire laudi datur non intrare, intrare non exire fraudi est, Apoc. 18. 4. vlloue adeò impiæ 2 consortionis vinculo cum prostibulo fœderari. Tertium de *perduellibus*, pro *fellonibus* ascribendis, meritò iam nunueretur inter errores Breuiculi. Et videmus quoties errârit confessione tuâ. Non certè sexies septiesue minùs in rebus maximis. Quid ille facturus, si paulò grandior, si adultior, si non *Breuiculus* sed iustum corpus extitisset? Sed *hoc* (inquis) *cuiuis contingere potuit, homini haud perito rerum nostrarum*. Quò grauius illius peccatum, nullâ rerum nostrarum peritiâ instructum, ad tantum opus aggredi, & rerum

An-

Anglicanarum illustratorem se professum, mox turpiter deficere atque illa dücere, hoc vno infamiam deprecatum, quòd imperitus fuerit earum rerum quas tractabat. Cum Catone dixerim apud Gellium, *Na tu Aule Albine nimiùm ungator es, cum excusare malueris quàm non admittere.* Nisi propterea liberandus est author Breuiculi, quòd tute aliquandò eodem modo scripseris, *proditionis illos damnatos, qui non nisi fellonia*, vt dicis. An potius eâdem cruce vtriq; digni, qui tam nefariè exterorum hominum auribus abutamini, vt nostras rationes quibus nihil est innocentius penitùs cernentibus, vsq; inceseris? Nam quòd fingis in extremo, *rèm eodem redire, dummodo vita amittatur, vtrumue per simplex suspendium, vt in fellonia, an per dissectionem membrorum, vt in perduellione*, cur igitur Feuardentius ita indignùm vociferatur, ita tragicùm exclamat, in supplicio nostro patrio quod in proditores constitutum est, & à primis propè initijs Regni Anglicani, semper in hoc genus adhiberi solitum? Porrò si ita tu diceres, *vt proditores fellonum, non fellones proditorum, pœnam apud nos perpeti putarentur*, aliquid esset, errares in re, sed seueritatem gentis falsò & inuidè non exaggerares. Tu verò vt mundum nobis confles, alterum cum altero confundi ferre potes, sicut confudit hoc loco Breuiculus quem defendis, rursùs vt nos oneres, vt crimen in nos conferas, potes etiam distinguere, idq; accuratissimè, vt facis p. 92. huius libri tui. Vbi molestè scilicet fers, quòd Episcopus id commune vtriusq; facere velit, quod in solo *fellone*, non itè in *perduelle*, locum habet. Quòd ais, *fellonam* apud alias gentes, *proditorium quiddam* significare, officium fortè, aut fidem, aut fiquid simile, *prodi* significat, quæ etiam ibi violantur, vbi nullum *perduellionis* crimè intercedit. Hoc ergò est inter misera tua mendicitatis effugia, mendacitatis patrocinia. Sed audite palinodiam. *Neque verò semel aut iterum hac nominum ambiguitate deceptus sum.* Ac non solùm vbi legis aliqua interueniebat obscuritas, sed vel viri nomen scribendum occurrebat.

Sed si fellonem &c. Id quod nihil quoque aliud prodit &c. Parth. parad.

Comment. Epist. ad Philem.

Ita quæ de D. Aldate ante prem. ad Bo heturum tradit, quæ vi

Iohannes contra, de potestate Sacerdotum. Part. 2. pag. 1.

currebat. Quale est quod memorat de *D. Abbate*, id est, doctissimo, optimoq; , & optimè de Ecclesia Dei merito Theologo. Cuius ille etiam nomen pertimescere debebat. Ità acrem ei dolorem commouit de Antichristo. Ille verò tibi coràm propediem respondebit, aut iam etiam fortasse opus suum absoluit, & cothurnos illos conscidit, quos tu Diuo stipulaceo, importunus adulator, circumdedisti tam diligenter, publicamq; Regni nostri insticiam asseruit. Interim si nihil grauius in quenquam peccaueris, quàm quòd ea in illũ contuleris, quæ ad fratrem eius pertinebant, Reuerendissimum & consummatissimum Archiepiscopum hodiè Cantuariensem, Dominum meum singulari semper loco colendum, habes Eudæmon-Iohannes quòd te consoleris. Ἀδελφὸς ἀδελφῷ κατοπτέον, inquit Athanasius, & Ζηλῶ σὺ μὲν ἀδελφὸν, ἀδελφὸς δὲ σέ. Certè eâ virtute lucent vtriq; , eâ grauitate sunt, eâ specie, ijs moribus, vt omnis communicatio partium inter fratres, iucunda potius sit, quàm grauis. Sed non in hoc solùm errauit Eudæmon-Iohannes. *Ita* (inquit) *quod Iacobo Regi gestum est, id ad Elizabethæ tempora retuli.* Vt scias quantus auctor sit, & quàm grauis historiæ. Nec dubitat renouare nobis scurræ facinus, semel etiam anteà à se literis mandatum, qui barbarâ audaciâ Regiam quoq; prudentiam tentare præsumpserat, ex subtilitate speculationis, primatum eius metiens super Ecclesiam. Quasi verò & in Papa id non caueat Baldus, quem ait Doctorem esse vtriusq; legis, sed authoritate, non scientiâ. Atque aliud κυβερνήσεις sunt, aliud διδάσκαλοι, 1. ad Cor. 12. 28. Tùm nec Papa quidem is Salomon est, qui ad omnia respondeat, præsertim si à pedibus suis, id est, à Concilio disiungatur. Qui tamen Bellarmino est *caput fidei*, non solùm summus in Ecclesiâ. Verùm egregiè se ex eo tempore vindicauit Rex fortissimus, & dixit sibi *oraculum esse in labijs, cor largum vt arenas maris.*

Apolog. ad Const. Imp.

Vbi anteà.

In epist. ad Blackwel.

CAP. 25. 13

OMISSO decimo tertio, in quo nihil habet priuatim

quod

quod carpat, niſi *non pertinuiſſe vt aſcriberetur*, ventamus ad decimum quartum, in eoq; tandem concludamus. In decimi quarti edicti recitatione, R. Epiſcopus duo taxârat, quòd *fidem Romanæ Eccleſiæ capitalem eſſe eâ lege* Tortus dixerat, & quòd *reuerſis in Angliam, Iuramentum ſuſcipiendum contra Papæ poteſtatem in Principes Chriſtianos.* 14

Cum autem toto edicto, nulla ſit mentio de fide Romanæ Eccleſiæ, tantùm de deſertione fidelitatis erga Regem, & obſtrictione fidei noſtræ neſcio cui externę poteſtati, ſicut Epiſcopus rectiſſimè diſtinguendo reſponderat, excipit ſiniolus, & quærit *quo ore negare audeat, fidem Romanæ Eccleſiæ edicto damnari, niſi forte* (inquit) *non ſpectet ad fidem Catholicam primatus Papæ in vniuerſam Eccleſiam, de quo tam multæ controuerſiæ nobis vobiſcum intercedant, ac tam apertæ ſint generalium Conciliorum definitiones.* Audito primatum Pontificis de fide eſſe, quis non protinùs aut ſymbolum aut Scripturas expectaret, ex quibus fides huic novo articulo gigneretur? Ille autem quòd *multæ ſint eâ de re controuerſiæ*, pro claro fidei principio vult eſſe. Tam dexter æſtimator eſt principiorum fidei, vt ex eo metiatur, quod omninò minimum in eo genere reperitur. Quid enim tam confeſſum eſt quàm fidei principia, & extra omnem aleam controuerſiæ poſitum? Sed *Conciliorum* (inquit) *generalium quoque definitiones.* Qualis credo illa Nicæni περὶ ἰδίων τῶν ἀγγέλων, aut etiam Chalcedonenſis περὶ ἴσων πρεσβείων, de qua fortè poſtea. Quanquam autem generalia, quæ dicit, concilia, primatum Pontificis non confirmant, ſed confutant, tamen quale eſt primatũ debere Concilijs, & ab ijs definiri pro Eccleſiaſticâ monarchiâ, quam aut nullam, aut antiquiorem certè concilijs eſſe oporteat, etiam antiquiſſimis? Iam verò cum hic primatus ab ijs ſic concipiatur, vt nulli neque ſceptro, neque coronæ, per eam ſecuritas ſit, nonne miram facultatem ſuam declarant iſti homines, articulorum fidei condendorum, qui repentè talia monſtra non ſolùm *ciuitate*, verumetiam *fide* donent & *ſym-*

Vide paral. p. 123. &c.

bolo? Atenim *quæritur* inquit, *inuenitur, qui in Angliam vēdunt, duplex illud iuramentum ſuſcipere, quorum alterū eſt de iure Pontificis in Principes, alterum de ſpirituali poteſtate in Eccleſiam, niſi quòd ſatis intelligitur, non poſſe quenquam Romano Pontifici reconciliari, niſi qui duplicem hanc eius agnoſcat poteſtatem?* Implacabilem nobis Pontificem depingis Eudæmon, & verè ὠμήστην, cui nemo niſi hac lege reconciliari poteſt. Nec ſatis eſt vt cum illo Naas, *angue tortuoſo, dextrum* lumen nobis effodias, niſi etiam *ſiniſtri* priuatione fœdus tuum ſancias. Et Eccleſiam totam conculcas *in ſpirituali* hac dominatione tuâ, & inſignitiès adhuc principes in imaginariâ *temporali*. Quanquam nos reconciliationem cum Pontifice tuo nihil moramur. Si ſaluâ pietate licebit amicitiam eius ac pacem tueri, non abnuimus: ſin minùs, & de Domini miſericordiâ confidimus, & inimicum eum nobis quàm amicum malumus, quamdiu talis eſt. Placet nobis hac in re D. Baſilij iudicium, qui ità olim & de Romanis tuis, in Epiſt. ad Euſebium, cum Græcorum Eccleſia eodem fermè ſtatu eſſet quo hodie noſtra, id eſt, & variè diſſeminatis appeteretur calumnijs, & ab Occidentalium præſulum ferociâ repelleretur, nec vllum æquitatis portum inueniret. *Inſolentia* (inquit) *ingenia quò magis demulſeris, eò magis ſuperbiunt.* Sic fortè Pontifex. Τὰ ἀνηφάνεια ἤδη θεραπεύματα, ἑαυτῶν ὑπερηφανίτερα γίνεσθαι πέφυκε. Pergit. *Quòd ſi propitius ſit nobis Dominus, non egebimus alio ſubſidiario additamento.* Ità Pontificem numerat, ἐν μέρει προσθήκης tantùm. *Sin perdurauerit ira dei* (nullumq; contentiones iſtæ exitum evoluerint) πῶς ἐσόμεθα ἡμεῖς τῆς Δύσεως ὄφελος; quid nobis proderit Occidentale ſupercilium, vel, Romanorum faſtus? εἰ τὸ γε ἀληθὲς ὅτι ἴσασιν, ὅτι μανθάνουσιν ἀνήκεστα, ψευδεῖς δὲ ὑπονοίαις προσλεμμένοι, qui verum neque intelligunt, neque noſſe volunt, totiq; falſis præiudicijs devincti ſunt. Hæc ille. Sed de *ſpirituali* inquis *Papæ poteſtate in principes, Rex ipſe agnouit in Apologiâ.* Non memini, illud potius, *œcumenicum paſtorem* ab eo con-

Ad Euſeb. Samoſatenum. Ep. 8.

ſtantèr

ſtantèr repudiari. *At ſcimus quæ narret in præfatione monitoriâ.* Iudicium nempe haud infimæ partis totius Regni, de vſurpatâ, non legitimâ, hac ſpirituali poteſtate. Cui Rex diuiniſſimus pientiſſimuſq; ità obſtitit, vt illorum ſententiam nec planè reijceret, & conſcientijs quorundam minùs rectè informatis, pro ſuâ excellenti moderatione, parceret. Quòd Epiſcopum id agnoſcere dicis, vbi ſoluit illam rationem Torti, quâ probat abnegationem fidei Catholicæ contineri huius edicti iuramento, bis te ridiculum demonſtras. Qui & in mentem nobis reuocas, quàm abſurdè Tortus in illâ ſuâ collectione hallucinatus ſit, & quia Epiſcopus id ex iuramento conſequi negârit, vt Papam tali authoritate ſpoliemus, ideò ei ſententiam iſtam affingas, de vniuerſali Papæ poteſtate in Eccleſiam. Quaſi non aliud ſit exponere quid ipſe autumes, aliud fictitiam conſectionem explodere.

Alterum & meritò reprehendit Epiſcopus, quòd à reverſis in Angliam iuramentum ſuſcipiendum eſſe dixerat Tortus, contra Papæ poteſtatem in Principes Chriſtianos, cùm ibi tantummodò ſic legatur, *Iuramentum edicto hoc propoſitum.* Et ait Cydonius, *nihil ſcribi à quoquam magis formale poſſe, quàm id ſcripſit Tortus.* Quàm *formale* neſcio, *male* certè, ac nec ſibi, nec principijs ſuis conſentaneè. An cum paulò antè & Regem & Epiſcopum ipſe finxerit, falſò quidem, ſed tamen ſic finxerit, *ſpiritualem poteſtatem Papæ largiri in vniuerſam Eccleſiam*, nunc credibile porrò faciet, iuramẽtum hîc, de more, reuerſis in Angliam perfugis, proponi, quo omnis omninò poteſtas Papæ in Principes Chriſtianos eiuretur? Quàm hoc non veriſimile? quàm nullo modo probabile? Ac, quòd oratio ibi non extet, quòd verba non appareant, fatetur ipſe, nec verò per obliquas conſecutionum quaſi trochleas poterit elicere, quibus tamen non debebat nimis temerè confidere. Ille verò non referre vult, *vtrum vertas edictum de vernaculo in Latinum*, atque ita modò à ſtylo natiuo diſcedas, *an ſenſum interpolato*

Torto non eſt verio verendum quod verba mutauit. Aliquis tu quoque mouitus es, qui non modo quæ Anglicè ſcripta ſunt Latinè verſio, ſed nec verbum quidem verbo reddidiſti, &c. Parall. pag. 125.

mendacio corrumpas. Nam quòd Epiſcopus non Anglicana ipſa legis huius verba, ſed latina retulerit, putat ſibi fas eſſe comminiſci quæ velit, & non noſtrum ſenſum, ſed ſuas conſequentias, nobis appingere. Summa eſt, Exauctorandi poteſtatem, inquietandi, necandi, negari Papæ in Chriſtianos Principes. Quod nemini Epiſcopo licere voluit deus, ne in priuatum quidem aut plebium quemcunque. Ἀναίμακτον ἀρχὴν ἄρχομαι ἐπίσκοπος, inquit Greg. Nazian. Epiſt. ad Africanum. Vide porrò Chryſoſt. & in 2. de Sacer. & de verbis Eſaiæ, vidi dominum, hom. 4. *Rex cogit, (*inquit) *antiſtes hortatur tantùm.* Et Orat. 2. in S. Babylam, οὐ δεῖν ἐπὶ τὰ κολάζειν ὑμᾶς ἰέναι, non enim *manu*, & Hier. ad Heliod. in Epitaph. Nepotiani, *Rex nolentibus præeſt, Epiſcopus volẽtibus, ille timore ſubijcit, hic ſeruituti donatur.* Hilar. item lib. 2. ad Conſtant. imperfecto, vbi *tantùm cum volentibus ſibi negotium eſſe* ait, *non cum coactis:* denique Origenem in 13. ad Rom. *omnem vindictam Epiſcopis* intercludentem, & *magiſtratibus ſæculi* tranſcribentem, itemque alibi: ne quid dicã de Paparũ illâ voce apud Theodoretum, l. 5. hiſt. c. 24. οὐκ ἔξεστιν ὑμῖν (nec ὑμῖν quidem) διώκειν τὸν βασιλέα. Quod quid ſit, quia Græcus es, tu videris Andrea. Interim an ſit vlla poteſtas Papæ & *in Reges*, diuina, ſpiritualis, diuerſiq; generis, nec negatur in Iuramento, nec tamen aſſeritur.

Hactenus de ijs articulis quos Tortus recitat, authore Breuiculo, vt *incredibiles Angliæ perſecutiones demonſtret*, (omninò puto poſthac *tã credibiles* non fore,) & *indies (*inquit*) magis magiſq; acerbas.* Non enim proſilimus *ex abrupto* ad vindictã, ſed cũ veſtris furoribus quoad pote *exæquamus.* Duos alios deinde citat à Torto prætermiſſos, vt oſtẽdat Tortum non omnia congerere, ad faces inuidiæ noſtræ ſubijciendas voluiſſe, ſed tantummodò dolorem ſuum queri. Quos autem dicit? Primus eſt, de pœnâ illis impoſitâ, *qui per menſem à templo abeſſe comperiuntur, aut* ſiqui *ſuis ſumptibus tales ſuſtentent, ſacrorum templiq; deſertores.* Quaſi

1

non

non hoc & ad pigritiam noſtrorum hominum extinnulandam, æquè ac ad veſtros homines excruciandos valeat, ſi qui fortè ſegniores ſint in Templis adeundis. Illi verò, *non quid, ſed quò cogantur conſiderent*, vt ait Auguſtinus, dominicumq; illud meminerint, & non grauatè patiantur, *Coge intrare*. In concilio certè Trullano can. 80. & clericus deponi, & Laicus excommunicari iubetur, *ſi vel tribus dominicis, ſine peregrani causâ, ſe ab Eccleſiâ abſtinuerit*. Nec ſeciùs in Sardicenſi, can. 11. vbi etiam vt antiquius ſcitum laudatur. Quod nos tamen ad menſtruam abſentiam extendimus, aliquantò mitius. Alter eſt, quo via ratioq; paratur ad executionem huius legis, *vt Præſides prouinciarum loca purgent omnia, in quibus rei delitoſcere putantur, nihilq; obſtet quo minus capi poſſint*. Quorſum hoc? Vt Deum in anguſto quærere condiſcant, qui in latâ libertate contempſerunt. Quod iſte vocat *irrumpere*, & *trahere in cuſtodiam*, ſicut ante *inuadere* tertiam partem bonorum, verbo non ex ſtatutis noſtris efficto, ſed ex malitiâ interpretis plane expreſſo. Atque ita primam actus ſui partem definit, quo Torţum à mendacijs expedire conatus eſt, quibus eum Elienſis non ſine causâ onerauit. Ego quoque iam definam, ſi duo quædam admonuero, ad inſtar horum duorum articulorum, quos à Torto prætermiſſos iſte inculcitat. Alterum eſt, cauſa haſce leges condendi, grauis, vehemens, quanta nunquam antea data in vllo Regno Chriſtiano, vel non Chriſtiano; pulueratium parricidium in mentem reuocate. Cres tamen, vt Anaxagoras ille Cynicus apud Ciceronem, multa querens *de pœna, de culpa* nihil dicit. Alterum ſingularis *ἀνικεῖα* noſtra in exequendo. Lex enim triſtis, executio leniſſima. *Αἱ μὲν ἀπειλαὶ βαρεῖαι ἦσαν, αὐτὸς δὲ ἦν μετριώτατος*. Vox *Eſau*, manus verò *Iacob*, id eſt molliſſima. Et ſic olim Theodoſius: *dira ſcribebat, nihil exequebatur*, in hæreticos ſcilicet. Nolo cætera, ne grauare videar patriam, quam propoſitum eſt defendere. *Britannorum* certè ſunt noſtræ, non autem *Perſarum Medorumve* leges. Quid dicam, quòd

2

Pro Flacco. 2

Sozom. c. 7. lib. 11. & Niceph. l. 12. c. 15.

in tanto numero, nihil propè capitale eſt, vel à ſententiâ quidem animi tui planè nihil? Niſi exeas in militiam, niſi fidem Papæ obedientiamq; ſpondeas, aut Regium ſubditum aliquem ſeducas? Non modò nihil cruciabile, vt fieri amat in Inquiſitione, ſed ne morte quidem quod ſanciatur. Rectè Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium, c. 50. *Nullis bonis in Catholicâ hoc placet, ſi vſque ad mortem in quenquam, licet hæreticum, ſeniatur.* Omninò probas te nobis religio Chriſti hac ipsâ manſuetudine tuâ, doceſq; de cuius vberibus deſcendas, quæ tam lenibus præſidijs teipſam tueare. *Miniſtrum Chriſti oportet eſſe mitem, longanimem,* &c. *Non occident in omni monte ſancto meo.* Inde *coluber*, inde *regulus* exulat, inde cætera venenoſa fugiunt animalia. Non recuſo quin ſpectemur hoc vno examine, & lis ſecundum illos detur, qui inventi fuerint humaniores. Nihil adhuc ſanguinis legibus noſtris profuſum eſt, relligionis causâ, ne gutta quidem. Tam longè ſunt fidiculæ, ignes, rotæ. Sed *reliquum eſt* (inquit) *vt Tortorem cum Torto hac quoque in re conferamus.* In quo nos quidem lubenter tibi præſtò erimus.

CAP. 26.

I I

Defenſio D. Dienſ. de re Synodica: & pri. ò de Sardicenſi.

PRIMUS occurrit locus de *Concilio Sardicenſi.* Vbi omiſſis conuicijs, quæ ſolens iam depluit in Epiſcopum Ieſuita, id eſt, in Apoſtolorum ſucceſſorem Eccleſiaſq; ſigniferum, Loyolianorum caſtrorum calo profligatiſſimus, videamus quid afferat, vt Concilium *Sardicenſe* generalibus inſerat, quod tantoperè geſtit. Incredibile dictu eſt, quàm nullo negocio ad omnia reſpondeatur, quæ tanto iſte ſonitu verborum crepat. Orditur à titulo, quem in exemplaribus præferre ait, *Eſt œcumenicum, & toto terrarum orbe receptum.* Quo loco non dicam quod Cardinalis quondam Polus, cum neſcio quâ ſimili inſcriptione premeretur, tam verum hoc eſſe, quàm quod in tergo literarum pingi ſolet, cum omnia ad exquiſitiſſimam quan-

Aduerſ. Regem Angliæ

dam

dam honoris formam congeruntur, ſed ipſa hæc verba ſe ſatis explicare. *Oecumenicum* enim dicitur, non quod toto congregatis ex orbe Epiſcopis celebratum ſit, vt mos eſt, cum provinciali vel nationali opponitur, ſed quod totius orbis conſenſu receptum ſit, doctrinamq; eam contineat, qualem iſtud contra Arianos, Nicænæ planè ſupparem, quæ nullius boni Chriſtiani calculo improbetur. Inde enim ἐξήγησις illa, *& toto terrarũ orbe receptum.* Audi Baronium. *Vel ex eâ causâ* (inquit Baronius) *œcumenicum* [quid] *vocetur, quòd licèt non ex omnibus orbis terrarum primarijs antiſtitibus coaleſcat, tamen cum in eo, quæ ad totam religionem Chriſtianam pertinent, decernuntur, recte œcumenicum appelletur, &c.* Et adiungit exempla. *Sic Synodus Carthaginenſis tertia nominat illud vniuerſale concilium anniverſarium, ad quod ſingulis annis ex omnibus Africæ provincijs Epiſcopi convenire conſueuerunt. In Galliâ verò, vt quolibet triennio celebraretur vniuerſalis Synodus, ſtatutum fuit in Concilio Matiſconenſi 2. cap. 20. Idem de Alexandrino ex Epiſcopis Aegypti, idem de alijs liqueat quàm multis.* Quæ inanus habeatur, qui vniuerſalia eſſe velit propriè dicta Concilia Neque placet inſcriptionibus magnoperè detrahere, quarum quanta ſit fides, omnes facilè intelligunt, etſi meâ argumentatione nullâ eleuentur. Illud vnum nec negligendum, nec diſſimulandum puto, quòd Surianam inſcriptionem huius ipſius Concilij, Baronius mendaciſſimam eſſe clamitet, & de temporis aſſignatione, quo coactum eſſe dicitur, nequaquam audiendam. Vt videas quò tibi *Inſcriptio* tua recideria ſcilicet, anne *circumſcriptio* potius. Deniq; in Græcis codicibus ſic legitur, Σύνοδ& ἐπαρχιῶν ἐν διαφόροις ἐπαρχίαις συγκροτηθεῖσα. Non ex omnibus, ſed ἐν διαφόροις. i. varijs. Quæ inſcriptio non paulò propior eſt authenticę: & tamen ſatis longè ab eo abeſt, vt *Oecumenicam* hanc agnoſcat Synodum. Sed *nihil deſunt*, inquis, *eorum, quæ ad legitimum generale requiruntur Concilium.* Quid ita? *Quia & indictio fuit de ſententia Conſtantij, & Conſtantis*

Baron. ad Ann. 347.

Athanaſ. 1.

Auga-

Augustorum, per Leonem Pontificem, & legati interfuerunt Archidamus & Polyxenus, & Episcopi ac Patriarcha tanto numero ac multitudine, vt inculentiorem haud desideres. De numero Episcoporum videro paulò post, quem variè ab authoribus referri video. Illud interim vel primarium dicere respondeo, ne generale habeatur, quòd citati vocatiq;, in vnum non conuenerint, quòd nullos tractatus neque sermones agitârint, imo verò quòd nec inuicem aspicere sustinuerint, sed aut fugâ cesserint sanè perturpiter, vt qui commentum illud de Persicâ gratulatione dissemînârunt, aut cellis inclusi priuatis egerint. *Seorsim Orientales, seorsim etiam occidentales confessum habuerunt*, inquiunt Sozomenus, & Socrates, & Tripartita, nec abnegat Bellarminus. Theodoretus verò illustriùs, vt ingenium popularium tuorum tanquam in speculo recognoscas Eudæmon-Iohannes. *Dum iter faciunt versus Sardicam, cogunt inter ipsos separatim concilium, atque pacisceuntur cum minis adiectis, se cum venirent Sardicam, nequaquam vel ad iudicium accessuros, nec intraturos in sanctum ac celebre concilium, sed simul vt eò peruenirent, & se accedendo ad tam vrbem suo perfunctos officio ostenderent, quamprimum inde fugituros.* Quid autem Sozomenus, apud quem hæc oratio tergiuersantibus tribuitur? *Ad alia veninus, & alia conspicimus, accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur,* (Hesychium & Musonianum viz. suos desiderant, duo aulica propugnacula factionis Arianæ) *prorsus futurum est vt condemnemur. Quid igitur hæsitamus, quid moramur? Fingamus aliquam causificationem & discedamus, ne si manserimus, condemnemur. Melius est de fugâ erubescere, quàm conuictos de sycophantiâ condemnari.* Hæc illi perplexantes, & cætera prolixè. An verò, vt ad te redeam Eudæmon-Iohannes, indictio tibi aut euocatio satis esse videtur ad Concilium consummandum, generale præsertim? Quanquam quodnam est tam humile obscurumve Concilium, quod si modò Concilij nomen tueri velit, imò verò quod conuenticu-

Sozom. l. 3. cap. 10 11. socr. l. 2. c. 16 Tripart l. 4 cap. 11. Bellar. de Rom. Pontif. l. 1 c. 17. Theod. l. 2. cap. 8.

Soz. l. 3. c. 2.

lum,

lum, quæ conſpiratio lucifugarum, quæ extra conventum & congreſſum poſſit conſiſtere? Synodumne tu eam voces, in qua nulla σύνοδος? Sed hæc hactenus, vt ſciamus quæ concilia à Ieſuitis expectanda ſint, quàm mira, quàm diuina, qui ipſam συνοδίαν ab ijs remouerint, non dico qualis illa fuit duorum Epiſcoporum in Tridentino, ſed planè & collationis omnis gratiam fecerint, & conſpectum mutuum Patrum diſiunxerint.

Reſtat vt teſtimonia veterum expendamus. *Paulus & Athanaſius aliud concilium cogi poſtulant, vt eùm de eorum rebus, tùm de fide Catholicâ in generali concilio cognoſceretur. Non quamlibet* inquit Cydonius, *ſed generalem Synodum poſtulârunt iſti.* Reſponſio facilis: petiere fortè Paulus & Athanaſius generale, ſed tu oſtende celebratum eſſe, oſtende non obſtiiſſe iniquitatem Græcorum tuorum, ne vota pijſſimorum Patrum ſortirentur effectum. Non eſt opus repetere quæ ſuprà protulimus. Sed pergit idem. *Edicitur ergò* inquit, *concilium generale, vt omnes Sardicam conuenirent.* Sed edici non eſt ſatis, nec verò indici, niſi etiam congregetur. Quo minùs autem congregaretur, noſti quid impedierit, tergiuerſatio, quod ſæpè dixi, & improbitas Orientalium tuorum. Idem ad Nicephori teſtimonia reſponderim, idem ad cæterorum. *Petiere* vt Nicephorus, id enim & Socrates paulò antè, & *ſtatutum vt conuenirent ex vtroq; imperio*, id eſt, vt tu exponis, *ex totâ Eccleſiâ.* Sed aut doce conueniſſe, aut nihil agis. Quid enim hic opponam tibi, quod tu alibi tam odiosè cauillaris in Epiſcopo, ſucum te facere velle, aut negligentiæ certè latæ cuiuſdam reum eſſe, qui verba tua cum Nicephori ita commiſceas, & ſimilibus etiam typis ſine vllâ propemodum interpunctione pingas, ac ſi eius eſſet? Sic enim philoſopharis, *Qui autem ſunt vtriuſq; imperij, niſi Eccleſiæ totius Epiſcopi?* Hęccine Nicephori ſunt an tua verba perdite? qui tamen ita confundis ea cum Nicephori, vt iam dixi, vt pro tuis haberi planè cupere videare; nec Epiſcopo innoxio crimen illud

Ex Sect. 3. cap. 16.

incentare alio loco verecundaris, cuius hic manifestò ipse reus teneris. Sed cætera persequamur. Athanasius appellat *magnam Synodum*. Respondeo, aut indictionem respiciens, & spem Ecclesiæ, aut per *magnam* numerosam, neq; aliud intelligens. Cur enim quod magnum, statim vniuersale? Nos verò non deferimus Baronio in suâ causâ. Quanquam vt vera sit obseruatio eius, nobis non incommodat, qui nouimus quid obstiterit, ne illud in generale concilium euaderet, quod Ecclesiæ proposito fortè fuit generale. Estne quid aliud? *Sacram ac celebrē* Patres eius synodi vocant, apud Theodoretum. Sed ne hoc quidem vniuersale fuisse concilium euincit, etsi aliud est spem, aliud rem sequi, vt sæpè iam monui. Verùm *Sulpitius* (inquis) *isdem planè verbis de hoc loquitur & de Nicæno concilio*. Quid tandem? *Synodus apud Nicæam* (inquit) *ex toto orbe contrahitur, & iubet* (Imperator viz: quod isti dolet, ac proindè omittit) *ex toto orbe apud Sardicam concilium congregari*. Quousq; perseuerabimus laterem lauare, stipitem dolare? Quasi idem sit *contrahi* synodum Nicenam, & *iussam contrahi* Sardicensem. Nō neganus *de iusso, de facto* resistimus, nisi tu fortè obsurdescis. Ac parumne Sulpitius cautè locutus est, qui aliter de Nicæno pleno & exacto, aliter de Sardicensi *ὑπογραφικῶς*? Sed Iesuitæ omnia pro libitu conturbant vt Papam adaugeant. Eodem modo Theodoreti authoritati satisfecerim, *iussos conuenire*, qui tamen nunquam conuenerunt. Nam quod ais id ex fine Concilij eluceſcere, qui finis erat *vt vniuersali calamitati prospiceretur*, quod non admodùm potest, nisi *per vniuersale concilium*, quippe quod plenum in omnes diœceses ius habet, requirebat id fortasse Ecclesiæ necessitas, & sancti patres non abhorruere, sed vicio hominum reclamatum est. * Interserit hic nescio quid, ex S. Augustino, de iudicio Romano, quo damnati sunt Donatistæ, quod tamen iudicium etsi Romæ habitum, ad alios quosdam calculos deinceps reuocatum fit, vt sciamus quanta authoritas sit Sedis Romanæ. *Putemus*

Apolog. 2.

lib. 2 c. 8 Eccles. histor.

La sacr. huiſ.

* Reſpexerunt B. B. Paulus & Athanaſius id quod in veteri eccleſia conſuetudine fuiſſe nouit B. Auguſtinus, aduerſus Donatiſtas agens, qui cum damnati Romæ fuiſſent, ab ea de Apoſtolica, ad Concilium appellabant. Verba Paral. p. 130 & ſeq.

illos

illos Epiſcopos (inquit S. Auguſtinus) *qui Romæ iudicabant, non bonos iudices fuiſſe.* Inter quos tamen Pontifex ipſe primarius fuit. Et, *Reſtabat plenarium Eccleſiæ concilium, vbi cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari.* Licet igitur & concilio agitare Pontificem. Sed ad vltima veniendum eſt. Hæc tantùm interpoſitio fuit grauis hominis prudentiſq;, credo ne Pontifici nimium tribueremus. Ex epiſt. Aug. ſt. 162.

Vltimum permiſerum eſt ex Chalcedonenſi perfugium. Chalcedonenſe Cõcilium in allocutione ad Martianum, actione 16. de ſcriptis à Patribus pro re natâ editis, atq; ad Eccleſiam tranſmiſſis, verba faciens, allegat exempla ſuperiorum Synodorum quarundam, at non plus quàm trium, inter quas eſt Sardicenſis. *Et illi* (inquiunt) *qui ad Sardicam Patres conuenere, contra reliquias Arij, orientalibus direxerunt ſui conſtituta iudicij.* Præclarè. Nonne hęc grauis iam ratio eſt, Sardicenſis Synodus cur generalis credatur? *Quia direxit Orientalibus literas ſuas. Imò*, inquit, *connumerant eam cum Epheſinâ & Conſtantinopolitanâ, quod nunquam feciſſent, niſi eſſet generalis.* At non propoſitum erat generalia concilia enumerare, ſed exempla tantùm eorum, qui id feciſſent quod iam dixi, recenſere quædam. Quòd ſi annumeratio cum generalibus facit generale, ergo omiſſio aliorum quorundam ex eodem catalogo, de illorum authoritate detraheret, quod abſurdum eſt. Denique vt intelligas quàm deploratè contexas, non ſolùm a Concilijs, ſed à perſonis arguunt, Baſilio, Damaſo, qui literis ſuis orthodoxam fidem illuſtrârunt, ille de hypoſtaſibus, hic de ſacramento incarnationis Dominicæ, vt ſi bona ſit ratio tua, *Damaſus* etiam & *Baſilius* inter generalia concilia poſthac habendi ſint.

DILUIMUS quæ iſte pro Sardicenſi attulit, cur *obturtâ* quod aiunt *gulâ* ad generalia trahatur. Nunc, CAP. 27.

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.

Concilium Sardicenſe generale fuiſſe negamus, his inter

1 alias rationibus adducti. Primum argumentum est à numero Episcoporum. *Canones Sardicenses facti fuerunt per Hosium Cordubensem, & 20 Episcopos, qui tamen non apud Græcos, sed apud Latinos magis inueniuntur.* Verba sunt Præfationis in Concilium Sardicense, ex quodam vetusto codice, Tom. 1. Concil. Eadem etiam habentur verba in codice canonum Lutetiæ edito, anno 1609. p. 156. Quis autem existimare potest, illâ ætate ad generale Concilium 20. tantùm Episcopos conuenire voluisse? Quòd si in codice canonum 60. reperiantur nominatim subscripsisse, & alij nomnibus non appositis, vsq; ad numerum 121, Theodoretus autem ne hoc quidem numero contentus est, sed ad ducentos & quinquaginta plus minus amplificat, (vt mendacium interibi agnoscas Cretensis nostri, qui Theodoretũ pauciſſimos annumerare affirmat ex omnibus scriptoribus, quod longè secus est,) apud Socratem verò legatur & trecentos conueniſſe ex Hesperijs partibus, & 76 modò ex Orientalibus, hoc si inquam objiciatur, Respondeo vt iamdudum, nequaquam hunc numerum, de congregatis in concilio patribus, intelligendum esse, sed de ijs duntaxat qui ad Sardicam appulere, è quibus mox Orientales tam frequentes se subduxere, vt solus Hosius cum 20. Episcoporum cohorte remanserit. Canones igitur à viginti modò editi Episcopis, non obtinent authoritatem generalis Concilij.

2 Secundum argumentum est à testimonio Pontificiorum, vel eorum quibus Pontificij libenter deferunt. Apud Gratianum in Decreto, ita perpurgato & elimato per Gregorium 13. vt nihil iam aut addere aut detrahere ei liceat, recitantur in fronte libri, concilia omnia generalia, & prouincialia. Inter prouincialia autem decimum tertium locum occupat Sardicense. Etiamne de Pontificis *infallibilitate* detrahent, vt *potestatem* astruant? Nam hæc quidem vt dixi Gregorius sic confirmauit. Nec in solius Gratiani testimonio res vertitur, etsi non debuit Baronius Gratianum

num temerè contemnere. Carolus quoque Campigni in Præfatione ad Summam Catholicæ fidei, recitat omnia Concilia generalia nominatim, nullâ mentione factâ Sardicenſis, quippe quod relegat ad non approbata. Numerat octo, quorum quartum eſt Sardicense. Intelligebat viz. eos Patres, qui ex oriente confluxerant, nihil ſani ſapuiſſe, quibus inde detractis, ſumma perparva relinquatur. Quare iterum Gratianus, diſtinct. 16. Can. *Prima adnotatio.* Quarta Synodus prouincialis (*inquit*) Sardicenſis, in qua Patres 60. ſtatuerunt canones 21. Quorum author maximè Hoſius Cordubenſis & Vincentius Capuanus.

Quid quòd res ipſa hoc loquitur, & ratio conſequentiæ planiſſimè extorquet? Audi Bedam de temporibus cap. 65. ſed & citatur à Gratiano, diſtinct. 16. Can. *Sexta Synodus. Prima vniuerſalis Synodus in Nicæâ congregata eſt, contra Arium. Secunda Conſtantinopoli, contra Macedonium. Tertia in Epheſo, contra Neſtorium. Quarta Chalcedone, contra Eutyches.* Ac rurſus eâdem, Can. *Prima autem. Prima Synodus fuit Nicæna. ſecunda Conſtantinopolitana &c.* quæ aſſignatio nulla eſt, ſi Sardicenſis recipiatur ad numerum generalium. Vbi enim conſiſtet? quo loco hærebit? quota habebitur? Non enim Beda ſolùm, aut Gratianus, ſed omnes omninò, qui generalium Synodorum meminerunt, Conſtantinopolitanam Synodum ſecundam faciunt. At Sardicenſis antecеſſit Conſtantinopolitanam, celebrata ſub Conſtantio tempore Iulij, vt refert Tripart. l. 4. c. 23. inciditq; in annum 351. Conſtantinopolitana ſub Damaſo, imperante Gratiano, anno 382. vt habet codex Canonum iam ante memoratus, quæ diſtantia eſt 32. annorum. Vt ſi pergant æmulari pro Sardicenſi generali, reſpondere non dubitemus aut cum Archimede, ὰδὲ πᾶ ἐῆ. ne τὸ ἄπειρον πεπέρανται, vt dixit Xuthus, aut cum ſancto Auguſtino, *Quod nuſquam eſt, non eſt.* Ariſt. in phy.

Quartum & poſtremum argumentum noſtrum, ducitur à praxi Patrum Synodi ſextæ Carthaginenſis c. 1. can. 6. vbi

3

4

de appellationibus Clericorum recitatur Canon 17. Concilij Sardicenſis. Quæ illa Helena eſt ſcilicet, quæ Ieſuitas faſcinauit, vt generalitatem aſtruerent coitiunculæ Sardicanæ. Sed reſpondit Auguſtinus(& cum hominem nominaui ſatis eſt)canone 7. *Hoc nos ſeruaturos profitemur, ſaluâ diligentiore inquiſitione Concilij Nicæni.* Quaſi nimirum diceret, obſeruabimus hunc canonem, non tamen propter authoritatem Sardicenſis Concilij, quam nullam agnoſcimus, ſed ſi ita conſtat definitum fuiſſe per concilium Nicænum. Eiuſdem Synodi capite 1. can. 3. allegantur ipſa verba concilij Sardicenſis, can. 17. de appellatione ad Romanum Epiſcopum. Et refutatur hæc appellatio in alio concilio Africano, in epiſtolâ ad Cæleſtinum Romæ Epiſcopum, multis ijſdemq; ſatis grauibus rationibus tom. 1. Concil. Colon. edit. pag. 521. Ex quibus duobus concilijs ſatis conſtat, quis fuerit B. Auguſtini reliquorumq; Africanorum Patrum, de concilio Sardicenſi, ſenſus. Quòd ſi aliquam apud illos vim habuiſſet, præſertim cum nominatim per notarios citatum eſſet, quid opus ſollicitudine tantâ in decretis Nicænis inueſtigandis, quibus ſolis non refragabilem authoritatem detulerunt? Sed & Auguſtinus adhuc expreſſiùs lib. 2. contra Creſconium Grammaticum, c. 34. *Sardicenſe concilium Arianorum fuit, quod totum iamdiu eſt, vt habemus in manibus, maximè contra Athanaſium &c.* De quo quidem teſtimonio diſputari ſolet, & eſt quod dici poſſit in vtramq; partem. Sed non opus eſt plura ad Ieſuiticam corniculam hanc demudandam, quam ſolo *appellationum* ſtudio exornant, & aquulæ, vt loquuntur, molendino ſuo lucrandæ, *cuius adhuc ſonitus auditur iſtic.*

Apoc 18. 22.

CAP. 28.

QVÒD dicit centuriatores nullam huic Synodo notam inurere, non video luculentiorem quinam inurere potuerint, quàm Socratis & Sozomeni ea verba recitando, de orientalium & occidentalium diſiunctis tabernaculis, mox etiam non ſententijs ſolùm, verumetiam planè pedibus in

diuer-

diuersa discedentium. Sed priuatum hic fortè aliquod iudicium à centuriatoribus expectauit eo loco, non intelligens antiquitatis eò grauius esse & vehementius, quo ab omni partium suspicione alienius. Iam verò quòd adiungit, neminem ante Episcopum, ausum esse hoc vocare in controuersiam, nescio, negare certè ausum scio neminem, quin concilium Sardicense à generalibus abhorreat, intra particularia planè claudi solitum. Ille tamen Episcopum furibundus de eo lacerat, cum ingenti authorum turbâ loquentem, cui si solus hoc diceret, parcere tamen ob singularem reuerentiam debuisset. Vt Scipioni Africano refert Valerius, quia cultor frequentissimus esset capitolij, ne allatrari quidem solitum à canibus loci, qui alium quemvis adeuntem vexarent. Sed hæc sæpè conquesti sumus, & sæpe queremur, Episcopum à fraterculo tam flagitiosè accipi: nunc extremum illud stringendum est.

Postremò igitur quòd ait Episcopum dicere, *Bellarminum laborare, vt Sardicense concilium inter generalia numeret*, quanquam verbo *laborandi* non vtitur Episcopus, ac tantummodò dicit eum *valde velle*, nos tamen id etiam addimus, non solùm *laborare*, sed irrito prorsus conatu, & frustrà sudando *nec holum proficere*. Audite si placet commentum hominis, & acumen miramini. Ait primò, *Africanos Patres reiecisse hoc concilium tantùm ex ignorantiâ, aliter sine dubio acquieturos fuisse eius authoritati: quòd verò mentio fiat Synodi Sardicensis in Concilio Africano, can. 6. hoc per librariorum incuriam factum esse, & nescio quid ex margine in textum irrepsisse.* Ait secundò, *Pontifices Romanos, Zozimum, Bonifacium, Cælestinum, citâsse Nicænum pro Sardicensi, sicut Matthæus citat Ieremiam pro Zacharia, quia idem spiritus in vtroq; locutus est, vel quia idem Patres magnâ ex parte in vtroq; concilio interfuerunt, & nihil noui, quod ad fidem, in Sardicensi definitum est. sed solum Nicæna fides roborata, cum in aliis conciliis semper noua hæreses damnata fuerint. Ideoque hæc duo Concilia pro vno haberi, & pro vno citari, sicut symbolum*

De Pontif. Rom. l. 2. c. 15.

lum Constantinopolitanum vocatur Nicænum, quia est explicatio Nicæni. Alioqui Sardicense concilium, nec dubie, inter generalia concilia numerandum fuisse. & secundo loco reponendum. Hæccine. Quæ omnia meræ gerræ sunt, impostureę, & ludibria. Primò enim tam supinam ignorantiam fuisse in omnibus illius æui Africanis Patribus, inter quos & Augustinus (id enim velint nolint inculcandum est sæpiùs) vt quæ concilia vniuersalia suâ ferè ætate coacta fuerint, ignorarent? Ne credi quidem potest, nedum probari. Deinde textum quòd corruptum viciatumq; esse dicit, in quo nominatur Sardicense concilium, vetus est hæc techna, & familiaris Bellarmino, probabilissima quæq; reijcere, alienissima comminisci, & *saltu*, quod ait ille, *supra venabula ferri*, vt argumentum declinet, rationesq; suas explicet: nunc breuiter & vno verbo refellemus. Quid est enim quòd ipsa verba canonis 17. Sardicensis Concilij prolixè recitantur in Epistolâ Africanorum, quæ ne Bellarminus quidem credit, totidem vnquam verbis in Nicæno perscripta? Sed & author Canonis illius Hosius allegatur, qui Sardicensi concilio præfuisse cognoscitur, operamq; ibi eximiam præ reliquis nauâsse? Ita multa dispungenda sunt, vt *errorem* fateamur, & *irrepsisse nescio quid glossæ ex margine in textum*. Non solùm Sardicense pro Nicæno substituetur, sed & eadem macula erit in nomine Hosij, & verba ipsa Canonis leuiter immutanda sunt, quæ nunc quidem in Nicæno nusquam reperiuntur, in Sardicensi autem Synodo expressissima extant.

Postremò hæc duo Concilia, Nicænum & Sardicense, non fuisse habita pro vno, ex eo constat, quòd cùm reiecti sunt Sardicenses canones, in concilio Africano, nemo ausus est dicere canones Nicænos & Sardicenses pro ijsdem habendos, & apud omnes authores distinguuntur, vt iam docui.

De Pontif. Rom. vbi. ante.

Sed Bellarminus parùm putat, si toti orbi contradicat, nisi suo semetipsum mucrone conficiat. Ait alicubi in hæc

verba,

verba, *Secundò dico probabile eſſe, hos tres Canones, quos Zozimus citauit ex Nicæno Concilio, reuera in eo Concilio fuiſſe.* Et tamen paulò poſt; *Dicit tertiò ſibi admodùm probabile videri, in Concilio Nicæno non fuiſſe expreſſe hos tres canones, ſed à Zozimo & Bonifacio vocari tantùm Nicænos, quia vtraque concilia pro eodem habebantur.* Hæc ille digladians, & ſecum ipſe pugnans. Ac videmus, vt pepercerit ei Rex optimus, maximus, contradictionum eius *camarinam* leuiter commouens, non enim exhauriens, & tantò plures adhuc reliquas ſilentio involuens. Sed *de Concilio Sardicenſi* hæc hactenus.

IAM verò de Chalcedonenſi *ignoſci* ſibi poſtulat, *ſi paulò diutiùs in eo habitet*, in quo quidem mihi minimè audiendus videtur. Cuius enim amentiæ eſt, ſummam in Pontifice iuriſdictionem collocantem, Chalcedonenſe Concilium vſque inculcare, cum Regia excellentia non aliundè faciliùs, quàm ex hoc vno antiquitatis monumento aſtruatur, aut ſuæ Pontifici pennæ concidant? Ego verò & à præceptore meo huc deductus ſum adoleſcens, vel penè potius puer, ad Chalcedonenſis inquam Concilij fontes deductus ſum, vt rectam *de primatu* fidem imbiberem, in qua etiam permaneo adhuc ſententiâ, neque me inde temerè quiſquam deducet. Porro guſtum lectoribus breuiter dare placet, & Ieſuitæ exultanti, ac omnia terrenti, frænos quoſdam furoris quamprimum injecere. Quin tu igitur illa recognoſcis ex Chalcedonenſi concilio, homo effrænatiſſime, (de Canonibus nunc non loquor, qui & pauci fuerunt, & in nullo admodùm Concilio crebri reperiuntur, ſed tamen ex Actis, ex Epiſtolis, &c.) vt omiſſo Pontifice tuo, quem fræneum hominem diſſuauiaris tam cupidè, Cæſari ſoluas quæ Cæſaris ſunt.

CAP. 29.

2

De Chalced. concil. Patal p. 134. & deinceps latè.

In Epiſtola Epiſcoporum Aegypti & Alexandriæ ad Leonem Imperatorem, *Oblatæ preces* inquiunt *ab vniuerſis*

Episcopis vestræ diœceseos Ægypti & Alexandriæ, &c. Ordinantur à precibus Imperatori oblatis à communi Episcoporum, quorum etiam diœceses Imperatoris esse dicitur; adeò scilicet nihil iuris illi largiuntur in Ecclesiam. Sed ergo. *A superbâ gratiâ, &, diuinitùs condonatus Imperator, iuste non cessus pro communi vtilitate post deum cogitare.* Quid audio? Post deum nemo vnus Ecclesiæ vniuersæ diligentior custos, aut prouisor solertior, quàm Imperator Leo? Nam vtilitatem illam in negotijs relligionis componendis, ipsi paulò post consistere declarant, cum dicunt apertè, *Opus pijssimorum Principum illud esse, pro orthodoxâ fide animose pugnare, & malis ijs resistere, quæcunque aduersantur saluti animarum.* Vt non immeritò hic quæsierim, vbi ergò tùm Pontifex *vicarius sub deo*, & omnem in se curam rerum Ecclesiasticarum, transcendenti quadam ratione deuinciens? Imò quid aliud hoc est, quàm quod in Regio nostro titulo, qui ab istis tantoperè carpitur, & locis omnibus peruellitur, de *proximâ post Christum inspectione Ecclesiarum Regiæ Maiestati commissâ* affirmatur? Ac ne solos Alexandrinos, aut Aegyptios, hæc sentire, non Romanos existimes, de prærogatiuâ Cæsareâ, Leo Pontifex ad Leonem Imperatorem, Epist. 95. c. 1. *Quamuis scium Clementiam tuam humanis institutionibus non egere, & synceriſſimam de abundantiâ spiritus sancti hausisse doctrinam, officij tamen mei est & patefacere quod intelligis, & prædicare quod credis. &c.* Sibi *officium*, Imperatori *scientiam* vendicat Pontifex, & *quàm plenam* vides. *De abundantiâ spiritus S. synceriſſimam doctrinam*, deniq; *humanis institutionibus superiorem.* At quæ Pontifex de Imperatore, bonis illis temporibus, hæc nunc nisi de Pontifice nemini dicere licet, vel existimare, Christiano. Solus ille *de abundantiâ spiritus sancti* sapit, solus est *humanâ institutione superior.* Ad Imperatorem nec decima laudis huius diffunditur. Quòd si vt illi, quæ de vno aliquo ex toto numero Pontificum, Innocentio puta, aut Damaso, aliquando feruntur, ad omnes trahunt, ita nos

quæ

quæ de Leone Imperatore ſcribuntur, & a Pontifice ipſo Romano ſcribuntur, vt iam oſtendi, omnibus Imperatoribus communia faceremus, quàm ſplendida elogia, & quàm multa comportaremus, quam nec illis cedentia, quæ Bellarminus aggregauit, circiter quindecim, niſi fallor, in commentarijs ſuis de Pontifice, ad Paparum torulos effulciendos? Sed cætera perſequamur. Idem Leo ad Martianum epiſt. 68. *in Chriſtianiſſimo Principe ſacerdotalem ſe inueniſſe* pronuntiat *affectum*. (Tam alienus ſcilicet eſt Imperator à cunctâ Eccleſiâ, ſemperq; fuit.) Sed contexe: *Quem ſi ariolatalium partium ſacerdotes imitarentur, nihil ſcandalorum neq; pax* (à ſchiſmate) *neque fides* (ab hæreſi) *Chriſtiana pateretur*. Atqui parum eſt *ſacerdotalis, Apoſtolicus* etiam animus in Imperatore relucet. Leo ad Leonem Epiſt. 73. *Sacerdotalem & Apoſtolicum pietatis tuæ animum, etiam hoc ad vltimum debet accendere, quòd inueniuntur & Clerici quidam hæreticorum ſenſui conſonantes, & intra ipſa Catholicorum viſcera, aſſertionibus ſuis hæreticorum partem adiuuantes &c. Quos*, ne longiùs immorer, quia Anatolij Conſtantinopolitani Archiepiſcopi ſegnitie ac torpore nimis foueri videbantur, *dignamini* (inquit) *pro fide veſtrâ, etiam iſtam Eccleſiæ præſtare medicinam, vt non ſolùm ab ordine Clericatus, ſed etiam ab vrbis habitatione pelli curetis, &c.* Vocat ergo Imperatorem ad medicinam eccleſiæ, & nominatim ad illa Clericis imprimenda cauteria, quæ ordinis depriuationem, cum ſoli mutatione coniunctam, continent. Poſtremò, *Et hoc* (inquit) *pro fide veſtrâ*. Quaſi illa Lydiæ ad Apoſtolos in Actis renouet, *ſi me fidelem putaſtis*, ſtatim nempè *poſt baptiſmum*. Aduerſarij verò nugantur nos Papæ ſpopondiſſe, & Imperatori de Eccleſiaſticis præſertim renuntiaſſe *in baptiſmo*, cum Leo per *fidem*, i. per ipſam *Chriſtianitatem, quam in baptiſmo profeſſi ſumus*, non dubitet adiurare ſanctiſſimum Imperatorem, vt rerum in ſe Eccleſiaſticarum curam ſuſcipiat, & Clericis caſtigandis, & lento illo Heli, (ſic enim proximè ſtatim Leo eum vocat

Tomus.

Epistolà) i. Anatolio Constantinopolitano, expergefaciendo. Vos quantum hic exclamaturi, & quàm Cyclopicum, si quid tale tentaretur, qui Ecclesiasticos homines eos esse dicitis, quos nemo Rex, ne quidem tangere debeat, montem illum fumantem, & *bellarum* incursionibus, i. scilicet *Laicorum*, (vt pulchrè Aquinas vester) inaccessum. Attende verò: Agapetus ad Leonem, & ne agam obscurè, p. 375. (sequor editionem Conciliorum Venetam, & versor adhuc in Actis Chalcedonensis Concilij.) *Vere tu Sacerdos es & naturâ Imperator.* Idem etiam paulò antè in eàdem Epistolà. *Ad consortium te Apostolorum ac Prophetarum sectum exhortor.* Pontifex Imperatorem viden' quò vocet? Etiamne hoc est *de monte bellum detrudere?* An potius ad fastigium ipsum sanctitatis eum evehere? *Securus* (inquit) *te eò exhortor.* Quod hodiè qui faceret, non faceret *securus*, siquidem istis interesset. Non ferunt id, fremunt, & iubati repugnant, cum Imperium sacerdotalia complexum depingitur, etsi absit administratio, etsi cesset executio, & sola illa, quam vendicamus, *inspectio* retineatur, aut *gubernatio*. *Mundiali* nescio quâ *sphærâ suâ* eum circumscribunt. Idq; & illi, qui non solùm Aristotelem in scholis audire potuerunt, primatum diuinorum Regibus transcribentem suffragio suo, sed fingunt ipsi Melchisedechos pro arbitratu, & inter cæteros, mentiar nisi Cardinalem Borbonium, *qui verus*, inquiunt, *Francorum Melchisedec, verus Rex est & sacerdos.* Hæc illi vt dixi, qui tamen pergunt *de primatu* nobiscum iurgari, & odiosam rem clamare, quòd summum *in Regno*, summum etiam *in religione asserendâ* facianus. Quid idem ille Agapetus sub initium Epistolæ? *Desuper sceptra regni suscipiens sacratissime Principum*, (non enim à Pontifice, non à nescio quo sequestro deitatis commentitio) *pro munere vestra pietati collato, decum celestem Regem primitijs decentibus honorâstis. Prima enim oblatio, & acceptabile sacrificium est, vt auriga mundi, & Princeps totius orbis, qui sub sole consistit, adorandæ Trinitatis*

In 2.c.

Pol. 3.

Rossæus in Conclus. ad Orthodoxos. 752. libelli inscriptio. Christiana authoritate.

fidem

fidem ſeruet incolumem, & doceat ex his quæ facit & colit, timere & homines Deum, &c. Reliqua præcidenda ſunt, ne prolixior euadam, de Pulcheriâ non Laicâ ſolùm, verumetiam fœminâ, *omnia ſcandala ex Eccleſiâ remouente*, (Ezechiam te videre putes ſanctuarium purgantem, & fimum per Levitas euerrentem) nec iam inſtinctu ſacrilego (vt vos cauillari ſoletis) ſed *Deo inſpirante, vniuerſa Eccleſiæ conſulente*; de ſtylo Imperatoris, *Diuinitas noſtra*, vt ſcias quod illud ὑβριστικὸν ſit, quod deo proximum, & ſolo *ſuperſcendente* Antichriſto conculcandum, ex prophetiâ ſeruatoris, ac neſcio vnde per impluvium illabente, purior Eccleſiæ ætas Imperatoribus Chriſtianis non dubitauit vendicare. Tum, *Diualis apex, ſacræ litteræ, diuinæ ſyllabæ*, & infinita huius generis, quæ nunc ita verſa & caſſa funditùs omnia, vt Cæſari adempta, intra ſolam Pontificiam ſanctitatem reſederint, qui nullus eo ſæculo titulus talis emerſerat. 2. Theſſ. 2. 4. Ioh. 10.

An verò Leonis illa ſilentio prætereunda? *Per inhabitantem in vobis ſpiritum Dei, ſatis vos inſtructos eſſe video, ne fidei veſtræ vllus poſſit illudere:* Imperatorem affatur. Item, *Verè cor Regis in manu Dei, &, cor dei in conſilio Regis. Propterea qui ab eo Imperij retinacula ſunt ſortiti, nunquam decipiuntur. Dei enim cor habent &c.* Vt quanquam nobis illud nunquam in mentem venit, *infallibilitatem* Regibus adiudicare, tamen equidem ſi libêret, &, ſi vellemus, non paulò neruoſioribus teſtimonijs vti poſſemus ad id efficiendum, quàm ij cum Pontificem ſuum fingunt *Aplauem*. Vtrum enim eſt illuſtrius, *Ego dixi diij eſtis*, &, *In labijs Regis diuinatio eſt, non errabit in iudicio os eius*, an quæ illi centunculis miſerè conſutis, pro Petro ſuo muſſitant, vt aliquis videatur? Obſignabo hunc locum mirifico illo elogio Epiſcoporum ſecundæ Syriæ de Leone Imperatore, quem non dubitant affari verbis ijs quæ iam ponam, quæ miror quâ conſcientiâ à Pontificijs legantur. *Dominus omnium Chriſtus promiſſionem illam ſuam nunc ad terminum adduxit, qua* Pſal. 82. 6 Pro 16. 10.

in sanctis Euangelijs Petro dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam, quando vestram tranquillitatem pij Imperij augustæ vestæ circumdedit. Quod, fallor ego, si quis hodiè, in Ecclesia Occidentali, impunitum referret, vt locum vaum luculentissimum, prout illis videri solet, pro Papæ primatu, non solùm illis extorqueret, sed ad terrenum Imperatorem tam turbidè deuolueret. Chalcedonensium tamen Patrum iudicia sunt hæc. Nunc quid ille, *ex vineto suo bambetur vulpes*, audiamus.

CAP. 30. ACTIONE (inquit) *tertiâ, Synodus ad Leonem de Dioscoro loquens, Contra ipsum cui* VINEAE *custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, hoc est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem.* Et paulò post, *Quibus tu sicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens.* Et tandem, *Sicut nos capiti in bono adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs quod decet adijciat.* Quid tum deniq; ? *Ita* (inquit) *Synodus tota generalis, hoc est, Ecclesia vniuersa comitia, Leonem patrem ac caput agnoscunt, se verò filios & membra eius.* Ex Actis hæc omnia, nihil adhuc ex Canonibus: licet enim ei vndelibet vt video corradere, etiam tum cùm *Concilij authoritate* nos territat. Etsi autem nullam Synodi inuenio Epistolam ad Leonem Pontificem, actione 2, vt ille citat, (Ischyrion diaconus, & nescio quis Theodorus, ex eodem sodalitio, eum magnificè compellant) sed decimam sextam nisi fallor annotare voluit, tamen cò leuius hoc totum videatur necesse est, quicquid tandem est, propterea quòd ad Leonem literæ dirigi dicuntur, quem nisi probè demulcerent, literarum nec nomen omninò nec genium possiderent. Deceamus tamen si placet, quàm friuola sint hæc ipsa. *Vineæ custodia commissa est Leoni à Saluatore.* Et cui non Episcopo inquam, ex omnibus? Stamus enim omnes in orbe quodã, vt ait ille, nec nescio cui portiunculæ tantùm sumus obstri-

cti,

ĕti, ſed quamcunq; Eccleſiæ partem fortuna tentárit, ad eam expediendam omni ope conuolamus. Nec aliter vel Apoſtolus olim de Timotheo, *Vt ſcias qui te gerere oporteat in domo domini, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis*, (minuſne hoc obſecro quàm *vinea domini*? neque tamen œcumenicum quid Timotheo arrogat) vel patres ſæculis conſequentibus optimi. Eleutherius (ſi Eleutherij tamen illa eſt epiſtola) ad Galliæ Epiſcopos. *Vniuerſalis vobis à Chriſto Ieſu commiſſa eſt Eccleſia, vt pro omnibus laboretis, & cuncta ejus ferre non negligatis.* Quæ eadem verba & Athanaſio tribuuntur in epiſtola ad Liberium, vnde mirum ni iſti primatum exſculpant, quem Liberio deferant, ſatis ſtudiosè, de Gallicanis Epiſcopis parùm admodum ſolliciti, niſi vt ſuo qualicunq; iure eos defraudent. Eſtne quid aliud? Nazianzenus de Athanaſio, cum Alexandrinæ Eccleſiæ creatus eſſet Epiſcopus, *præfecturam eam ſuſcepiſſe totius orbis terrarum.* Specialius paulò Baſilius, appoſitè tamen ad id de quo agimus, *ab Athanaſio pendere Eccleſiæ & Antiochenæ incolumitatem*, cùm ille nihilominùs Alexandriæ præeſſet, vt iam diximus. Arſenius de eodem, vt eſt apud Athanaſium, Apolog. 2. *Eccleſia Catholica* (inquit) *eum tu nunc per gratiam dei præfectus es.* Quid clarius? Probet Pontifex Romanus, ſe *per Dei gratiam* toti Eccleſiæ præfectum, non per priuatam ambitionem atque typhum, & iis nulla remanebit. Sed ſuperſunt alia. Theodoretus de Chryſoſtomo, Chryſoſtomus de Euſtathio. Ille *hunc doctorem eſſe orbis terrarum*, lib. 5. hiſtor. c. 32. iſte Euſtathium non humaniùs, ſed. *à ſancto Dei ſpiritu edoctum. à precibuſq; ijs, quas pro tota profundimus Eccleſiâ, ὅτι τὸν τῆς ἐκκλησίας ἐφεστῶτα, οὐκ ἐκείνης μόνης κήδεσθαι δεῖ τῆς παρὰ τῷ τυπτικῷ ἐγχωμιάζεσθαι αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην κειμένης.* Oecumenici igitur omnes erunt hoc pacto Epiſcopi, quotquot ad præfecturam aliquam in Eccleſia vocantur, vt & *theſin* cum *hypotheſi* iam habeas ſcilicet, ex Chryſoſtomo. Quem ipſum Chryſoſtomum, Theodorus Lapſus in libello

1. Tim. 3. 15.

Tom.8 edit. Chryſoſt. Nobiliſſimi D. Hen. Saluilij.

libello quo reſpondet geminæ eius prouocationi, ἐκκλήσιαστικὸν ἐπίσκοπον palàm inſignit, neque tamen pro Papa eum aliquando habuit. Imò idem Chryſoſtomus hom. 1. in Paulum, tom. eodem, Paulum ait non ἐκκλήσιαν ſolùm, ſed αὐτὴν τὴν ἀοίκητον inſuper procuraſſe. Erit igitur Epiſcopatus aliquis ſupra Oecumenicum. Quod repetit & in conſequenti homiliâ bonus pater: nec dubitat S. Paulum Michaeli Archangelo, vel prouinciæ latitudine, vel induſtriæ vigore, anteponere. Quid S. Baſilius de Meletio loquens, qui Romanus non fuit, ne Latinus quidem, *quòd tota eum Eccleſia præpoſitum expetierit*, ac mox, *vt deſyderabilem hunc virum, Eccleſiam dei gubernare videamus*, epiſtolâ 50. Nec non idem de Ambroſio epiſtola 55, *quòd totius gentis ei concreditus fuerit principatus, & in primâ Apoſtolorum ſede à Domino collocatus ſit.* Item, *Commiſſum ei magni & præclari nauigij, Eccleſiæ ſcilicet dei, in fide Chriſti, gubernationem.* Neque tamen Romanam rexit Ambroſius eccleſiam, Argonautarum illam nauem, ac multò potius minutiorem cymbam, Mediolanenſem. Vides igitur ad quàm multos illa dignitas pertineat, quòd Eccleſiæ præfecti eſſe dicantur, ſiquidem vim in verbo facere libeat. Quid quòd Baſilius *totius* addit, loquens de Ambroſio? Theodoretus item de Theodoro, Mopſueſtiæ Epiſcopo, πάσης ἐκκλησίας ἐδίδασκεν fuiſſe, l. 5. hiſt. c. 40. quod non tamen Synodus de Leone, etſi Bellarminus ſic adulteret, vt D. Elienſis annotauit, à te etiam, licet tectiùs, idem agitur hoc loco. *Ita* (inquis) *Synodus* TOTA *generalis.* Nihilne pudet te tui *ita?* Aut adeòne ſucus ille puerilis veteratorem delectat, quo plus eſt in concluſione quàm in antecedente? Sed hæc hactenus. Paſtores certè qui à Spiritu Sancto donantur Eccleſijs, toti gregi præfici, non neſcio cui particulæ ex toto reuulſæ atque deciſæ, ſi adhuc neſcis, vel illa te doceant, quæ ex Actorum 20. tam ſæpe recitant monarchomachi illi tui, pro imaginariâ hierarchiâ, *Attendite vobis & Vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Eccleſiam*

Reſp. ad Apolog. Card. Bel. p. 171.

Dei

dei regere. Habes *eccleſiam Dei*, habes *totum gregem*, qui *paſtoribus*, non tamen omnibus, ſed *Epheſinis* ſat paucis commendabatur, vnicuique ſcilicet pro ſuâ virili, nec humanâ aſſignatione, ſed voluntate *ſpiritus ſancti.* Habes denique & *vniuerſæ*, quod Bellarminus tamen non niſi perfidè hoc loco aſſimulauerat, & à te quoque pari propè conſcientiâ hîc effingitur, vt *vniuerſalem* inſpectionem ad Pontificem reuocetis. Spiritus ſanctus id commune omnium facit, pro ſuo cuiuſque modulo, vt & B. Cyprianus; *Vnus* inquit *Epiſcopatus eſt in Eccleſiâ, cuius in ſolidum pars tenetur à ſingulis.* De vnit. Eccleſ. cap. 4. Cui adde Origenem Homil. 6. in Eſaiam, *Qui vocatur ad Epiſcopatum, vocatur ad ſeruitutem totius Eccleſiæ.* Poſtremò, S. Chryſoſtomus homil. in Parab. de debitore talentorum, Tom. 5. pag. 200. Petrum œcumenicum nobis dat Epiſcopum, etiam antequam ad præfecturam eam à domino aſſumeretur, à quâ vos hodiernum veſtrum Pontificatum deriuatis. Verba ſunt aurea, vt ab aureo illo ore, & delineant nobis penſum noſtrum, quotquot ſumus miniſtri, vel ne ſumus quidem, ſed eſſe poſſumus, Ὁ μὲν Πέτρος] μηδέπω γενόμενος ποιμὴν, πεμφθεὶς εἰς ψυχὰς, μηδέπω τὴν ἀρχὴν ἐγχειρισθεὶς, τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἄρχοντι καὶ μοναρχίαν ἐφυλάττειν, ὑπὲρ τῆς ὅλης ἀπάντες φιλοσοφῶμεν. Atque aut hoc ſatis eſt lucis, ad Andabatam profligandam, aut ego neſcio quid ſit ſatis.

Vbi dixi.

Edit. D Hen. Savilij.

Iam quòd pergit & quærit Eudæmon-Iohannes, ſi vinex cuſtodia Leoni commiſſa eſt, *vbi tandem, aut quando, niſi in Petro?* quidni potiùs cum ad Romanum Epiſcopatum aſſumptus eſt, omnium Eccleſiarum ei commiſſam curam arbitremur? Nec ſingulari eâ ratione, quæ iſtis perplacet, quòd omnibus Eccleſijs Romana dominetur, ſed vel officij lege quadam, vt iam docuimus, vel amoris certè ſaltem ac charitatis, quâ non poteſt non omni parti Eccleſiæ Chriſti benè velle, qui cum vnâ aliquâ eius parte ſe ſpecialiùs coniunxit fœderamitq; . Petrus certè ſi Eccleſiam vniuerſalem obtinebat, quod nos Apoſtolorum nulli

negarimus, in omnes enim gentes emissi sunt, non tamen magis quàm alij, vt nescio quid prærogatiuæ ad posteros transmitteret. Qui etiam solus ex omnibus, si animaduertimus, Apostolis, curâ gregis sui, qualis post mortem futurus sit, tangitur, quod non temerè faceret, si tam præclarè quàm isti somniant, successioni consultum foret, vt nullâ hominum quorumcunque prauitate violaretur. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *Super omnes Apostolos ex æquo solidata fuit Ecclesiæ fortitudo.* Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 3. *Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Atque ibidem, *Hoc vtique erant & cæteri quod Petrus, pari consortio præditi, & HONORIS & POTESTATIS.* Quo dicto iugulat Papistarum distinctionem, quâ se tueri solent, de *eminentiâ ordinis & potestatis.* Quasi altera communis esset & Apostolorum omnium, altera S. Petri propria. Eadem sententia est Ambrosij de Dignitate Sacerdotali, c. 2. *Quem gregem non Petrus solùm, sed nos omnes cum eo pascendum accepimus.* Eadem Augustini de agone Christiano, c. 30. *Quando dixit Petro, omnibus dixit, Pasce oues meas,* quæ vobis tamen vniuersalis cõmissio videtur. Vniuersalis igitur omnibus assignata est. Adeò deniq; inter scriptores hæc inualuit sententia, vt Cardinalis ipse Cusanus de cõcordantiâ Catholicâ, l. 2. c. 13. in eandem pedibus ipse concedat. *Omnes Episcopi sunt æquales quoad iurisdictionem,* quod Cardinalis Bellarminus præcisè negauerat, l. 4. de Rom. Pont. c. 24. *ea gratia fratrum est.* Sed addit etiam: *Itaq; Papatus de iure positiuo est.* Illi verò ne esse quidẽ, quàm sic esse, malunt. Quid cætera vulgaria, quæ iste tamen non omittit, & Papatum suum magnâ vi crepat, quòd *caput* eum ibidem vocant *suum*? Quasi omnis præsidentia, omnisq; superioritas, (& præsidebat vt fateor huic Concilio tum Leo per legatos suos,) eo honestari vocabulo non soleat. Sed soluisne Leo *caput Concilij?* Cyrillus in Ephesino perantiquo Concilio, *Caput Episcoporum* congregatorum

2 Pet. 1. 15.

Titulo, *Episcopos omnes a Papa iurisdictionem accipere.*

ibi

ibi dictus eſt, vt agnoſcas familiarem præſidentium titulum. Nec à Patribus ita dictus, eum per literas alloquentibus, & in os quàm blandiſſimè influentibus, vt hic Leo, ſed ad Theodoſium & Valentinianum de eo ſcribentibus, ac rem fortè Cyrillo ignotam agentibus, quod maximum teſtimonium eſt. Illa verò iam exilia, & extremæ deſperationis quæſita refugia, *Benevolentiam præferens ſicut caput præeras.* Quæ mentiar niſi ſuperioribus vim omnem adimant, tantum abeſt vt nouâ aliquâ dote cauſam locupletent. *Sicut* caput, & *Benevolentiam* præferens, & *præeras*, i. enim præſidebas eo tempore. *Quid dignum tanto? Benevolentiâ* nimirum caput fuit, & *charitate*, & *induſtriâ*, nos autem de *authoritate*, eàq; vniuerſali quærimus, in omnes Eccleſias, denique etiam *diuinitùs attributâ*. Nam quòd aiunt, *vt nos bonis adiecimus conſonantiam, ita tu quæ deſunt explere velis*, partiuntur operas, vel reciprocum poſtulant, nihil ei, quod intelligo, ſingulare adiudicant. Vt ſit illud Epicharmi, χεῖρ χεῖρα νίζει, vel quod ait Apoſtolus, Ne dicat caput, *Non eſt opus mihi vobis*, nec *pedibus* quidem, infimiſue membris, nedum tantis, tamque conſpicuis, &, quamquam vos Concilium præ Papâ abijcitis, tam illuſtri ſuâ operâ in Synodo refulgentibus. Niſi illa nos perturbant, *nos filij tui*, ergo *tu œcumenicus noſter pater es*, vel patriarcha potius. Quaſi quiſquam vir pius, ad tantò ſe maiorem, vel natu, vel ingenio, vel ſanctitate, ſcribens, adde etiam de loco, quem S. Leo tum tenuit, vel *præſidentis* in Concilio, vel non infimi in Eccleſiâ Chriſtianâ *Patriarchæ*, atque adeo ab *ordine*, quod nos fatemur planè *primi*, quaſi quiſquam inquam ſcribens ad tam illuſtrem Antiſtitem, non ſe eius *filium* ſcripturus fuiſſet, in illum autem *patris* libentèr nomen collaturus. Quod autem ſinguli, quidni ſemel vniuerſi? Neque tamen Pontificatus tuus ſtatim hinc erigitur, pro quo tu depugnas, quem evictum is, qui ſi aliquis eſſet, & niſi meram hallucinationem recentis æui ſaperet, (*res iuris poſtimi*, vt Cuſanus tuus modò) non ex neſcio quibus miſſi-

libus literis erueretur, ſed clariſſimæ confeſſionis monumentis ſe muniret ad æternitatem. In eo verò caſtigandus es, & à Ieſuitis tuis, in quo tibi maximè ipſe plaudis. *Synodus tota generalis* (inquis) *Leonem caput & patrem agnoſcunt*, cum de Synodi literis ad Leonem loquare. Quaſi concilium iam conciliũ eſſet, ſi à Pontifice diſtrahatur, aut Eccleſię Comitia integritatem ſuam tueri poſſent, capite avulſo. Hæccine tu ſic texeres, Pontificem ſubleuans, niſi prorſùs inſanires? At & *ſententia per legatos pronuntiata atque approbata* idem indicat. Quid tandem? Pontificium-ne primatum, pro quo tu decertas? Annuis ſcio; ſed videamus. *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo per nos, & præſentem ſanctam Synodum, vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno B. Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt Catholicæ fidei fundamentum, nudauit eum* (Dioſcorum) *tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio.* Et addit ouans; *Hic certè non Apoſtoli modò ſedes & poteſtas ſed ſcripturæ etiam locus vnde ea colligitur, apertè poſitus eſt.* Quin diſcrimen animaduerte. Ego parùm hic perſpicio quod tibi proſit, multa video quæ te offendant, quod nos lædat planè nihil. Cur *Romæ Archiepiſcopus*, non *Pontifex maximus*, inſignitur hic Leo? Parumne particularem ei agnoſcunt eſſe diœceſim ſuam, nec in immenſa exeuntem, ſed certis ſpacijs debitiſq; circumſcriptam, ſi à *præſidentia* in Concilio remoueatur? Cur autem *ſenioris Romæ* mentio? Niſi vt noua Conſtantinopolitana tum exoriens intelligatur, paribus per omnia priuilegijs ganiſura. Quid verò etiam illud, *per præſentem ſanctam ſynodum* exauctorari Dioſcorum? Non ergo à Pontifice fulmen illud vibrabatur (quod nunc ſuis manibus torquet impotens, & ſagittas prunaſq; Sophi dicto commiſcet) niſi Eccleſiæ legitimæ conſenſus accederet, vt ſufficiens eſſet ὑπὸ τῶν πλειόνων, alioqui nulla. Quid inquam, niſi Synodus his verbis exauctorat, & Dioſcorũ deſpoliat?

Ex paral. pag 135.

Leo

Leo enim non niſi vicem Concilij ſungitur. *Leo* (inquiunt legati) *per ſynodum priuat.* Et tamen pro Leonis hæc *œcumeniâ* iactantur. Quàm ſtolidè? Denique quòd S. Petrus *Eccleſia crepido*, & *petra eſſe* dicitur, dicuntur pariter omnes Apoſtoli, Apoc. 20. Quanquam illud *Tu es Petrus*, & *ſuper hanc petram*, &c. quia ad locum Scripturæ alluſum eſſe vult Eudæmon-Iohannes, in quo Pontificia hæc authoritas inſtituta ſit, oſtendimus iam antè, ex concilij huius ſententiâ verba illa & in Imperatore Chriſtiano completa eſſe, *Tu es Petrus*, & *ſuper hanc petram*, &c. cum eccleſiæ ſuæ prouidens deus optimus, maximus, orthodoxum Imperatorem *auguſta Imperij veſte circumdedit.* Quòd niſi honeſtare quocunque modo cenſuram ſuam Chalcedonenſes, addito beatiſſimi Apoſtoli nomine, non autem robur aliquod aut authoritatem ab eo mutuari voluiſſent, dicant mihi vnde factum ſit, vt deinceps non Petri ſolùm, ſed etiam Pauli nomen, in forma excommunicationis adhiberi ſolitum ſit, cum Paulo nihil debeat Romanus Pontifex, neque ab eo quid colore vllo deriuet.

Pontifices excommunicant ex auctoritate Dei, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſibi deuinctis communicata. Bellar. adu. Barcl. pag. 155. edit. Colon.

Quod attinet ad Concilij allocutionem ad Martianum, næ illa magnis teſtimonijs aduerſus vos abundat: ſed partim antè libauimus, partim vel hoc ipſum quod tu adducis eodèm facit. Volunt enim *non refrenari* ſolùm *malitiosa malignorum*, per Martianum Imperatorem, ſed etiam *Concilium ab eo congregatum eſſe* confitentur, ac poſtremò ab eo requirunt, vt fidei prædicationem in Concilio illo factam, *Petri ſedis auctoritate corroboret.* Quo nihil Pontificijs partibus dici poterat aduerſius, quàm Apoſtolicam confirmationem fidei Chriſtianæ ab Imperatore expeti, quaſi non Cæſarea ſolùm ſacra, ſed etiam *annulus piſcatoris* in Martiani ſcrinijs aſſeruari ſolitus eſſet, id eſt, Imperator & ipſe *ſacrorum arbiter* foret.

PORRÒ *fraudem atque inſeitiam* obiecit Epiſcopo, homo virginali verecundiâ præditus, & præclarè memor ca-

CAP. 21. prætal. p. 136. & 137.

Can. Apoſt. 15.

nonis, κελεύειν μὴ ὑβρίσαι τὸν ἐπίσκοπον, dum Canones ipſe vltrò citròq; ventilat, Epiſcopum inquam poſtulat, quòd in Can. 28. huius Concilij allegando, quo Patres *primilegia ſe tribuere* dicunt *Romæ, quòd vrbs illa vrbs eſſet imperij*, confundat quæſtiones de Pontificatu abſolutè, *an talis aliquis à Chriſto inſtitutus ſit in Eccleſia*, cum alterâ quæſtione, *qui factum vt Pontificatus ille, cum Romana Eccleſia procuratione in ſpeciali, coniungeretur*. Epiſcopus verò nihil dixit eo loco de Pontificatu, quatenus *volitat vniuersè, & abſolutam neſcio cuius iuriſdictionem importat*, vt quam & parùm prodeſſe veſtris partibus ſenſit, & alibi ex ſacris literis ipſe abundè refellerat, ſed *Romana ſedis* negat *fundatũ apertiſſimè primatum in ſacris literis*, id quod Torto exciderat; quippe cuius originem Chalcedonenſes (inquit) Patres nos diſertè edocent, cum in *Patrum* factum, *imperij ſedem honeſtantium*, cauſam illius rei omnem reijciunt. Tu autem qui quæſtiones tam ſubtiliter diſcernis, ecquid tandem à contradictione teipſum expedis? Diſputaturus de ratione, quâ factum vt Petrus Romæ conſederit, ibiq; Apoſtolatus domicilium collocârit, *Non dubium quidem eſt* (inquis) *quin id totum ex facto hominum pendeat, cum liberum fuiſſet Petro ſedem alibi figere*, & tamen eodem ſpiritu, intra perpaucas ſyllabas, ad *diuinam reuelationem* reuocari, à Marcello illo veſtro, non diſſimulas. Niſi aut Marcelli hiſtoria tibi nugæ ſint, & non modò Turrianum cum lucubrationibus ſuis explodas, ſed & *Marcelli nepotis* cauſam acturus, nihil ne *nomini* quidem deferas, aut diuinæ hortationi liberum fuiſſe putes S. Petro non obedire, vt non hominibus ſolùm, ſed deo, ſuperiorem Papam fingas.

pag. 137.

Quòd niſi ad alia auocarer, nec inſtitutæ breuitatis meæ ratio me pateretur, quàm copiosè refellerem commentum illud diſtinctionis, de Pontificatu *abſolutè*; & *coniuncto cum regimine totius Eccleſiæ*, per factum B. Petri ibi occumbentis? Primò enim cur Eccleſiæ vniuerſæ Pontifex, non immunis potius eſſet particularis cuiuſq; curæ, quàm Ro-

1

manam

manam prouinciam cum totâ insuper moderaretur Ecclesiâ? Sicut materiam aiunt Philosophi, quæ omnium formarum impressionumq; sit capax, suâ ac priuatâ carere oportere. Et sensum, qui hæc aut illa discernat, minimum quasi commercium habiturum esse putant, cum obiectis ijs, quibus percipiendis sit naturâ destinatus. Ita enim nec siniſtrè propensus erit in partes, omniaq; pari quadam benevolentiâ complectetur, & distractiones effugiet, easq; molestias, quæ non rarò ex peculiari suâ diœcesi redundant, quibus nihil est *vniuersali* gubernatori infestius. Concilia certè non fauent huic coniunctioni Pontificatûs cum speciali Ecclesiâ. Eò magis memorandum, quia iam de Concilijs sermo est. Concilium Nicænum can. 8. vetans *ne plures vno Episcopi sint in vna ciuitate.* Aut ergò cæteri non sunt Episcopi, aut vbi Pontifex vester .i. *Episcopus generalis*? Adde & Chalcedonense, in quo nunc versamur, aliàs ἀπαλλοιώσας χειροτονίας damnans, & ad εἰδικὸν τόπον ἢ κώμας restringens, quod à κοσμικῇ abhorret, alias præcipiens ne vnus quiuis Clericus in duabus vrbibus scribatur, cùm vos tamen ad *vrbem*, etiam *orbem* adieceritis, œcumenicum scil. Pontificatum ad Ecclesiam Romanam. Cur autem quòd animam ibi efflârit S. Petrus, id Romanæ ciuitati honorificum esse debeat, potius quàm quòd vitæ reliquum exegerit? An fortè *testamenti* iure possident, quod non ferè scribitur nisi *à morientibus*? Quanquam potuit & *moriens* legare diſiunctis, nec sine causâ forsitan id facturus Antiochenis suis, *primò dilectis*. Nam Romę quidem omnia iam tyrannis oppressérat, ita vt ipsi illic per vim oppetendum fuerit, nec de reliquo quicquam erat, quod ad spem futuri temporis magnoperè inuitaret. Tum cætera in Actis descripta habemus, quæcunq; historiam continent nascentis Ecclesiæ, quatenus vsus noster postulare videbatur. Cur quod omnium summum est, scituq; maximè necessarium, si quid tale foret, id nullo vspiam proditum extat apiculo, morte scilicet Petri Romam Apostolatus ho-

2

Can. 6.

Can. 10. & 20.

3

4

norem

norem consecutam, à cuius authoritate reliquæ deinceps pendeant Ecclesiæ? Tantane res tam ambiguâ traditione credenda erat, & nusquam sacris literis comprehensa, cui reliqua omnis doctrina de Pontificatu Romano, id est de nervo rei Christianæ, vt quidem putatur, inniteretur?

5 Cumq; Christus ipse seruator, de *morte* Petri tam perspicuè apud Iohannem pronuntiet, ac de *genere etiam mortis* Iohan. 21. non obscurè disserat, quod non admodùm attinebat, cur nihil *de loco*, si quidem tanti *locus?* An Roma illa erat quò *invitus ducendus esset*, vt perhibet Seruator? Modò quidem eò *duci* eum à vobis videmus, vel potius *raptari*. Sed an hæc fuit illa *vis*, quam Christus Petro denuntiat, cum iam *semisset?* i. credo cum res Christiana *per aliquot sæcula inveteraſſet*, vt sciamus Papatum à primitiuâ alienum, in re-

6 centioris potius Ecclesiæ tempora recidere. Quòd si vt sedem S. Petrus quamq; contingeret, ita statim in eam intulit Pontificatûs plenitudinem, cur nullum quasi trophæum Antiochiæ erexit? Cur illa tam abiecta iam, ac si Petrum Apostolum, i. pignus quoddam æternitatis suæ, nun-

7 quam gremio complexa fuisset? Audiui etiam aliquandò eos qui ita argumentarentur, nec Antiochiam nec Romam opportunissimas esse sedes, ad commercia omnium gentium excipienda, vt illic præ cæteris locis sessitare eligeret is, cui tota per orbem commissa esset Ecclesia. Neque enim sic comparatas esse ad mundi meditullium. Quan-

Aiax & Achilles. quam Duces illi Græciæ, non medium, sed extremum locum, classe tuebantur, vt est apud Homerum. In eo verò

3 ante omnia caligat mihi, fateor, acies, quòd non video, quomodo vobis illa loca seruiant, quibus ad hodiernã sedem vestram decorandam abutimini, quoties fortè quid de Romã honorificentius insonuit, cùm confiteatur Bellarminus, Pontificem transferre posse sedem suam Romã, & aliò iam si velit migrare. Quod etiam ijs consentaneum est, quæ de Petro scribis ipse, non *nutu divino*, sed *suo arbitratu*, sedem Romæ figente. Vt appareat successores eius

non

non esse affixos *ad locum*. Sed hæc, vt dixi, persequi non licet. Ac subuertit se iterum ipse, & solens cespitat hoc quoque loco *Cret.* Nam cùm verba Concilij huius, Can. 28. *Romam à Patribus honoratam*, ita exponat, vt honorem illum non Pontificatum absolutè respicere, sed coniunctionem eius cum Romanâ sede velit, quam coniunctionem idem ipse humanæ libertatis, non diuini iuris esse dixerat, interpretatur tamen *Patres, seriem omnium temporum sanctorumq; illorum fuisse, qui à Christi temporibus immediatè repetiti, Apostolos quoque ipsos comprehendant.* Quasi, si Christus & Apostoli, omnesq; adeò *Ecclesiæ maiores*, (vt ipse loquitur) etiam antiquissimi, Ecclesiasticum primatum cum Pontificatu Romanæ sedis coniungerent, id in *ius humanum* referri possit, aut in *factum arbitrarium S. Petri*; vel si *arbitrarium hoc est humanumq; factum*, vt fatetur, in Apostolorum decretis numerari rectè queat. Viderit vtrum eligat. Vtrumq; certè stare non potest.

Quanquam non concedo ei omninò, vt *patres* hoc loco sint & *ipsi Apostoli*, etsi iuuat me audire hanc eius expositionem. Quam vtinam sequerentur, cum ex *Patrum iudicio*, relligionis controuersias determinandas vociferantur. Nisi ne Apostolis quidem parcere voluisse illum existimemus qui ita scribit, *Patres aliquando monstrum pariunt.* Tam præclarè confidunt vel recentioribus ipsis *Patribus*, cum ad eorum stateram causa exigitur, & traditionum trutina popularis contemnitur. Sed vt æqui dicere, nego tibi interemptoriè, Chalcedonenses hosce Patres, quorum meminit Concilium, intelligi Apostolos. Nec tu id excogitasses, nec sic dici tulisses, aut verò sentiri, nisi desperatione adactus, aliter respondere R. Episcopi argumento nequiuisses. Nunc illum reprehendis exagitasq; ceu aberrantem, de quo ipse errore fustuarium promeritus es. Quis enim vnquam cum synodicè loqueretur pater, Patrum nomine intellexit Apostolos? Quis non ecclesiæ Maiores, suo quemque sæculo, & tamen à primis illis distinctos? Qui canon, quod

M. Canus in locis.

Concilium, quæ authoritas Eccleſiæ, verbum illud hoc ſenſu interpretatur? Revoluat Andreas, & aliquid monſtret, aliquid ſaltem, vnde ſenſum commentitium tueatur ſuum, ſolàq; neceſſitate ſibi expreſſum. Ille locum nullum nominat; quæ mihi ad manum occurrunt, hæc ſunt pauca ex multis. Conſtantinopol. Concil. primum Can. 2. καλὰ τὰς κρατήσασας συνήθειας τῶν πατέρων. Loquitur de Eccleſijs Chriſtianis inter barbaros. Quod nunquam ab Apoſtolis decretum manauit. Atq; dixerat paulò antè, καλὰ τὰ ἐν τοῖς κανόσι ὡρισμένα, vt per *Patres*, intelligas *Synodicos Patres*. Concil. Antiochen. Can. vltimo, bis meminit τῶν πάλαι ſenſu noſtro. Concil. Chalcedon. in breui præfatione, ſiue Canonem primum dicas, quo omnia confirmantur priorum ſynodorum decreta Patrum, *Patres* non alio ſenſu quam noſtro accipit. Idem hoc Concilium Can. 5. de *Clericis aut Epiſcopis migrantibus è ciuitate in ciuitatem, vt teneantur Canonibus à Patribus editis*, quâ de re non credo vlli ab Apoſtolis promulgati ſunt. Imò clarè alludit ad Can. 42. Laodiceni Concilij, ſi Iuſtello credimus, & ſi qua alia Concilia idem fortè ſtatuerunt. Octauo Can. eiuſdem Concilij, παράδοσις eſt πάλαι ſenſu noſtro, vt clerici τῶν πλωχῶν, itemq; μοναστρίων & μαρτυρίων (quæ Apoſtolis ignota) *ſub poteſtate Epiſcopi in vnaquaque ciuitate permaneant*. Antiocheni etiam Concilij Can. 9. ἀρχαῖος πατέρων vocatur κανὼν, *ne quid maioris negotij Epiſcopi prouinciales ſine Metropolitano aggrediantur*, quod neſcio an ad Apoſtolos rectè retuleris. In Concilio certè Nicæno, rectà ſic habetur, can. 4. Eòq; potius álluſum fuiſſe crediderim. Concil. item Trullanum Can. 86. πάλαι θέσμον facit, vt ſiquidem dubitetur de baptiſmo infantis, & non adſint teſtes, χερσὶ προσκομιζέσθω baptizetur. Quod vbi Apoſtoli? Et Can. 88. eum qui relictâ vxore cum aliâ contrahit, προσκαλεῖσθαι, ὑπομένειν, ὑπομένειν, &c. κεκανονίσθαι παρὰ τῶν ἁγίων πάλαι. Nec tamen ab Apoſtolis. Nedum γέγονε μὲν πάλαι τοῖς κυρικοῖς, quod πάλαι eſſe dicitur, eorumq;

θεσμο-

θεσμόν, eiuſdem Concilij Can. 91. Illi verò ſine dubio ad Niceni Concilij canonem vltimum reſpexerunt. Nec omittendum de Sardicenſi, cap. 11. vbi Patrum inſtitutum fuiſſe dicitur, quod *de Laico per tres dominicas ſe ab eccleſiâ continente, à communione pellendo*, nuſquam in Apoſtolicis opinor extat canonibus, ijs qui hodiè circumferuntur. Eſt tamen vtile ad obſeruandum, & frementibus vobis, cum alijſq; vt ſuprà docui Concilijs conſentiens. Quid nuſta? Epiſcopus ne *exaucloretur ſine legitimâ ſynodo*, decreturi Hiſpalenſes Concil. 2. Can. 6. *priſcos Patres* pro eâ ſententiâ allegant. Quod neſcio an ab Apoſtolis prodijſſe dicant ij, qui fallòr an iamdudum illud abrogârunt. Mitto cætera, ſpicilegio contentus. Neq; tamen hæc ſic diſputo, ac ſi ipſi Apoſtoli *Patres* non fuerint, ijque *Patres*, quorum illis imprimis ratio habenda erat, cum negant *tranſiliendos eſſe Patrum fines*. Sed tamen & *Apoſtolos* nonniſi illos comprehendimus, qui duodecim fuerunt, etſi Chriſtum quoque dominum, vt nihil dicam de alijs, *eodem nomine* ſcriptura inſigniat, Heb. 3. 1. Sic etiam fortè *Patres*. Ita in ſenſuum latitudine, ſpectanda eſt accommodatio ad præſens inſtitutum, videndumq; non *ex quo*, ſed *ad quid*, trahantur voces, vt ait Thomas. Verùm anguſtiæ & deſperatio, omnem ei regulam de memoriâ excuſſêre.

pag. 133. huius.

Quod adducit ex Leone, *Petrus Principi Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij*, quem tandem ferit? Nam principalem quodâ modo Petrum fuiſſe, nos non negamus, neque verò cum adverſarijs de eâ re hodiè contendimus; oſtendat principatum illum *authoritatis* fuiſſe, quod Patres negant, atq; & alij, & illi, quos paulò antè citauimus. Nos *ordinis* principatum Petro non negamus, vt *in vno vnitas*, vt ait ille, *dedicaretur*, ſchiſmaq; & confuſio evitarentur, necnon rectè & legitimè procederent omnia. Sed non eo opinor fine Leonem inducit, ac potius, vt *deſtinatum Romam ab Apoſtolis Petrum* cognoſcamus, atque ita *à patribus*, id eſt, ſcilicet *ab Apoſtolis*, ſedem Romanam præ cæ-

teris honestatam. Quanquam qui dicit, *destinatum Romam Petrum*, non dicit ab Apostolis destinatum fuisse, ac paulò antè ad *revelationem* hoc Marcellus retulerat, Eudæmon-Iohannes *ad arbitrium privatum*. *Mittere* nullo modo potuerunt Apostoli, nec verò *destinare* superiorem suum, nisi ipso facto ab authoritate excideret. Porrò qualis illa destinatio est, quæ primò Antiochiam, deinde Romam, quasi ipsa se corrigat, quasi secundò periclitetur, quod in mediocris sapientiæ decreta vix cadit, tantum abest vt *destinatio* hîc aliqua appareat. Sed Romam venerit Petrus; & quid tum? *Vt lux veritatis, qua in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per orbem diffunderet*, i. verbum euangelij luculentiùs coruscaret de arce Romanâ, quàm de nescio quâ inferioris prouinciæ valle. Concedamus hoc quoque. Nam loca sublimia conueniunt doctrinæ quaquà versùm spargendæ. In cuius rei typum, Seruator fortè montem non raro conscendit, cum prædicare vellet. Hodie Pontifex in plano habitet (& habitat ille quidem, si vera narrant, qui scandalum de *Septimontio* libenter propulsant) si nulla nisi prædicationis causâ subest, cur montem occuper. Sed vt *à capite se diffunderet lux veritatis, Petrus Romam venit*. Videsne igitur vt Roma tua *caput* fuerit, etiam ante Petri illuc aduentum? Scilicet quòd *Imperij caput* esset. Quæ ipsissima est sententia nostra. Alioqui, quocunque Petrus venisset, lux veritatis *se à capite diffudisset*. Nunc autem *eò venit, vt inde se lux tanquam à capite diffunderet*. Non ergò fecit *caput*, veniens, sed offendit. Adeò nihil est in Leonis hoc testimonio, nec *ad Rhombum*, nec *ad Romam* quidem, sensu tuo.

CAP. 32. VERÙM vt Patres Concilij doceat aduersarius, *non respexisse ad Nicænos Canones*, quasi aliquid illi novum Romæ largiti essent, ostendere vult Canonem ipsum Nicænum, qui sextus, ni fallor, à Chalcedonensibus citatur, nihil novæ gratiæ erga sedem illam complecti, neque Romæ quid

adiudicas-

adiudicasse, quod antè non habuerit. Quomodò verò? Sic enim (inquit) legitur, *Antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, vt Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc consuetudo est. Consuetudinis* ergò vult esse prærogatiuas Romanas, *non Nicæna sanctionis*. Vbi primò, quid si dicam à Patribus eas concedi, post Apostolos, potuisse, etiamsi ante Nicænum Concilium inualescerent? Patres enim concedere, & sine Concilio potuerunt, neque omnia, quæ iam obtinent, à Synodis profluxisse necessariò credendum est. Vnde fit, vt Chalcedonenses verè dicere potuerint, *Patres tribuisse priuilegia illa Romæ*, etiamsi Patres Nicænos non intellexerint. Atque Episcopus quidem Elienfis, Nicænos Patres nec semel nominat, fortè etiam nec somniat, tantummodò autem à Patribus vniuersè deriuat. In quo Chalcedonenses ei totidem verbis præiuerunt. Porrò quicunq; demùm fuerint, qui feruntur ibi Patres, ratione eâ ductos illos fuisse constat, Romam cur honorarent, non quam venditant Pontificij, quòd Petrus ibi consederit, sed quòd *vrbs illa domina* esset, omniumq; princeps; διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην. Quæ postea cum Constantinopoli prærogatiua communicata est. Neque tamen abnuerim, & de Nicænis sensisse R. Episcopum, nec tuæ ratiunculæ illæ in contrarium me mouent. *Consuetudinem* (inquis) *allegant, ergò non ipsi tribuunt*. Non sequitur bone vir. Quæ enim antea consuetudine solâ nitebantur, ea deinceps Concilium sanxisse videtur, vt non more solùm, sed lege insuper, iam rata forent. Nonne verò consuetudinem illam tacitè laudant? nonne & tenendam & imitandam etiam diserte edicunt? Volunt enim, ad similitudinem Romanæ metationis, Alexandrini quoque Episcopi fines se habere. Quòd si nihil Romano Episcopo tribuit Synodus, nihil ne Alexandrino quidem consequenter tributũ est, nihil Antiocheno, quorum ditionem metiuntur, ex eâ quadam formâ, quæ eatenus in Ecclesiâ Romanâ viguerat, honestumq; illis videtur, vt por-

rò vigeat. Vnde ergò, quod ait Leo, *primilegia Patriarchalia, venerabilis Nicæna Synodi fixa decretis?* Epistola 54. ad Martianum Augustum. In quâ opinione non solus Leo versatur, vt posteà ostendam. Quod nisi hæc sic Synodus confirmare voluit, & nisi eo quodam fine de Romanis finibus meminisset, vt sanctiores approbatioresq; eos calculo suo faceret, fuit ei in manu abolere consuetudinem illam, & contrario quodam decreto suo, pro authoritate, perimere. Potuit inquam Nicæna Synodus prouincias aliter describere, quàm ad eum diem se habebant, nisi maluisset roborare consuetudinem iam receptam. Ruffinus quidem disertè, Nicænos Patres Romano Pontifici fines præstituisse illo Canone suo, apud quem etiam sic legitur lib. 1. hist. c. 6. *Vetusta consuetudo seruetur, vt hic* .i. Episcopus Romanus, *suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Erant igitur hæ Ecclesiæ administrandæ Romano, ex vi huius Canonis. Eodemq; recidit Arabica translatio Can. 8. *Similiter Episcopus Romæ* .i. *successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium ciuitatum ac locorum, quæ sunt circa eum.* Consentit & Cusanus, Concord. Cathol. lib. 2. c. 12. Patet idem ex eo loco, quem aduersarius noster adducit, haud ita multò pòst, ex Act. 16. Chalcedonensis Concilij. *Ex his perpendamus omnem primatum, & honorem præcipuum, secundum Canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conseruari. Secundum Canones* inquiunt. Quos autem Canones, nisi Nicænos, & Constantinopolitanos, qui paulò antè lecti actione illâ fuerunt? Lectos enim, & quidem solos, nec Baronius diffitetur, ad annum Domini 325. Nec absurdè quis existimet, in Novellâ 109 apud Iulianum Antecessorem eodèm allusum esse, cum ita decernitur, *Archiepiscopus Iustineanea primæ, eadem iura super Episcopos sibi subiectos habeat, quæ Papa Romanus habet super Episcopos sibi suppositos.* Postremò, vnde opinio illa tam penitùs insita, tam vulgò recepta, Patriarchas institutos fuisse in Synodo Nicænâ, nisi hoc ipso Canone fines sedium describantur, atque inter alias ipsius

etiam

etiam Romanæ? Videatur S. Leo epistolâ 53 ad Anatolium, & epistolâ 54 ad Martianum, de quâ ante. Quanquam meminit & Hincmarus, epist. 6. c. 4. & epist. 9. c. 22. *specialis diœceseos Patriarcha Romani.* Nam Græcos nunc omitto, Zonaram, Balsamonem, Barlaamum, Nilum, qui omnes putant limites præscriptos fuisse Romano Pontifici in Concilio Nicæno. Quid multa? Non immeritò vt Æneas Sylvius scriptum reliquerit, *ante Concilium Nicænum parvum respectum habitum fuisse ad Romanam Ecclesiam.*

Arguis secundò ex Canone Constantinopolitani Concilij quodam, *si tamen* (inquis) *eiusmodi fuit vnquam Canon.* Vt appareat ad quantas difficultates redactus sis, qui ex ijs locis argumentere, quæ ne tuo quidem iudicio exploratè sunt vlla. Poteramus itaque hoc, quicquid est, meritò contemnere, sed satisfacianus tamen etiam sic. *Suffragatur* (inquis) *Canon Constantinopolitani Concilij primi, qui eadem actione Chalcedonensi recitatus est, in quo cum fiat mentio Canonis Nicæni, & Alexandrino atque Antiocheno Patriarchæ fines præscribantur, Romano tamen nulli, tantùm autem statuitur, vt secundum post eum locum habeat Constantinopolitanus. Ergò nihil Romano contulere Nicæni.* Responsio in promptu est: Non erat opus *in specie* limitum meminisse Romanæ Ecclesiæ, quos Synodus Nicæna satis disertè præfinierat. *In genere* autem Episcopos omnes monitos volebant, vt contenti suis terminis, ne inuaderent alienos, neque Ecclesias confunderent, quam legem sine dubio, & Romano Episcopo poni voluerunt, vtcunq; ab eo hodiè strenuè spernatur. Porrò Romanus Episcopus, nec per se, nec per legatos suos, huic Concilio interfuit. Quò certè minus de absente pronuntiare placuit, aut rationes ejus finesue odiosius excutere. Nicæna tamen vt dixi Synodus, eos iamdudum sic pepigerat, vt *nullâ* (sicut ait Leo) *possint improbitate conuelli*, debeant certè. Atque hæc quidem de hoc Canone, *si quis tamen is vnquam fuit*, vt tuis verbis vtar.

Postremò, quòd sic affirmas, Patres Chalcedonenses

Nicæ-

Nicænum illum Canonem ſic ibidem recitare, quòd *Romana Eccleſia ſemper habuit primatum*, itemq; iudices reſpondere, *omnem ſe primatum & honorem præcipuum Romano conſeruare*, nullius ſunt momenti, niſi & primatum illum *poteſtatis*, non *ordinis*, eſſe doceas, quod quomodò quæſo cohæreat, cum ijs quę ex Ruffino paulò antè protulimus, apud quem Nicænus Canon procurationem Pontificis ad *ſuburbicarias Eccleſias*, apertiſſimè reſtringit, tam certè quàm Alexandrinus ad ſuos fines alligatur; & *omnem honorem omnemq; primatum, generis naturaq;* eſſe demonſtres, non *gradus* vt loquuntur, vel *integritatis* cuiuſdam, vt cum omnem fidem poſuit Apoſtolus pro feruentiſſimâ fide, vt quidam exponunt, vel pro certâ fidei ſpecie, vt interpretatur Oecumenius; quo nihil eſt in Græcæ linguæ ratione pervulgatius.

πᾶσαν πίστιν. 1. Cor. 13.

CAP. 33. Paral. p. 141.

ALTER angit ſcrupulus ex hoc eodem Concilio, περὶ τῶν ἴσων πρεσβείων, de quo paucis. Non ſanè quòd haud placeat, vt Neoptolemo illi apud Ennium, ſed vel vt tædio occurram, vel, ſi fortè opus ſit, vt ſemper novus veniam. Non arridet ei ſcilicet, quòd Epiſcopus *renouationem* Conſtantinopolitani canonis neget fuiſſe vllam, inter Chalcedonenſes. Non debebat talibus minutijs grauioris diſputationis curſus impediri, cum nonnullo etiam periculo cauſæ primariæ è manibus amittendæ: ſed tamen nec *renouationis* verbo Patres vtuntur, & alijs *explicatio*, alijs *additio* potius videri ſolet. Confirmationem quidem nemo negat, verùm *Tortis* nihil ſatis eſt niſi *renouatio* appelletur. Quo quidem verbo eſt cùm Patres vti poſſe ſe doceant, vt Concil. Trull. c. 36. vbi eundem hunc Canonem, & quatenus à Conſtantinopolitanis, & quatenus à Chalcedonenſibus, robur aliquod traxit, *renouare* ſe perſpicuis verbis dicunt, non omiſſuri fortè hoc loco eandem vocem, ſi idem voluiſſent. Nec *ſequi decreta*, nec verò *ideas ſtatuere*, eam ſemper vim habent, vt cum *renouatione* concidant: etſi iſte

vere-

verecundus, Episcopum, vel *stuporis* vel *mendacij* conuictum, hoc argumento, vult. Ego verò Episcopum suspicere satis nequeo de laude styli, de cautione, de solertiâ, quâ vbiq; incedit, tantum abest vt in eius defensione nunc laborem. Sed excellens artificium, & acumen, & sagacitas haud vulgaris, scriptoris pensiculatissimi, *muscipula* huic misero, *laqueusq;* fuerunt. Non negat *renouare*, etsi *tantùm renouare*; illud negat disertè, *eos dicere se renouare*, quòd Tortus affirmârat, quod etiam cum non dicant, propensius est ad credendum ne renouare quidem. Bellarminus certè *directò*, antequàm in *Tortum* degenerâsset, de Romano Pontifice, l. 2. c. 18. *additionem* vocat ad Constantinopolitanum canonem. *Renouare* autem & *addere* siue amplificare, non parùm differunt. In summâ, qui Episcopum cum rabulâ hîc contulerint, tam istum væcordem tardumq; sentient, quàm loquendi illum pariter ac iudicandi accuratum.

Solùm dicunt se renouare, Paral. ex Torto, p. 145.

Vnde est etiam, quòd eum oneret *repetito mendacio*, (mihi manus intereà tremere, dum talem virum, tam virulentèr impetitum scribere cogor) quòd neget *Patres Chalcedonenses alijs terminis rem exponere, quàm quibus in Constantinopolitano exposita est.* Cum tamen clara ibi mentio fit, τῶν ἴσων πρεσβείων, *parium priuilegiorum, paritatis* aut *æqualitatis* in Constantinopolitano nulla. Geminâ elegantiâ referta sunt cætera: placetne ad controversiæ caput venire?

Ex Canone 28. Concilij Chalcedonensis evinci dicimus, Constãtinopolitano Episcopo paria priuilegia tributa fuisse atque Romano, hasq; sedes priuilegijs inter se exæquari, etsi *ordinis* primatus permaneat in Romanâ. Hoc primùm ex canone ipso patet, vbi duæ istæ sedes inter se conferuntur, non cum sedibus *inferioribus*, vt gannit Tortus, & post eum Eudæmon-Iohannes. Apparet secundò ex ratione canonis. Ideò enim exæquantur inter se priuilegijs, in negotijs Ecclesiasticis, quòd in negotijs etiam ciuilibus, vt Imperio & Senatu, Romæ Constantinopolis

æqualis facta esset. Tertiò ex Sozomeno idem liquet, l. 7. Hist. c. 9. vbi vtraq; inter se componit, eosdemq; honores, eadem iura, atque insignia, Constantinopoli, cum Româ, communicata fuisse narrat, quoad statum ciuilem, nec minùs inde quoad Ecclesiasticum paria omnia. In Synopsi etiam Basilicôn, lib. 54. de Ciuit. & earum priuilegijs, sic legimus: Constantinopolis non solùm Italiæ, sed ipsius etiam Romæ priuilegijs (προνομίοις) fruitor. Hinc sic Patres colligunt: Cum Constantinopolis ijsdem per omnia priuilegijs cum Româ gaudeat, in ciuilibus negotijs, non iniquum videri, vt & in rebus Ecclesiasticis, non secùs ac illa magnificetur. Imò, *id tantùm* (inquis) *volunt*; *Doceri nos maiorum nostrorum exemplo, qui vrbem rerum dominam delegerunt, in quâ summum Ecclesiæ Pontificatum collocarẽt, vrbes regias in Ecclesiasticis quoque rebus cæteris omnibus anteferre, ob eamq; rem, cùm Constantinopolis sedes Imperij facta sit, quantum quidem fas esset, cæteris sedibus anteponi oportere. Sed quia neque Petri sedes alia esse potest, quàm vbi ille sedisset, neque Petro non modò priorem, sed ne parem quidem in Ecclesiâ Christus admittit, reliquum esse, vt quemadmodum Petri sedes vniuersæ Ecclesiæ primatum obtinet, ita primas post eam sedem Constantinopolis ferat, & quam (quia iura diuina non ferunt) exæquare non potest, eam proximè consequatur. Quanquam ne imperandi quidem iure, vrbi Romæ Constantinopolis exæquata est, quæ ita facta est sedes Imperij, vt tamen non suo, sed Romanæ ciuitatis iure imperaret, &c.* Quæ ego verba tua hîc expressi, quò testatior esset posteris, vel vanitas tua ad risum, vel impudentia ad execrationem, sæculis omnibus. Quid enim illud primò, quod sic interpolas de tuo, *quantum quidem fas esset*, vt anteponeretur Constantinopolis cæteris sedibus? Cum in Concilio, nulla tam frigida legatur exceptio, nec illud, *quantum fas*, extet vspiam, verùm claro iure, iure inquam liquido & absoluto, Constantinopolis per omnia Romæ æquetur, solo huic, vt *antiquiori*, seruato *ordinis* honore, & ratio quoque afferatur, cur ita decer-

Paral. p. 143.

nen-

nendum sit, à *dignitate vrbis*, ea ipsa inquam ratio, quæ primò omnium in Romanâ ciuitate valuerat: etsi tu de Petri nescio quid sede hîc mussitas, quod tam alienum est ab hac causâ, vt sapientissimis patribus, bis iam diuersis temporibus, diuersisq; locis congregatis, semel Constantinopoli, iterum Chalcedone, post etiam tertiò in Trullo, nunquam ne καθ' ὕπαρ quidem in mentem venerit. An quod semel in animum tuum fortè immigrauit, vsque adeò mordicùs retinendum videtur, vt nec clarissimo contextu excutiatur aliquo? Nam quod ais nos doceri, *in rebus ecclesiasticis, regias vrbes cæteris anteponere*, fuit ea quidem praxis maiorum nostrorum, & præcipitur apertissimè in Concilio Trullano. can. 38. nec dubiè eò respexit S. Iohannes Chrysostomus, tom. 5. Hom. in Martyres Aegyptios, docetq; de humanâ hoc constitutione descendere, in quo tu *diuina tua iura* stultè crepas, ac nescio quem *summum Ecclesiæ Pontificatum* perabsurdè somnias, cum ibi *sedis cum sede* comparatio tantùm fiat, nemini autem *vniuersa* iurisdictio concedatur; & postremò, *Petri sedem* plus quàm Margaricè memoras, vbi nec vmbra mentionis huius apud Patres occurrit toto tractatu. Postremò perfestiuè, *Constantinopolis adeò non est exæquata* (inquis) *Romæ, vt Romana ciuitatis iure non suo imperaret.* Nisi risum captaris, in tam concinnis præstigijs tuis, nescio quid spectàris, hoc quidem loco. Constantinopolis non imperauit iure suo? Aut Romane tam fœcunda fuit imperiorum matrix, vt cum ipsa retineret, posset tamen etiam alijs imperium delegare? Quasi dicas & *Tanis*, & *Eugubio* (vt ait ille) mandare potuisse, quibus nihil obscurius. Constantinopolis certè splendorem Romæ æquauit, dignitatem, opes, magistratus, quid non? Vt tam multis, tamque insignibus vel præsidijs fulta, vel ornamentis redundans, suo deinceps iure non emendicato imperaret, quicquid tu rabis, contra & Patrum horum sententiam, & omnem historiam. Patres disertè, *nouam Romam esse*, (non delegatam imperij) τὴν δύναμιν ἔχουσαν, (non sic vi-

ἐκείνη μόνη ἐδόθη τὰ ἐκκλησιαστικὰ ὡς καὶ τὸν πάπαν τὸν ἐν Ῥώμῃ τὴν πρώτην χώραν ἔχειν, &c.

carij imperij) τῶν ἴσων ἀπολάυειν πρεσβίων, &c. paribus priuilegijs fruętem & florentem. Ita Sozomenus, ita ex lege perantiquâ, *Basilicôn* Synoptes, ante citati. Atq; ex Iuliano etiam Anteceſſore in memoriam reuocandum eſt, Archiepiſcopum *Iuſtinianeæ primæ, eadem iura ſuper Epiſcopos ſibi ſubiectos habuiſſe, quæ Papa Romanus habet ſuper Epiſcopos ſibi ſuppoſitos.* Multò vt proinde credibilius ſit eadem iura tributa fuiſſe Conſtantinopoli. Ex quibus liquet parificationem priuilegiorum vtriuſq; ſedis, Conſtantinopolitanæ & Romanæ, non *reſpectu inferiorum*, vt ineptè Tortus, ſed comparatione ipſarum duarum ad ſe inuicem habitâ, intelligendam eſſe. Quid tamen ille afferat, vtiq; ab Andreâ defendatur, videamus.

CAP. 34. 1

CONSTANTINOPOLITANI *Concilij Canon, ſecundum poſt Romanum facit Conſtantinopolitanum. Ergo æqualitas priuilegiorum, intelligenda eſt reſpectu inferiorum ſedium, non Romanæ & Conſtantinopolitanæ comparatarum inter ſe.* Reſp. Hoc μάλα vt in Græco eſt, vel *poſt* vt in Latino, quod non ſolùm in Conſtantinopolitano, ſed etiam in Chalcedonenſi habetur concilio, ad methodum *ordinis*, non ad amplitudinem *iuriſdictionis* accommodandum eſt. Prima in ordine Romana ſedes eſt, quod ſæpe iam diximus, πρεσβυτέραν hîc ῥώμην appellant Patres, quaſi dicas ſenioritatis ordine præſtantẽ, de poteſtate verò & iuriſdictione iam cõtrouertitur ſcilicet, quod ad rauim cũ ingemimus, iſti tamen non ſentiunt, quod niſi ſentiant, nihil ſentiunt.

At gloriaſiſſimi iudices, addito Ieiuũ, canone Conſtantinopolitano, ſtatim ità pronunciarunt, omnem primatum Romæ Archiepiſcopo ſecundum Canones conſeruamus. Quid tum? Ergo cùm *dicunt paulò poſt, eiſdem honoris primatibus dignandum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, in controuerſiam incurrunt, niſi reſpectu inferiorum interpretationem velint. Tum, quomodò omnis primatus, omnesq; honoris præcipuus Romano conſeruatur, ſi Romanus & Conſtantinopolitanus inter*

ſe

ſe exæquantur? Quicquid ergò Tortor oblatret, vincit Tertus, cum Achate ſuo Crete, Eudæmon-Iohanne. Omitto conuitium, & reſpondeo ad argumentum. Cùm Patres Chalcedonenſes ex Conſtantinopolitano canone colligunt, Epiſcopum Conſtantinopolitanum ijſdem honoris priuilegijs decorandum cum Epiſcopo Romano, ex ratione illà colligunt, quam Concilij Patres ibidem adhibent, quòd Conſtantinopolis eſſet noua Roma, neque ſolo Romæ nomine gauderet, ſed ſenatu, ordinibus, ac cæteris magiſtratibus, ſimiliter veteretur, inſuper autem & inſignia Romano ritu præferret, deniq; iuribus, & diſciplinâ propè eâdē, contineretur. Siç enim Sozomenus, loco iam dicto, diſertè explicat verba illa Canonis, *propterea quòd ipſa ſit noua Roma*. Repetunt ergò eandem hîc & ipſi rationem, vel nonnihil etiam dilatant, *τὴν βασιλεῦσαν καὶ συγκλήτου τιμᾶσθαι τύχην*, & quæ ſequuntur. In Conſtantinopolitano, tantùm *νέα ῥώμη* vocatur, nullo præterea argumento adiuncto. Sed ſumma eſt. In ciuilibus habuerunt æqualitatem priuilegiorum, id vndiq; apparet, ſeruato tamen Romæ *primatu ordinis*, & in *ciuilibus* inquam ſeruato. Sic ergò nunc Patres, *εὐλογεῖν κέλευσι, μεγαλύνεσθαι δὲ ἐκείνην*, magnificari vt illam, i. Conſtantinopolim ſicut Romam, etiam *ἐν ἐκκλησιαστικοῖς*, non abrogato tamen *ordinis* honore Romano.

Nec difficilior reſponſio ad pronunciata Iudicum, clarior etiam atque expeditior. *Omnis primatus Romanis conſeruandus eſt*, i. vt ipſi ſe explicant, *præcipuus omnis honor*. Primatus nihil hîc aliud eſt quàm honos quidam præcipuus, honos ordinis, interpretantibus ipſis Patribus, qui omnem primatum Romano adiudicant. Quæris adhuc quibus ſit? *Vt primo loco ſedeat, vt primus paſtor appelletur, vt ſententiam dicat primus*, vtq; in myſticis ſacroſanctæ liturgiæ precibus, *prima illius mentio fiat*, & ſi qua ſunt ſimilia, vt appoſitè Barlaam c. 9. Quid horum authoritatis eſt? quid iuriſdictionis illius quam vendicant, tam amplæ, tamq; pompaticæ? Repugnaret hoc non praxi ſolùm, ſed & verbis conſequentibus,

bus, *ijſdem primatibus honoris* afficiendam eſſe vtramq; ſedem, (verba ſunt Iudicum) ijſdem inquam vtramq;, vtq; in rebus Eccleſiaſticis, altera pari iure cum alterâ magnificetur, qui Canon eſt Patrum Chalced. 28. Imò, Canone 9, & c. 17. eiuſdem Concilij, plus penè quiddam tributum fuiſſe authoritatis videtur Conſtantinopolitano Epiſcopo, quàm ipſi Romano, vt Græci tui obſeruârunt. Sed tu, funge, nihil percipis; cuius omnis ſophiſticatio verſatur in puerili illo æquiuocationis elencho, circa primatum *ordinis*, & primatum *iuriſdictionis*, vt ſæpe iam meminimus. Nec verò paritas priuilegiorum *reſpectu inferiorum*, ita intelligenda eſt hiſce Patribus fuiſſe menti, ſi quis fortè reperiatur diſtinctione illâ vſus, quod non admodùm lego, vt excludat paritatem priuilegiorum ſedium ipſarum inter ſe. Licèt enim ambæ iſtæ ſedes, prælatæ eſſent ſedibus Alexandrinæ & Antiochenæ, tamen amplius omninò quiddam hîc intelligendum venit, *cum ſedes ha priuilegijs inter ſe exæquari* dicuntur, vt non vna in alteram authoritatem obtineat, iuriſdictionemve aut poteſtatem vllam exerceat, nedum in Eccleſiam Catholicam, vt iſti volunt, vniuersè, ſed ſubiectos ſibi Epiſcopos, pari vtraq; imperio moderetur & gubernet, quod in Concilio Trullano iterum quoq; promulgatum eſt, Can. 36.

CAP. 35. DE *Torti rationibus* agitur ſcilicet. In eo labor omnis noſter verſatur. Vbi quod ille olim ad Galbam, gibberoſum hominem incurvumq;, *Admonere te poſſum Galba, corrigere non poſſum*, quanto rectiùs in Tortum? niſi quòd recta ipſa deprauantur, cùm recidunt in tam peruerſum. Sed Eudæmon-Iohannes ne ſic quidem deſerit, rationes eius omnes, (ex quatuor in ſummâ ſunt) ordine defendit. Vna ſic protrita eſt, reliquæ ſequuntur.

2 In ſecundâ vindicandâ, arguit Epiſcopum, quòd reſponderit non dici à Chalcedonenſibus Patribus, in epiſtolâ ſuâ ad Leonem, *renouaſſe* ſe, ſed *confirmaſſe*, canonem Conſtantino-

ſtantinopolitanum; aitq; *nihil intereſſe, hoccine an eo verbo vſi fuerint, ſi ſententia ſit eadem.* Quæris, Lector, quid ſentiam? Non ſanè multum intereſſe, ſi nihil Tortus obtorſiſſet, ſi id modò voluiſſet, *vetuſto canoni nouo decreto vim ac firmitudinem à Patribus additam*, vt Cres ipſe hîc loquitur. Sed Epiſcopus non ſine causâ, vt captionum artiumq; Ieſuiticarum probè ſciens, id excludere volebat, ſi quando illi ita colligerent, Canonem Conſtantinopolitanum in deſuetudinem abijſſe, antiquatumve aut penitùs, aut ex parte fuiſſe, vim deniq; amiſiſſe, vt *renouatione* opus foret, id enim eſt propriè *renouare* vt ſcimus, *intermortuum vetuſtate in actum reducere.* Sed addit porrò. *Declarant ijs verbis, eandem eſſe Canonis Chalcedonenſis & Conſtantinopolitani ſententiam; alioqui ſi quid conſtitutum ab ijs de nouo eſt, id verò confirmatum eo canone dici non poteſt.* Fatendum omninò eſt, rectè inde colligi nullam eſſe repugnantiam horum canonum inter ſe, ratumq; fieri Chalcedone, quod Conſtantinopoli prius decretum, ſed tamen inde non ſequitur, nihil vt de nouo additum fuerit, niſi dixiſſent ſe *tantummodò confirmâſſe.* Nunc illud ſatis procliue eſt ad intelligendum ex ipſis verbis, quòd & *confirmârint* quidem, & tamen aliquid aut *addiderint*, aut *explicatius tradiderint*, quod antea obſcurum ſpiſſumq; erat, quod R. Epiſcopo in mente fuiſſe puto, cum Tortianam *renouationis* vocem reijceret, nec vltra Patrum verba progrederetur. Atque hoc ipſum ex eo genere eſt de paritate priuilegiorum vtriuſq; ſedis, quod Epiſcopus non tam confirmatum, *renouatum* certè, quàm de nouo conſtitutum, aut ſaltem clariùs explicatum fuiſſe contendit. Quid contra Tortus? *Meminiſſent* (inquit) *tum Chalcedonenſes parium priuilegiorum in epiſtola ſua ad Leonem.* Nihil opus (inquit Epiſcopus) cum Canones mitterent, in quibus id perſpicuè legi poterat. *At confirmationis meminerunt, quod minus ad rem.* Quid ſi verò non minus? Nam confirmationis quidem meminerant, vt vnanimem conſenſum ſic ſi fieri poſſet obtinerent. Porrò ſperabant

Pazal p. 146.

Leo-

Leonem, non refugiturum societatem tot præsertim Patrum, in quo tamen Legati eius nimis putidè se gessissent. Illud fateor, non esse causam cur *confirmationis* meminissent, nullâ *parium priuilegiorum* mentione factâ, vt argumentatur aduersarius, nisi Canones misissent, in quibus, quæ de priuilegiorum paritate sanxissent, tam commodè legi possent, vt literariam explicationem nullam desyderarent.

CAP. 36. SED *verba* (inquit) *epistolæ Episcopum mendacij apertissimè conuincunt. Confirmauimus centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui Constantinopoli congregati sunt, regulam, quæ præcipit post vestram sanctissimam & Apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanæ, quæ secunda est ordinata.* Ex quibus colligit Dialecticus, Patres Chalcedonenses, sedem Constantinopolitanam non vsquequàq; parem fecisse Romanæ, quòd eam secundo loco consistere iusserint, primasq; post Romanam sedem ferre. Sed repetit coccyſinos suos, est idem veterator & sophista qui semper fuit, solâ vocis ambiguitate lectores fascinat. Quoties iam diximus, monuimus, intonuimus, πρωτοκαθεδρίαν illam quam sic deamant, etsi vetante Domino nostro, *primatum* inquam *ordinis*, sibi a nobis non negari, aliud esse, longè aliud, de quo contendimus? Chalcedonenses tamen Patres, vnà cum antiquioribus Constantinopolitanis, non alium ijs honorem quàm quem iam diximus tribuerunt, puta vt primi subscriberent, canonesq; confirmarent, & quæ paulò antè ex Barlaamo plura retulimus. At in Synodo Chalcedonensi *æqualis* vtriq; sedi *potestas* demandata est, *par iurisdictio* in causis ecclesiasticis, ex Patrum decreto, attributa. Hoc & ipse Bellarminus antequam *Tortum* induisset, aut verò *petasum*, lib. 2. c. 18. de Rom. Pontif. agnouit planissimè, agnouit inquam Chalcedonenses, ad Constantinopolitanum Canonem, illud etiam *addidisse, vt Episcopus Constantinopolitanus paria priuilegia haberet cum Romano.*

Romano. *Vt interpretatio quam subiungit hoc loco Eudæmon-Iohannes, deridetq; vt ineptam, ridicula quidem sit, sed sua ipsius, non Episcopi.* Neque enim Episcopus fingit nouum canonem condi à Chalcedonensibus Constantinopolitano contrarium, sed cùm antiquior illa synodus proximum Romano Constantinopolitanum collocâsset, Chalcedonenses id aut *addunt*, vt vult Bellarminus, aut certè *clariùs explicando edicunt, inbentq;, paria* vt sint deinceps vtriusq; PRIVILEGIA, *quoad potestatem* scilicet & *iurisdictionem*. Quæ vna clausula convellit, quicquid ille malarum rationum machinatur, vel ad veritatem offuscandam, vel ad grauissimi Episcopi existimationem infringendam.

* *Quamvis ego Turrian sequutus non inuideo, cui idem placuit sanctos veteres canones confirmare, quod nunc constitutionibus vetteres abrogare, &c.* Paral. p. 348.

ATENIM tandem, quod faustum sit, rationem aperit cur legati restiterint, cur Leo ipse tam ægrè tulerit, canonem iam antè conditum atque probatum confirmari. Episcopus enim non sine causâ, vel potiùs longè sapientissimè, sine dubio non resisterent (inquit) si confirmatus ibi modò fuisset Canon Synodi secundæ, qui ipse priùs à Damaso fuerat approbatus. Quæ igitur causa? quid hæres? CAP. 37.

——*dic aliquem, dic Quintiliane, colorem.*

Tom. p. 344.

Actione (inquit) 16. *Concilij Chalcedonensis, Lucentius legatus* lucem affert. *Canon enim ille nec nisi apud Constantinopolitanos vspiam inuenichatur, neq; vsu ante id tempus receptus fuerat, ideoq; magnam faciebat impostura suspicionem. Hinc, nec Leo, nec legati, de confirmando assentiri, aduersarij rationem vt inuictam pratermittere, ne mutire quidem.* Ain' verò hunc Canonem non nisi Constantinopoli vspiam inueniri potuisse, quem Patres huius Concilij sexcentum & amplius agnouerunt? Quem non solus Anatolius Constantinopolitanus Episcopus (& quantus ille vir?) sed Patriarchę, Maximus & Iuuenalis, Antiochenus ille, iste Hierosolymitanus, amplexi secutiq; sunt, qui impostură olfeciissent, siqua fuisset, neque verò tulissent, atq; adeò inter

primos Concilij Patres repugnâſſent, cùm in eorum præiudicium potiùs quàm Pontificis Romani, canon ille vergere non immeritò videretur. Quòd ſi apud ſolos Conſtantinopolitanos inveniebatur, vt fingitis, quomodò quæſo
lib 7.c.9. Sozomeno Salaminio innotuit? quomodò Cyrillo Alexandrino? vel ſi quis alius fuit author *libelli Synodicarum conſtitutionum*: vt dubium ſit impudentiorne iam Eudæmon-Iohannes, an Lucentius leganus, qui in tam clarâ vtrique luce tergiuerſantur & ſpiſſant.

CAP. 38. DE dilemmate Lucentiano, *ſi hactenùs vſi ſunt Canonis beneficio, quid nunc requirunt? ſi nunquam vſi ſunt, quare requirunt?* quod tu ideò præteritum à patribus fuiſſe vis, quia ſoluere non potuerunt, vide potiùs, ne vt planè indignum cui reſponderent, prætermiſerint. Quis enim non videat priorem conſequentiam nimis lubrico eſſe loco? Nam etiamſi vſi fuiſſent hoc priuilegio ac beneficio, tamen multis de cauſis, confirmationem eius tum demùm requirere poſſent, quarum nonnullas etiam meminiſſe videntur in epiſtolâ ad Leonem Patres ipſi, v.g. *ad interemptionem totius confuſionis, & confirmationem Eccleſiaſticæ ordinationis. Porrò vt curam oſtenderent*, pietatemq; ſuam *erga Imperatores, qui ſuper hoc delectabantur, erga clariſſimum etiam ſenatum, erga vrbem denique totam, honoris eius confirmationem ab vniuerſali concilio celebrari* volebant. Hæc ibi. His accedit, vt numeroſiſſimæ huius ſynodi authoritate, contra technas Romani Pontificis, & eius ſequacium, à quibus periculum huic priuilegio & creari iam viderant, & in poſterum metuebant, tantò fortiùs munirentur. Tu tamen pergis in inventa tua, quaſi pulchrè tibi priora proceſſerint. Ais *vſu ante hoc tempus receptum non fuiſſe*. Non enim credo à Chryſoſtomo, qui Nectario ſuccedens, tredecim Epiſcopos Aſiæ, huius potiſſimùm canonis authoritate nixus depoſuit, alioſq; in eorum locum ſuffecit: author Sozom. lib. 8. c. 6. Non apud Clericos illos Conſtantinopo-

litanos,

litanos, qui in hoc ipso concilio, in quo iam versamur, Chalcedonenſi, Act. 11. vi canonis huius freti, vendicabant Patriarchę ſuo ius ordinationis Epiſcopi Epheſiorum, qui totius minoris Aſiæ metropolitanus eſſet, cùm quidem & in *more hoc fuiſſe poſitum* clamitarent. Ego verò etiam illud ex te requiro, tanto antiquitatis, vt videri vis, myſtagogo, quo iure Anatolius Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, ante cæteros ſubſcripſerit huic ipſi Concilio, ſi *Canon hic*, vt ais, *vſu receptus non erat*? Quod addis, *apertiſſimè interim conſtare, & ex Synodi Epiſtolâ ad Leonem, & ex legatorum in ipſâ altercatione verbis, totam controuerſiam de confirmatione Conſtantinopolitani Canonis fuiſſe*, largiamur tibi haud grauatè, ſiquidem illud adijcias, de confirmatione Conſtantinopolitani Canonis, *eo ſenſu* quo à Patribus Chalcedonenſibus explicatus erat, controuerſiam fuiſſe. Neque enim multum adeò refert, ſi aut canoni *additum* fuiſſe dicamus, aut canonem ipſum *clariùs explicatum*. Quicquid erat, ſiue *additionem*, ſiue *explicationem* dicere placet, Leonem legatoſq; eius non parum *pupugit*, id verò certum eſt.

DEMÙM oſtendit quid Lucentij illa verba ſibi velint, qui *ſedem Apoſtolicam hoc canone humiliatam pronuntiat*. Nimirum, *quòd cùm Leo præcepiſſet* (inquit) *ne quid ſuper ordine atque honore ſedium immutaretur, ſed neque quicquam in Conciliis, iniuſſu ſedis Apoſtolicæ, conſtitui liceret, recenti eâ aduerſus preſcripta Leonis conſtitutione, nonnihil detrahi eius dignitati videbatur*. Hæc Andreas. Sed cui tandem, hoc quod dicit, Leo præceperat? Non ſanè Concilio. CAP. 39. Paral. p. 149.

Non ea vis animo, non tanta potentia Papæ.

Neque id ſibi Leo arrogare vnquam voluit, vt toti Concilio mandata daret. Sin dicat, *Legatis*; At neutiquam affirmandum eſt Romanam ſedem ideò humiliatam fuiſſe, quòd aliter in Concilio ſtatutum eſſet, quàm legati voluerunt, Pontificis ſui præcepta ſecuti: niſi velimus Concilia

ad definiendum ex sententiâ Romani Pontificis adigere ac necessitare iam, quod ille quidem, vt est impudens, innuere videtur, cùm subiungit illicò, *neque quicquam in Concilijs constituti sedis Apostolicæ iniussu licuisse.* Quod sine vllo fundamento ab eo asseritur. Etsi enim vetus fuit Canon, qui neget oportere præter sententiam Pontificis Romani, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν, id tamen non ita intelligendum est, ac si nihil eius iniussu constitui sanciriue in Concilio liceret, sed vt nihil innouetur eo inconsulto, nihil non auditâ vel Romani Pontificis, vel legatorum saltem ipsius, sententiâ. Bellarminus quidem, nec fidelitatem eam quam Episcopi Romano Pontifici iurauerunt, obstare vult, quò minùs sententias liberè expromant in Concilio. De Concil. & Eccles. lib. 1. c. 21. Vera igitur causa, ne longiùs abeamus, cur Lucentius dicat Romanam sedem *humiliatam* fuisse, est illa cuius meminit R. Episcopus, quòd *videret hoc canone exæquari Constantinopolitanam sedem* Romanæ, *potestate* inquam & *authoritate* Ecclesiasticâ exæquari, eo modo, quo in ciuilibus negotijs æquabantur: μεγαλύνεσθαι ὡς ἰσότιμον, &c. Sed quæris à nobis, vt Grammaticus videare, an *sicut* & *quemadmodum paritatem* semper denotent, an aliquandò *similitudinem* tantùm? Atque peram porrò excutiens, Græca tua venditas, quibus nihil est deploratius. Caput infrunitum, tene primò Episcopo hanc laudem inuidere, vel saltem fructum puerilis qualiscunque industriæ suæ, vt Græcum concilium Græcè citet? Deinde autem, & tam turpiter mox infantias tuas retegere, atque in patrio sermone Græcissantem balbutire? Quid est enim, quod ex te audimus, de ἰσότιμον & ἰσότιμον, & quæ præterea obtrudis, monstra prodigiaq; hoc loco, tua? Isæusne hoc modo, aut Isocrates aliquandò? An ἰσάζον & ἰσάζω fortè dicere voluisti, aut quid tandem? excrea, & responde. Ne Lilybæi quidem opinor tam fædè solæcissabant. Tu tamen nec Lexico tuo consulto sapis; quo de dixeras paulò antè, *Lexica adeamus.* Vt nihil præter leuitatem ex Græ-

cia

cià deportàris, ne ſermonem quidem, —ἄιχος ἀχάμε. Sed ad Grammaticum redeamus. Quod attinet ad interrogata tua, de vi aduerbiorum, *ſicut* & *quemadmodum*, concedo non ſemper ſignificare paritatem, *ſæpiùs* tamen, imprimiſq; *hic*, quod ſatis eſt. Ac vt omittam quæ tu contrà ex *Theſauro* nugàris, nihil ad rem; non enim ἴσον ἴσῳ, ſed ἴσον ἴσῳ illo in locutionis genere determinat, vt & Stephanus ipſe, ἴσον ἴσῳ καὶ ὁμοίᾳ, *pari* iure, *æqualiq;* conditione, non *ſimili* interpretetur: quale illud, neſcio quo loco, apud Homerum, niſi fallor,

ἴσον ἐμοὶ φάσθαι καὶ ὁμοιΐζμεναι ἀρίστῳ,

& quæ multa cumulari poſſent in eandem ſententiam; Ne ἰσάγγελοι quidem non ſunt pares Angelis, quicquid magiſter tuus narret, à quo iſta mutuatus es. Sed vt hæc ſic omittamus (inquam) Concilium ipſum ſe explicet. Quæ ratio fuit, qui ſenſus concilio, cur ſic decerneret? Nimirum illa, quòd ex obſeruatâ, vtriuſq; ciuitatis, beneficio Imperatorum, in negotijs ciuilibus, exæquatione, æquum porrò iudicârit, vt pariter & in rebus eccleſiaſticis magnificrent. Cùm ergò ratio parificandi hæc ſedium priuilegia in rebus eccleſiaſticis, fundata eſſet in paritate priuilegiorum earundem quoad res ciuiles, ſicut *pares* erant & *æquales*, non tantùm *ſimiles*, in ciuili adminiſtratione, ità etiam in eccleſiaſticâ poteſtate *pares* faciendæ erant. Ac quòd in ciuili adminiſtratione prorsùs pares eſſent, non tantùm ex canone Chalcedonenſi conſtat, vbi innuunt Conſtantinopolim æqualibus priuilegijs cum ſeniore Româ frui, verùm etiam ex Sozomeno, l. 7. c. 9. his verbis. Ἀλλὰ καὶ τὰ σύμβολα, κατὰ τὰ νόμιμα, ἥπερ ἐν Ἰταλίᾳ ῥωμαίων, ἐκέκτηντο, καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ γέρατα περὶ πάντα ἰσάζειν. *Verùm & inſignia quoque eadem, Romanorum ritu qui Italiam incolunt, præferebat* [noua Roma] *& iura atque honores in omnibus vtrique pares erant.* Ecquid attendis? ecquid expergiſceris? In omnibus æquabantur, *quoad ſtatum ciuilem* priuilegijs; æquandæ ergò, ſi vera patrum ratio eſt, *quoad eccleſiaſticum*, dux iſtæ

ciuitates, Constantinopolis & Roma. Nec respectu *inferiorum* nescio quorum exæquatæ, in rebus ciuilibus, verùm *inter se*. Vnde sequitur, vt eodem modo, & *in rebus ecclesiasticis*, se res habuerit. Ex Trullanâ certè Synodo, idem luce clarius liquet, Can. 36. Sed qui falsa Concilia pro veris venditant, ij vera etiam & probata pro libitu abiudicant, vt Bellarminus hoc, ex parte, de Rom. Pontif. l. 2. c. 18.

CAP. 40. PORRÒ res tuas in arctum cogi necesse est, cùm à Theodoro Balsamone subsidium tibi petendum sit. Ais, *eum confutare illorum opinionem, qui ex eo quòd Chalcedonenses canon paria priuilegia vtrisq; concessit, colligebant non esse honore posteriorem Romano Constantinopolitanum Episcopum.* Sed num hinc tu colligis, *similia* tantùm, non *æqualia* priuilegia habuisse, ex sententiâ Balsamonis, Constantinopolitanum Episcopum, vel si fortè æqualia, tantùm *respectu inferiorum?* Certè neutrum voluit Balsamon; atque illud tantùm largitur, honorem πρεσβείας, vel primi consessûs, tribuendum Romæ, secundum locum honoris Constantinopoli. Qui etiam sensus est alterius loci à te adducti, ex octauæ Synodi Canone primo, ab eodem Theodoro Balsamone exposito, qui tamen locus maximè contra te facit, cum ibi decernat Constantinopolitana Synodus, æquè excommunicandos esse à Romano Pontifice, quos Constantinopolitanus excommunicauerit, atque illi Constantinopolitano pro excommunicatis habendi sunt, quos Romanus exterminârit. Quod omninò euincit, *paritatem authoritatis, & iurisdictionis, & potestatis*, de quâ iam tota lis est. Sed ne nimis tibi, homo ineptus, plaudas, in commentitio nomine Balsamonis *non tui*, vtq; intelligas, quantam vim illi hæc scribens attuleris, quasi ille huic primatûs vestri Chimæræ faueat, remittendus es, vt alijs locis nunc commemorandis supersedeam, ad *Meditata* eius seu *Responsa*, ac nominatim ad *primum* eius *Meditatum*, quod est *de Patriarcharum priuilegijs*. Summa hæc. Vt omnes Patriar-

chæ

chæ quoad authoritatem æquales ſint, quod ſæpe iam diximus, vel quoad iuriſdictionem, adeò vt cum quinq; ſenſibus in humano corpore eos conferat, qui cum omnes in ſuo munere excellant atque emineant, nullus tamen imperium in reliquos obtinet.

TERTIA Torti ratio, quòd S. Leo in Epiſtolis, quibus Canonem hunc reprehendit, *nunquam meminit parium cum ſede Romanâ priuilegiorum, ſed tantùm iniuriæ, quæ Alexandrino atque Antiocheno throno inde fiebat*, quàm neruosè ab Epiſcopo, vno verbo, diſſoluitur, quòd quantumvis fortis animoſuſq; Leo, liberiùs tamen *de alienâ, quàm de ſuâ iniuriâ conqueri potuerit?* Quid tu contrà vir diſertiſſime? *Non fuiſſe quòd pudor neſcio quis ſubruſticus Leonem impediret.* Quaſi non aliud ſapientia ſit, & maturitas, & cautio, aliud pudor ſubruſticus. Sed *Leo* (inquis) *Apoſtoli Petri, & ſedem, & poteſtatem magnificè liberèq; ſolitus prædicare.* Omninò vbi ad rem nomen Petri, vel ſaltem vbi ſpecies aut color aliquis plauſibilis. Ad primatum adiudicandum Romano præ Conſtantinopolitano, nec Patres Nicæni, nec Conſtantinopolitani, nec verò Chalcedonenſes, nomen Petri obtenderant. Quò magis excuteretur, eò magis metuebat, ne illius rationis vanitas ſe patefaceret. In Sardicenſi quidem, neſcio quis Iulij ſtudioſus, non ſedis Romanæ, *Placetne* (inquit) *vt Petri memoriam honoremus?* Supplicem & petitorem, non Senatorem dicas. Sed primò æquitas Canonis deterruit Leonem, priuilegiorum vtriuſq; Eccleſiæ paritate nixi, quam quomodò refelleret? Cùm præſertim, vt tu nos doces, grauis author, ne quid aliud meminerimus, *vrbes Regiæ in Eccleſiaſticis* quoq; *rebus*, cæteris anteferendæ ſint, ſi præcellant viz. vel adæquandæ ſaltem, ſi pares exiſtant. Deniq;, cùm Nicænum canonem in promptu Leo haberet, quem & commodiſſimè opponeret, ad Alexandrinam atque Antiochenam ſedem vindicandam, & ſubleuandã pariter, etſi tacitè, ſuam, cur quæſo aut ad infirmio-

CAP. 41. 3

ra

ra adminicula decurreret, aut morbum ſuum vltrò prodere-
ret? Fallor autem, an tibi Satyro mentum caluit! adeò, *at-
tingere haec* (inquis) *ſat eſt.*

CAP. 42. 4 Paral. p. 153. QVARTA ratio fuit Torti, eaq; poſtrema, pro hac mi-
rificâ interpretatione ſuâ, de *aequalitate priuilegiorum re-
ſpectu inferiorum, quòd multis etiam poſt Chalcedonenſem Sy-
nodum annis, Patriarchæ Conſtantinopolitani ſubiecti fuerint
ſedi Romanæ. Id quod l. 2.* (inquit Eudæm.) *Regiſtri, Epiſt. 63.
ad Iohannem Syracuſanum Epiſcopum ſcribens B. Gregorius
diſertis verbis docet. De ſede Conſtantinopolitanâ, quis dubitat
eam Apoſtolicæ ſedi eſſe ſubiectam? quod & dominus piiſſimus
Imperator, & frater meus Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſco-
pus profitentur.* Reſponderat huic loco Rev. Epiſcopus ne-
gando aut Mauritium aut verò Phocam, viuo B. Gregorio,
ſubiectionem hanc Conſtantinopolitanæ ſedis vnquam
profeſſos eſſe, vt qui nunquam Oecumenici appellationem,
eius ciuitatis Epiſcopo denegârint. Quid ad hæc Cres? 1
Putat ſe cum popularibus ſuis ſolennia rixari, de quibus eſt
illud Apoſtoli, ἀντὶ ἡμαρτυρία ἀληθὴς ἐστὶ, cùm paulò antè,
ἄνω ψεῦσαι eos deſcripſiſſet, quaſi dicas ne redimendos
quidem ab hoc cacoethe. Primò *mendacem* eſſe Epiſco-
pum, ſecundò *ſtolidam. Bona verba*, ſed quandoquidem
iam aſſueuimus, audiamus & cætera. *Mendax eſt, quòd rem,
quam tam luculenter affirmat tantus Pontifex, ſine vllo teſti-
monio tam præfractè neget.* Quaſi *mendaces* illos omnes eſſe
dicat, qui Gregorij magni teſtimonium non recipiunt in
quacunque causâ, etiam cùm euidens ratio contrarium
ſuadeat. *Mendaces* ergò, qui *Angelos non eſſe animalia ratio-
nalia* poſthac dicant doceantve, quia id Gregorius alicubi
pronuntiauit, homiliâ, ni fallor, vndecimâ in Euangelia.
Mendaces, qui Apoſtolos non ſolâ dominicâ oratione ob-
lationis hoſtiam conſecrâſſe affirment, quandoquidem
Gregorius, hac ipsâ epiſtolâ ab eo citatâ, contrarium ſcrip-
ſerit. Ità, mendaces reperientur aliqui, non obſcuræ no-

tæ

tæ homines, & in grege Pontificio, præter Eudæmon-Iohannem. Age dicne excidit tibi, quod Canus olim de Dialogis Gregorianis, quibus vos quidem defertis, ille perstrinxit? Quidni ergò & in Epistolis eius non omnia tam recto talo, vt protinus qui dissenserit, *mendax* sit? Sed Reu. Episcopus *stolidus* est etiam; (sic de doctis ignorantia censuras agere solet) qui tam *fœdis argumento tanto testimonij fidem eleuet. Neque enim aut Iohannes, aut alij post eum Constantinopolitani Episcopi, ita Oecumenici appellationem affectârunt, vt vniuersæ ecclesiæ curam ad se spectare contenderent (id enim*, inquis, *reuera cum subiectione pugnâsset,) sed de solo titulo dimicabant.* Quid audio? an his tota cum Constantinopolitanis fuit Gregorio, tituli causa, i. titivilitij, vel cici Plautini? Non Tortus sic, non Bellarminus saltem, antequam Tortus. *Quis* eum *mutauit tantu deus*? Liceat enim Propertiano semel vti carmine. Pythagoras opinor prodijt, alias *Aspasia*, alias *Euphorbus*, præclarus etiam athleta tandem, (qualis ille in *Mycillo*) gallus gallinaceus. Siccine leonem, i. Regem territare, quod proprium illius auis esse ferunt Phyſici? Quin tu recole quæ apud eum sunt de Pontifice Romano, l. 2. c. 31. Docebitte, Iohannem, & alios insecutos Constantinopolitanos Episcopos, ita affectâsse nomen *vniuersalis, vt soli esse vellent Episcopi omnium vrbium Christianarum, atq; vt cæteri non Episcopi essent, sed vicarij tantùm sui*, deniq; hac significatione Gregorium in Epistolis suis nomen vniuersalis interpretatum esse, cùm stylum in illud stringit, vt *verè prophanum, sacrilegum, Antichristianum*, &c. Hæc olim inquam Bellarminus. Nunc *tortus, retortusq;*, & in mille formas versus, & ipse, & satelles eius Eudæmon-Iohannes, non de regno Ecclesiastico, & omnia perdomante vel potius abolente Monarchiâ, sed de re nihili, i. de solo nomine decertatum fuisse volunt. Hæc summa est Iesuitarum, qui hodiè regnant, sapientia, his artibus illi florent, qui non quemvis mortalem, sed Episcopum Elienſem de *stoliditate* reprehendunt. Sic vt *veleut*

Lucian.

vicia sua, non enim vt *viuunt*, [illegible] *contraria currunt*,

Paral. p. 168. *ebrio ac nutante vestigio impingentes*, vt alibi noster.

CAP. 43. vide Paral. p. 154. &c. SED allegat Parallelistes, vt somnium approbet, ex libro 4. Epist. Gregorij Epist. 32. & 38. in hæc verba. *Vir sanctissimus consacerdos meus Iohannes*, VOCARI *vniuersalis Episcopus conatur*. Et posteà, *Sacerdotes qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi* NOMINA *expetunt, & nouis ac profanis* VOCABULIS *gloriantur*. Hæc Gregorius. Sed an hinc infertur, nihil aliud molitum fuisse Iohannem, & nudum titulum duntaxat ambiuisse? Audi ergò quid sequatur eodem loco apud Gregorium: *Vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis*. Non ait sine *nominis* aliorum *imminutione*, sed sine *aliorum imminutione*, verâ proculdubiò. Et mox, *Vniuersalis ergò ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit*. Corruit autem, non propter nomen solùm, sed propter authoritatem credo & potestatem, quæ in hoc nomine latitat. Alioqui, quid tantum vulneris infligitur ecclesijs, si quantæuis nominum ruinæ ingruant? An bellum Grammaticale pertimescendum est? Aut ecclesiæne ædificatio ex syllabis consurgit, vt ijs cadentibus ipsa dissipetur? Certè qui solâ appellatione vniuersalis est Episcopus, etsi centies rueret, vniuersa tamen ecclesia à statu suo non excideret; sed si vniuersali authoritate fortè præditus Antistes in hæresim labatur, tota iam ecclesia detrimentum capiat necesse est. Sunt enim vt columnæ in domo Sampsonianâ, sic in Ecclesiâ Episcopi: ruere illi non possunt, vt hæc non eodem labefactata motu concidat. Ac proinde non de solo nomine litigatum est. Alter locus quem adducis ex Epist. 38. ad Iohannem Constantinopolitanum Episcopum, tantum abest te vt subleuet, vt confutet vel maximè. Quid enim ibi legimus? *Ille* [Paulus] *membra dominici corporis certis extra Christum*

quasi

quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subijci particulariter evitavit. Tu, quid Christo, vniversalis scilicet Ecclesia capiti ea dilaturus, qui cunctis eius membris tibimet conaris vniversalis appellationis supponere? Vides hinc non *vndum titulum* affectasse Iohannem, sed conatum pariter fuisse, cunctis Christi membris sibi *supponere*. Porrò, postea dicit, eum, *exemplo Luciferi hac ratione ad culmen singularitatis conatu illo erumpere, vt & vnus subesset, & salus omnibus praesse videretur.* Mox etiam, Iohannem, *vniversos Episcopos sub se premere conatum esse.* Ex quibus constat adhuc luculentius, Iohannem vltra *titulum, authoritatem vniversalem* ambijsse quandam. Quod & ex altero illo loco, lib. 6. c. 24. quem vltimò affers, apertissimè patet. Licet enim verbis à te prolatis, memineris tantùm *profani vocabuli*, postea tamen sic contexit, *Si hanc causam aequanimiter portamus, vniversa ecclesiâ fidem corrumpimus.* An potuit nuda appellatio fidē vniuersæ ecclesiæ corrumpere, si nihil aliud subesset? Adde, *Si vnus Episcopus vocatur vniversalis, vniversa ecclesia corruit, si vnus vniversus cadit.* Vnde facile est colligere, vt cętera nunc omittam, Gregorium longè aliud quàm *meram vocabuli insolentiam* reprehendere. Videbat Gregorius Constantinopolitanos Episcopos ad ecclesiasticam monarchiam, titulo isto fretos, sibi viam munitare, alioſq; Episcopos in suam potestatem paulatim redigere velle. Quod ab ijs affectatum, & vtcunq; inchoatum, Pontifices Romani ex eo tempore re impleruntꝰ.

SED *Mauritius* (inquis) & *Phocas*, etsi Constantinopolitanum Episcopum Oecumenicum salutârunt, cum subiectione tamen appellatio illa non pugnauit. Atque vt concedā non pugnâsse cum omni subiectione, cum illâ tamen sine dubio subiectione pugnauit, quâ quis alterius potestati & authoritati subijcitur. Nec prædicti Imperatores, Mauritius & Phocas, Constantinopolitanum Episcopum appellassent Oecumenicum, si authoritate inferiorem e- CAP. 44.

um Romano putâssent. Neque contrarium evincit locus ille à te adductus, ex Epist. Iustiniani Iunioris ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, *cuius meminit Gennadius Scholasticus, vbi de primatu disputat.* Quanquâ omnia testimonia a Gennadio allata ad stabiliendum primatũ, non sunt indubitatæ fidei. Imò nullus Constantinopoli sedit Epiphanius, toto Iustiniani iunioris tẽpore. Facilè verò largimur Romanũ Pontificẽ dici posse *caput sanctissimorũ dei sacerdotum*, quatenus primæ sedis Patriarchalis Episcopus est, quâ ratione ἀρχιερέα habet siue πρωτοθρόνον quandã, ex decreto synodorũ Constantinopolitanæ & Chalcedonensis. Quo sensu Iustinianus senior loco mox à te citando, *primum omnium sacerdotũ* vocat Romanũ Pontificem, non quòd eius potestati subijcerentur cæteri. Quod de Iustiniano iuniore eò etiam clarius est, quòd cum ille Trullanos Canones confirmârit, proculdubiò non alio sensu Romanum Pontificem *caput sacerdotum dei* vocauit, quàm qui cum Canone illius synodi 36 stare potest; quod nobis satis est. Verùm & Iohannem Constantinopolitanum Gregorio subiectum fuisse probas, *quòd Iohannes quidam presbyter, & Monachi Isauri à Iohanne damnati, eo ipso tempore ad Gregorium appellauerint, atque hanc appellationem non modò admissam fuisse dicis, sed etiam acta iudicialia, Romam à Iohanne ad Gregorium transmissa, qui & cognitâ eorum causâ eos absoluit, & postremò Episcopum monuit, vt in cognoscendis eorum causis, maiorem in posterum diligentiam adhiberet.* Hæc tu ferè è Baronio. Vbi *mendacia* aliquot tua notanda veniunt, magne Censor. Quod, etsi nomen *mendacij* odiosum est, abhorretq; à nostris moribus cuiquam temerè impingere, eò libentiùs tamen nunc exprimo, quia *mendaciorum* tot à te, hoc tam longo tertiæ partis itinere, postulamur. Rem sic habe. Primò, nomen *appellationis*, aut verò *appellantis*, nusquam in ijs locis, quos tu citas, occurrit, ac nec *res* ipsa. Damnatus erat Iohannes presbyter, iudicibus Iohannis Constanti-

vide Chron. Omphrij.

no-

nopolitani, hæreſeos. Petijt ille [non *iuridicè*, ſed *charitatiue*] à Gregorio, vt cauſa in Concilio examinaretur. Orthodoxum agnouit Synodus; Conſtantinopolitanum Epiſcopum rogat Gregorius, vt benignè ſuſcipiat, quippe à ſuis iudicibus malè tractatum, & *charitatem illi ſacerdotalem impendat, nec quenquam ſe in eius moleſtiâ occupare permittat.* Vbi deprecatoris non iudicis partes agit Gregorius. Porrò Mauritium Imperatorem *profuſis precibus rogat, vt affligi deinò innocentem veluti innoxium non permittat.* Quòd ſi hæc legitima prouocatio fuiſſet, ad Romani Pontificis, tanquam ad ſupremi iudicis, tribunal, quid opus hiſce *precibus* ad Imperatorem *profuſis*, quid vt Iohannem rogaret, qui ſententiâ à ſe latâ acquieſcere tenebatur, ſiquidem iudex Gregorius? Sed Gregorium non latebat, qui præ cæteris ſe obſeruantiſſimum vbiq; canonum profitetur, non licuiſſe ſibi arrogare cauſarum illarum cognitionem (non *iuridicam* quidem) quæ iam definitæ eſſent à Patriarchâ Conſtantinopolitano. Agnoſcit quippe Nouellam conſtitutionem ſacris Canonibus fundatam, quæ decernit *Patriarcham diœceſeos* (ſi quis fuerit) *finem eiuſmodi litibus imponere debere*, l. 11. epiſt. 54. Quod idem hic dicendum de monachis Iſauriæ. Nec minus illud falſum, *Acta iudicialia Romam à Iohanne ad Gregorium tranſmiſſa*, quod in locis à te citatis nuſquam haberur. Et tamen Acta iudicialia tranſmitti potuerunt ob multas cauſas, ſine vllâ relatione obedientiæ ad Pontificem. Nonne Pontifex Romanus quandoq; ad Conſtantinopolitanum ſimile quiddam tranſmiſit, teſte & teipſo, pag. 163. Parall. ex Greg. l. 4. epiſt 38? An proindè Conſtantinopolitanus iudex erat Romani? Non dices. Quòd addis, Iohannem à Gregorio admonitum, vt *in cauſis cognoſcendis, maiorem in poſterum diligentiam adhiberet*, ad charitatem fraternam, non ad authoritatem referendum eſt. Ex quibus conſtat, quàm infirmum quod paulò antè inferebas, *ſatis ſcilicet ex his conſtare, controuerſiam de ſubiectione inter eos nullam fuiſſe.*

CAP. 45.

AT, *& post Synodum Chalcedonensem* (inquis) *ante Gregorij tempora, Iustinianus senior hunc sedis Apostolicæ primatum, supra etiam Constantinopolitanam sedem agnouit: quod idem adnotat Balsamon in Nomocanonem Photij.* Verba Iustiniani sunt: *Conuenienter eorum decretis decernimus, vt sanctissimus veteris Romæ Papa, sit primus omnium sacerdotum, Beatissimus autem Archiepiscopus Constantinopoleos, quæ est noua Roma, secundum locum obtineat post thronum Apostolicum Romæ veteris, aliis autem omnibus præferatur.* Hic tu, *Vides* (inquis) *quâ ratione Iustinianus Imperator Chalcedonensem canonem intellexerit.* At, vel hinc apertissimè constare potest, Iustinianum nostræ causæ fauere. Vult enim Papam esse *primum omnium sacerdotum*, sed non aliâ ratione, quàm Episcopus Constantinopolitanus *secundus*, *secundum* autem hunc, quia δευτέραν τάξιν obtinet post Romanum; quod nos, vt dixi iam centies, libenter tibi concedimus, ad ordinem enim hoc, nihil ad authoritatem. Nonne verò tua est illa notatio in margine hoc loco, *Iustinianus Imperator de ordine sedium*? Sed, *de ordine sedium* iam non quæritur inquam. De potestate, de authoritate, de iurisdictione, disseritur. Quòd si eam quoq; hoc loco intelligendam esse perseueraueris, etsi constringendus tu potius quàm refutandus es, tamen sequetur & Constantinopolitanum, iuxta hanc iam legem, in Alexandrinum & Antiochenum, potestatem habere. Quia sic viz. sequitur, *aliis autem omnibus præferatur Constantinopolitanus.* Quod cuius insaniæ esset? De Theodoro Balsamone, suprà respondi. Etsi adducis & Trullanos in Can. 36. quos Bellarminus exploserat. Verùm *Patres Trullani* (inquis) *Græcè intelligebant.* Et quid tum *Græculæ*? Nam de ordine modò sedium Trullani Patres, vt tua quoque hic in margine est persapiens annotatio. [*Trullani Patres de ordine sedium*] qui id scribas in tabulis tuis quo ipse capiare. Potestate interim & priuilegijs æquantur inter se sedes, etsi tu discindaris, Constantinopolitana & Romana. Quod idem, ne lon-

gior

gior ſim, ad Nicephori & Euagrij teſtimonia reſpondendum eſt, vt cuiuis loca ipſa inſpicienti patebit.

SED Rev. Epiſcopus, non contentus vnicâ reſponſione ſatisfacere, quæ iamdudum tot inanibus petitionibus tuis reſtitit, iudicauit etiam perpendi meritò à Torto poſſe, vtrumne vera hæc an adulterina eſſet Gregorij epiſtola, quæ ad Euſebium Conſtantinopolitanum Epiſcopum dirigitur, *cum ne centenis quidem ante vel poſt id tempus annis, Conſtantinopolitanus aliquis Epiſcopus dictus ſit Euſebius.* Tu primò binomium eſſe putas potuiſſe, vt ſicut idem & Iudas & Thaddæus dictus eſt, Matthæus etiam & Leui, inter Apoſtolos, ita Iohannes Euſebij inſuper nomen geſſerit. Quam coniecturam tuam neſcio eccui cordato probaturus ſis. Quid eſt enim, quamuis ſuſpectum, quod eodem modo non defenderim? Verùm addis, & Iohannem Diaconum, qui vnus omnium optimè penitiſſimèq; iſta norat, locum hunc ita referre, vt Euſebij quidem nomen nuſquam appareat. Eſto ſanè. Video enim & alia nonnulla exempla conſentire. Quanquam alioqui nos Diaconum hunc non multùm moramur, qui in diplomate Othonis tertij, memorabilis illius figmenti author notatur, quod de donatione Conſtantini etiamnum peruagatur. Ac ſcimus quæ Bodinus alicubi narret de ijs, quæ in Vaticanâ ipſe viderit, *digitata* sui huic pudenda. Sed concedatur hoc tamen, & locus ipſe vrgeatur. Quid vult? *De ſede Conſtantinopolitanâ, quis dubitat eam Apoſtolicæ ſedi eſſe ſubiectam?* Cui adde, quem tu addis ex proximè ſequenti eiuſdem Epiſtolâ, ad Iohannem Epiſcopum Syracuſanum, de Epiſcopo Bizaceno. *Neſcio quis Epiſcopus ſi in eo culpa inuenitur, Apoſtolicæ ſedi ſubiectus non ſit.* Quorum alter ſubiectionem tantùm *ordinis* vindicat, alter de *Epiſcopis intra Patriarchatum* intelligendus eſt. Talis enim Bizacenus ille, de quo Gregorius ibi loquitur.

CAP. 46. 2

De Rep. l. 1. c. 2.

Eſtne quid aliud? De *ſacrâ* nempè *Martiani*, & de de-

positione Dioscori. Vellem equidem de Dioscoro, ac multò magis de Martiano, quid enim tam luculentum? Sed habenda est ratio & Lectorum, vt in tam longo, relinquendumq; vt dixi aliquid, si fortè sæpius decertandum sit, vt semper novus veniam. Vnum illud de Dioscoro non possum nunc omittere. Mouit enim me cum legerem, & cum *Torturâ* conferrem; quòd *intolerabilis impudentia* arguat Episcopum, qui negare audeat *eam causam*, (causam scilicet Eusebij ac Flauiani, quæ ijs cum Dioscoro intercessit) *semel auditam in Concilio fuisse*. Quod Episcopus nullo loco dicit, (ea væcordia est huius bruti, *intolerabilis* illa quidem, si quid præterea in humanis,) sed quam Tortus *damnationis Dioscori causam* iactârat, quòd *Synodum sine Leone facere præsumpsisset*, eam negat *damnationis* illi aut *causam* fuisse, aut omninò *auditam*, aut *audiri debuisse*; quod ecquinam refellis importunum animal? Quòd in conclusione huius loci, vis Regem Sereniſſimum Concilij huius sensum, æuiq; iudicium de sede Romanâ considerare, Rex quidem Sereniſſimus satis suum studium iampridem ostendit, qui *æuum hoc vt Catholicum Apostolicumq; accipit* & veneratur, *indicioq; eius stare* se velle *profitetur*, vt & tute hic agnoscis, ex animoq; profitetur. Nunc tu etiam opinor vides Regiæ Sereniſſimæ Maiestatis rationes, non discrepare à rationibus vel æui huius vel Concilij, id quod Rex quidem sapientiſſimus longè antè vidit, vt agrestibus tuis præceptis extimulandus non fuerit. Porrò quatuor prima Concilia & sancita sunt legibus nostris, & nullo loco contemnuntur, quicquid tibi insusurratur à perditiſſimis perfugis. Ac Rex quidem Sereniſſimus, ità animo affectus est erga Romanæ sedis Antistitem, vt cum Patriarcham occidentis se habiturum eum professus sit, in *Præfatione Monitoriâ*, &, vt qui Rex ipse occidentalis sit, omnia summa delaturum ante cæteros Episcopos, plus hoc nonnullis videatur quàm Pontifici debetur, vt qui Patriarchatu suo non contentus, eum ipsum quoque amiserit, sicut in iure fieri

Et quando patres contra legibus quatuor prima Concilia retinuntur, ne sanciat in eos qui &c. Paral. p. 176.

solet;

solet; sed præterea certè quid desyderetis, planè nescio. *Ad alia Concilia*, quia nos vocas, *transeamus.*

CAP. 47.

3

De Concilio Constantinopolitano. Pag. 178. Parallel. & alijs finitimis.

DE *Constantinopolitano Concilio* quæritur scilicet. An Epistola vlla fuerit Concilij ad Theodosium, vbi illa habeantur quæ citat Episcopus, ἀναγκαίως τὰ γεγυμνάσμενα, & ἵνα ὅπερ τίλιανος. ac quæ sequuntur, Quid ita? *Veretur* enim *ne Episcopus pro ingenio*, vt ait, *suo, commentus sit hunc Epistolam, quæ nusquam extet.* Tam rudemne Græcum hominem in Concilijs gentis suæ? Sed eò maior Episcopi illustriorq; laus, si quid ego iudico, qui ita Græcos exprimat, nec insipientissimos illos quidem, ac potius summos æui non infimi Patres, vt à Græco homine internosci non possit, vter loquatur. ἢ Πλάτων πλανίζει, ἢ φίλων πλανιζει. Iupiter fortè, si græcè, non alio modo loquatur, vt ait ille. Sed *in meis* (inquit) *Conciliorum certe Tomis non extat, nec ad hunc vsq; diem invenire potui.* Est primò culpa satis lata, tam infœlicem te inveniendi, quæ prompta sunt omnibus. Sed etsi tu non invenias Eudæmon-Iohannes, vel siniſtrè quæritans, vel si fortè Tomi tui non habeant, an propterea tam pulchrum monumentum antiquabitur, quàm est hæc Synodi Epistola, aut Rev. Episcopo fides concidet? Medea mihi in mente, quæ vt est apud Euripidem, παιδῶν ἐκπεσόντα liberos suos noluit, ne apud imperitos, in venefícij suspicionem venirent. Ita enim excellens Episcopi industria, & studium pertinax, & nullo defecta loco scientia, *impostorem* eum & *falsarium* tibi facit videri, imperito homini, atque & harum, & rerum omnium bonarum, indocto. Sed ne multis te teneam, hæc est illa Epistola, quæ in Tilianâ editione Conciliorum græcè, Concilio ipsi præfigitur, itemq; in alterâ Basileensi, libro co cui titulum fecit quisquis erat qui collegit, Θειλέγων διαφόρων συγγράμματα παλαιὰ ὀρθόδοξα, cõtinetq; & Concilia quædam Latinogræca, & alios item bonos authores

Edit. Ann. 1559.

non paucos, vtrâq; linguâ loquentes. Epiſtola certè à nullo vnquam, non pepone, ante hunc diem in dubium reuocata eſt. Vtque tibi de me fatear, quia tu bibliothecam tuam nobis in medio conſtituiſti, non ſum equidem bonis libris tam inſtructus quàm vellem, ſed tamen cum quatuor editiones Conciliorum haberem, quo tempore hæc ſcribebam maximè, vt à duabus abfuerit, in duabus certè reliquis extabat hæc epiſtola, quam tu, Latinos fortè codices ſolos excutiens, nuſquam reperis, quamvis Græcus homo, & non editam ſolùm Græcè, ſed à Græcis Patribus, primò omnium linguâ ſuâ ſcriptam. Vt non malè fortaſſe deinceps facturus videare, ſi Epiſcopum parciùs vel ne omninò quidem peruelleris, quòd libenter Græcis patrum verbis delectetur, ac potius ipſe tibi quæ deſunt in hoc ſtudio adiungas, priſtiniq; temporis inſcitiam diligentiâ corrigas, ne vulpem quæ in fabulis eſt imitatus dicare, amiſſâ caudâ, mox alijs ſuaſorem, vt ſibi ſuas amputarent. Quæ indoctorum fermè omnium praxis eſt.

Iam cum *authentica* ſit Epiſtola, & (qui te timor malè habebat) à Reu. Epiſcopo *nequaquam ficta*, videas cenſeo atque attendas Eudæmon-Iohannes per otium, quanti illa ſint ponderis, quæ in ipſa leguntur, à ſanctiſſimis Patribus ſcripta ad Theodoſium. *Retuliſſe* ſe, & quidem *neceſſariò, ad Imperatoriam pietatem, quæ in Synodo fuiſſent acta.* Veniſſe Conſtantinopolim *iuxta literas pietatis Imperatoriæ*, orare porrò & *Imperatoriam manſuetudinem, ſine ſerenitatem*, vt *ſuffragia Synodi, Pietatis eius confirmentur ſacrâ*, deniq; vt ſicut *Eccleſiam hactenus honorauit literis euocationis ad Concilium, ità ſummam τῶν δοξάντων, i.* & Canonum, & rerum omnium in Concilio decretarum, ſtabilitarumq;, *conſignare velit aſſenſu ſuo.* Quid eſt? Satin' fortè, quę Maieſtas ſit Imperatoris, edoctus es, ex hoc vno Concilio? Quanquam Epiſcopus quidem ex omnibus illis tam laudatis Concilijs, nec longè infra euangeliorum honorem conſiſtentibus, vt rectè iudicat eccleſia, idem eodem loco non

minùs

minùs neruosè cuincit. Sed tu nunc Constantinopolitanum solum arrodis. Metuis enim ne priùs dentes tuos, quàm sententiam illam labefacias, tam solidè fundatam, si ad omnia responderis. Quid autem affers bone vir? *Vocauit*, inquis, *Imperator, sed mandato Damasi.* Exhorrui fateor hæc legens, & execratus sum tantam tamque barbaram audaciam, visusq; videre *meridianam* illam *furiam* quam loquitur Psalmus, luci incursantem, palàm indomitam, & nullo cuiusquam aspectu, nullâ conscientiâ frangendam flectendamve. Imperatorem bone Deus *mandatarium* Damasi? Imperatorem inquam, æuo illo sequestrum egisse, anne assectam potius, aut apparitorem, medium inter Papam atque Episcopos intercurrisse, vt quæ ille sciscereț, iste gnavus homo, servus frugi & diligens, exequeretur? *Concilia enim*, inquit Tortus, *convocata sunt ab Imperatore*, (& succinit *Andreas* noster) *sed in executionem mandati Pontificis.* Me fateor facultas omnis hoc loco deficit, horror & admiratio potius incessit, quo ore, quâ fronte, ac multò magis quâ conscientiâ, hæc ij dicere sustineant, scribere, fingere, quamvis planè desperati, quamuis ad vltima redacti, qui & antiquitatis iter non penitùs ignorant, & si fortè ignorarent, D. Elienſem tamen legerunt, aut legere potuerunt in nobili Torturâ, pag. 167.

Psal. 91. 8.

SED &, *Damasus* (inquis) *conuocat. Fatentur enim hi patres in Epistolâ suâ ad Damasum, quòd velut membra propria, per Imperatoris sanctissimi literas, eos accersiuerit.* Vbi primò, hæc Epistola non magis ad Damasum est, quàm ad Ambrosium, Britonem, Ascholium, Anemium, Valerianum, & nescio quot alios, si inscriptioni credimus. Quos etiam copulant cum Damaso, nec diuerso stylo illum affantur, sed ἀδελφους, &, συλλειτουργους suos pronisciuè vocant omnes, nullâ per Epistolam eximiâ Damasi mentione. Tum quòd Damasus *arcessiit*, at non suâ authoritate, sed vt inibi textus, quasi præstigio tuo tantò antè occurrens, per *Impe-*

CAP. 48.

Theodor. l. 5. cap. 8.

ratoris ſanctiſſimi literas. Mandatum vt Imperatoris executus ſit Damaſus, qui & ipſe inter alios ab Imperatore evocatus, non Damaſi Imperator, abſurdiſſimum ſomnium, & non ſimplici iam helleboro, ſed totis Anticyris, vt ait ille, purgandum. Cur enim, ſi in Damaſo poteſtas fuit congregandi, Imperatoris literis opus eſſet vllis? Damaſusne literas ſcribere non potuit, niſi ab Imperatore adiuuaretur? Vel ſi opus erat literis Imperatoris ad congregandum, non ergò in Damaſo hæc poteſtas reſidebat. Alioqui valuiſſent inquam & Damaſi literæ; niſi Imperatorem, aut tabellarium eius, aut amanuenſem fuiſſe fingis, ſine quo literas vel dare commodè, vel mittere nequiuerit.

At, *vt membra propria arceſſiuiſti nos*, inquiunt. Quorſum hoc? Vt Damaſum *caput*, totum concilium *membra eius* recognoſcamus. Quaſi omnes membra non ſimus mutuò inter nos, μέλη ἐκ μέρους, vt ait Apoſtolus, vel vt alibi planiùs, ἀλλήλων μέλη Rom. 12. Nec Damaſo hæc vt dixi, ſed *eccleſiæ eccleſia*, orientalis occidentali, etiam Britoni, etiam Aſcholio, Ambroſio, cæteris. Deniq; adeò non in honorem, vt potius ὑπεροψικῶς, atque vt intelligant Occidentales, ſe non magis carere poſſe Græcorum auxilijs, quàm membrorum ſuorum. Non poteſt caput dicere, *Non habeo opus vobis.* Quod ſemper occinendum eſt. Imò ipſi hoc declarant, addunt enim ex Apoſtolo, *Ne vos ſine nobis ſoli regnetis.* Quid clarius? Porrò præmiſerat & Theodoretus ipſe cap. 8. in extremo, non vacare obiurgatione quadam, etſi tacitâ, hanc epiſtolam, τὸν ἀμέλειαν αὐτῷ μεμφομένου, inquiens. Quod ecquinam cohæreat cum primatu Damaſi? Quòd ſi meminerit & Epiſtola hæc literarum Damaſi ad Imperatorem, non tamen *inſſorias* eas fuiſſe literas credendum eſt, cum nec mos, nec mores vlli boni hoc ſuadeant, ſed *precatrices* potius & *ploratrices*, quales Leonis non vnæ, nec ad vnum Imperatorem, quòque magis indignere, nullo profectu.

Epiſt. 14. ad Theod. Valent. & Martianum. Item epiſt. 16. & ep. 23.

At

AT defendis & interpretem, qui γράμματα *mandatum* interpretatus eſt. Quod etſi alibi fortè verum ſit, nec tamen hoc loco, nec propriè redditum, nec omninò in interprete, niſi me fugit ratio, ferendum. Cuius eſt verbum è verbo aptè exprimere, non quicquid fuit in re, vel potius interdum eſſe ſolet, diuinantem aſcribere, pro ſuo arbitratu. Sed talibus *interpretationibus* veſtra dogmata nituntur. Et hâc fortè causâ, non fers Epiſcopum ad Græca recurrentem, nec *textus natiui* iam, nec *patriæ tuæ* patiens. CAP. 49.

Verùm Epiſcopus ex eo probat Imperatorem conuocâſſe, quòd dicant Patres, *Literis nos tuis honorâſti, cùm conuocares*, nullâ mentione factâ *mandati*. Et rectè quidem, etſi alibi non rarò, de mandato ſatis claré. Νεῦμα, διάτιγμα, πρόσταγμα &c. Hæccine nullius ponderis tibi videntur? Alter igitur locus ex altero interpretandus eſt. Tùm, quid verbum *conuocares* hic? an parùm magnam iubendi authoritatem declarat? Illi verò & *honorem* interpretantur ſuum, quòd Imperator ſibi iuſſa per literas dare dignatus ſit de coeundo, nec eſt idem etſi fremas, *literis Reuerentiæ veſtræ*, &, *mandato Reuerentiæ veſtræ*, ad iter nos præparauimus, quia illæ *monitoriæ* eſſe potuerunt, *iudicatiuæ* meræ, hoc poſtremum ἐξουσίας eſt, quam non habuit niſi Imperator. Interim nihil reſpondere auſus, *de obſignatione clauſulæ* per Imperatorem, vt hac potiſſimùm in clauſu'à locum iſtum obſignem. Etſi verba illa repetuntur, & ab altero Conſtantinopolitano, in Epiſtolâ ad Iuſtinianum. Tanti ſunt. Δι' ἐυσεβῶν ὑμῶν ἐπιστραγίδος τὸ δόξαν τοῦτο τέλος.

NAM quod attinet ad authores illius Epiſtolæ ad Damaſum, vtrumne *Patres ij Concilij ſecundi generalis fuerint, annon*, fateris ipſe cum Bellarmino tuo non fuiſſe *ſecundæ*, perſtas tamen pertendiſq; quòd *œcumenici*. Vbi primò, *œcumenicum* quomodò à Papa diuiſum? Nam Damaſus in Occidente, & cum toto Clero ſuo, dum ij ex Oriente ad eum ſcriberent. Deinde ſimplex congreſſus Epiſcoporum, CAP. 50.

quamuis multorum, non facit Concilium. Non enim materialis coitio in vnum, vt tu peracutè paulò ante pag. 175. Quare absurda est consecutio, quà vteris hoc in loco. *Pars maxima Episcoporum, qui secundam generalem Synodum celebrârant, Constantinopolim ad hoc Concilium conuenerunt*, ergò, Eodem iure quo illud, œcumenicum est & hoc. Qui tandem quæso? Cùm præsertim *noui nihil definierint*, vt ipse ais. An ver erat, vt cuculi carmen suum iterarent? Postremò, vt semel dicam, nos non recipimus has effrontes additiones vestras ad numerum generalium conciliorum, sicut anteà Sardicensis, sic nunc etiam Constantinopolitani nescio cuius ἀγνώστου. Imò insignis desperatio vestra hinc imprimis coarguitur, nec minor temeritas, Concilia concilijs, etiam œcumenica œcumenicis, non minùs facilè superstruentium inædificantiumq́; , quàm aut lepores ἐπιτίλλουσι, aut in hortis illis Alcinoi, vno quouis decerpto fœtu alter subnascitur,

—ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ, σῦκον δ' ἐπὶ συκῇ.

De Constantinopolitano hæc.

CAP. 51. 4 De Concilio Lateranensi Parall. pag. 150. &c.

REstat *Lateranense*, de quo breui. Quis enim te ferat *hunc laterem lauantem*? Id in nullo ne conciliorum quidem, nedum autem generalium numero hærere, non est quòd alijs testimonijs probare conemur, quàm quę extant apud Episcopum, quæq; ab omnibus legi possunt: quæ à te permiserè succutiuntur ni Andrea, sed aliquid tentandum fuit, ne penitùs intercideret sua fulcro authoritas, inter vestra haud infimo. Paulò antè Sardicense, mox Constantinopolitanum, nunc etiam Lateranense generale nobis procudis, vt vix multis quandoq; sæculis, tot Ecclesia concilia generalia celebrârit, quot vos quidem Iesuitæ momento nobis datis, & concinnatis, vbi visum est. Sedenim summa probationis, de *Lateranensi legitimo*, tibi in eo vertitur, quòd alioqui *Gregorius nonus, auctor compilatorq́;*

Decre-

Decretalium, niſi intolerabiliter impudens, non meminiſſet, vt facit, Lateranenſis Concilij, tam paucis poſt Patrum conventum annis, & recente memoriâ, & ſuperſtitibus tum pleriſq; , qui eum congreſſum agitârant. Tota ergò controuerſia eſt de Gregorij noni integritate atque fide. Nam nec alijs argumentis vllis abundatis, ad auctoritatem huic Concilio vendicandam, & tamen nulla tanta *ſyncericas* Gregorij prædicatur, quin quod alij nõ pauci factitâſſe reperiuntur, id de eo etiam ſuſpicari iure poſſimus, vt ad amplificandam eccleſiæ ſuæ veſtræq; dignitatem, paululum etiam tum inflecteret, τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα καλῶν, vt ait Apoſtolus, quod vos quidem, eſt vbi, Papę iam *de claro* arrogatis, vt *creator* ſit. Sed quod attinet ad ſuſpicionem impoſturæ Gregorianæ, Bellarminus certè Acta ipſa iudicij Seruatoris noſtri corrupta eſſe ſignificat, & corrupta eo ipſo tempore, quo non modò non interierat earum rerum memoria, ſed & perrecens planè fuerat, & ab Euangeliſtis adeò Domini noſtri, non vno libro, neque ſimplici hiſtoriâ, vel euulgata iamdudum, vel quamprimum euulganda. Locus eſt in Torto, quem meminiſſe te arbitror. Nam mihi liber ad manum hęc ſcribenti non affuit. Porrò Gregorio eò facilius erat, de Lateranenſi Concilio, hoc quicquid eſt, comminiſci, propterea quòd & veri ſimilitudinem aliquam habebat, (*agitatio* enim fuerat, *diſceptatio*, *diſcuſſio*, ſola *definitio* deſiderabatur, ſine quâ nihil ſynodicum conſtare poteſt,) & haud admodùm verendum erat, ne quis contra inſurgeret, quæq; ad Eccleſiæ vel ambitionem vel honorem pertinerent, ea ſtudioſiùs refutaret. Ac dic obſecro *tu* nobis, reſponde inquam *tu*, qui perparum illud ſpatij, quod inter Concilium & Gregorij noni Pontificatum interceſſit, tam accuratè dimetiris, tam ſubtiliter ſupputas, novus Archimedes, quid factum Canonibus Lateranenſis Concilij? quò abierint? quomodò amiſſi ſint? quâ calamitate, quâ ſtrage tam extraordinariâ atque inſolenti perierint tam citò? Periſſe enim & tu ſignificas, imò dicis apertè,

Papa mutare in rerum natura potest, & de nihilo aliquid facere. Glossa in caput, *Quanto perſonam*, de Translat. Epiſc. in Decretal.

pag.

pag. 183. ac nisi illud fateamur, ridiculissima res existet, ipsum vt scipsum concilium citet. Sed dic inquam. Si satis longum erat spacium ad id, vt Canones interirent, cur non etiam vt de Concilio falsum crederetur? Si tempus iustum non erat persuadendo mendacio, tantùm propter recentem, vt ais, hominum memoriam, ecquinam quæso Canones & adhuc recentes disperirent? Simulne illi editi & extincti sunt? nati denatiq; eodem momento? Fungosne an herbas solstitiales tu nobis narras, an bestiolas ad Hypanim, aut quicquid magis fluxũ est hortisq; illis affine, Adonidis nisi fallor, ἐκ θρὶδ ἐκων ἀμφιδρόμων? An statim post Decretalium compilationem euanuerunt? Quasi tempus ipsum atque diem expectásse dicas, vt cùm nescio quid Gregorius in Commentarios retulisset, statim illi se subtraherent, ad manesq; descenderent. Tùm, quæ custodum tanta incuria? quæ thesauri negligentia? quis contemptus iste canonum? Quàm longè illi absupt ne *obseruent* canones, qui ne *seruant* quidem? Postremò quæ fortuna, quis casus abstulit? Quomodò tantum *inferorum portis* contra *ecclesiam* licuit? Sic voces diuinas temerè aboleri? Ac parumne magnum periculum adijt vniuersum corpus canonum, cùm ipsi etiam recentissimi tam perditè habiti, vel planè potius perditi, si tu vera narras? Quibus quidem detractis, quis nescit quàm infirmentur opes Ecclesiasticę, quàm graue vulnus disciplinæ infligatur?

Exaggeras nobis numerum scilicet eorum qui Concilio interfuere, & *plus mille ducentos viros grauissimos* crepas. Quorsum hoc? Si vt Canones custodirent, est aliquid quod dicis. Video enim quò plures sunt grauioresq; homines qui conseruant, eò sartiores tectioresq; tabulas fore. Si vt impostura refellãt, at cur non ijdẽ mendacio aditum patefaciant, qui in authentico conseruando tam sunt socordes? Mihi enim vicina hæc inter se vtraq; videntur, & qui alteram facit, alterum non omissurus, falsos qui libenter canones propulsat, in veris custodiendis minimè etiam dormiturus.

miturus. An *malè parta*, vt ait ille, *malè dilabuntur*, & fraude obtrusa citò euanescunt, nihil fictum, nihil simulatum, potest esse diuturnum? Rationem omninò aliquam nobis reddas oportet huius tui cõmenti, Eudęmon-Iohannes, historiã cites, tẽpus notes, casum describas, aut concedas, si, quę Platina sentit, nos etiã sentiamus, in *Concilio Lateranensi nihil decerni potuisse, apertè* saltem, i. *Canonicè* certè.

NIHIL, inquis, *quod attinebat ad expeditionem Asiaticam*, cætera satis commodè. Hominem præposterum, qui quod vnum *decretum est*, id vnum non *potuisse decerni* aiat, *decreta* dicat quæ *indecreta* maximè. Quale hoc de expeditione; quæ ecquinam non *decernitur*, Can. 71.? *Ad liberandam terram sanctam*, & quæ sequuntur. Vnde etiam titulus est apud Surium, *Expeditio pro recuperandâ terrâ sanctâ*, pag. 754. Cætera autem quæ ille iactat, nullo loco tam *decreta* sunt. *Otiumne* (inquit) *deerat, quibus potestas non defuit, vt Ioachimianas speculationes similesq; damnarent?* Audi sodes Platinam tuum, & aliquando evigila. *Improbauit Innocentius* IPSE *Abbatis Ioachim libellũ, damnauit* IPSE *Almericum.* Non ergò Concilium, sed Innocentius. At *otiumne*, inquis, *deerat?* Et quidni inquam defuerit, caput petulcum, cum intestina Christianorum inter se terrâ marique bella, nec parùm solicitos patres habuerint, & causam cuique dederint ad se quamprimum redeundi? *Simulac aliquis novus motus bellicum increpuerit, nobis omnia haec studia de manibus excutiuntur.* Recognoscis opinor vocem, & viri disertissimi, & delicij tui. Nisi *carmina* (vt ille ait) similesq; nugæ, *non possunt nisi à sedato animo vacuoq; proficisci*, quippe quæ *secessum & otia quærunt*, *Canones* possunt, quorum tantò grauior est ratio, atque haud scio an rerum omnium in Ecclesiâ longè grauissima. Matthæus Paris certè author est, Innocentium ad *Pisanorum & Genuensium componendas controuersias se contulisse, reliquos similiter cupidos ad sua redeundi, veniam à Pontifice petisse sigillatim.* Illum

CAP. 52.

Cic. pro Murænâ.

In Innocentio.

concessisse sub stipulatione pecuniæ; grandis quidem.

CAP. 53. SED quia causa in eo nititur, an Gregorius nonus tam impudens fuerit, vt mendacium orbi obtrudere ausus sit, tuq; nihil præterea habes quod pro Lateranen[illegible] tuo venditès, cur legitimum numeretur, atq; etiam generale, si Ecclesiæ placet, concilium, ostendam ex te ipso, satis familiariter vt ego existimo, rationibusq; ijs quas hoc loco adhibes, talem impudentiam non esse incredibilem. Cur enim Gregorius nonus non *simularet* Concilium, quod etsi nunquam fuerit, non longè tamen ab eo abfuit vti esset, cum tua *dissimulatio* hic longè turpior existat, longèq; odiosior, vt mox demonstrabo? ille præsertim eo seculo, quo omnes omnia bona de Pontifice dicere, atq; in illius partes propendere, tu, cùm in speculis homines existãt, cùm contentio gliscat, cùm virum incomparabilem in te irritaueris, cuius non superstitibus modò literis, sed recente adhuc paginâ, & propemodum calente, revincaris. Miraris fortè quid velim, accipe igitur. Ex Episcopi argumentis, cur non sit γνήσιον Lateranense, tu ista delumbâsti, contentus
1 cum leuioribus nescio quibus rixari. Primò, quòd tres Canones eius pergraues, nunquam in vsu apud nos fuerint, vt de *solutione subsidiorum inconsulto Pontifice*, *de viribus præscriptionis*, *de bonis Clericorum super hæresi convictorum*, quod omninò non sic esset, si Concilium hoc generale fuisset, istaq; sanxisset; apud omnes enim Christianos vim suam habuisset, Christiana autem Anglia nostra, *tum* saltem. Augustinus, nisi fallor, *Leges non antè ratas esse, quàm utentium moribus approbentur.* Generali certè Concilio nunquam tam palàm reclamatum fuisset. Hoc primum.
2 Adde, quòd quasi diffisi constitutioni suæ Lateranensi tres Pontifices maximi, Innocentius, Alexander, & Clemens quarti, ad Fredericum Secundum Imperatorẽ decucurrerunt, pro eo sanciendo, quod Lateranense Concilium iamdudum edixerat, si tu vera naras, *de ratione*, viz. *agendi præceden-*

cedendiq; contra hæreticos. Quod nunquam feciſſent, ſi Lateranenſe legitimum Concilium putâſſent, vt quod illud ſanxiſſet, niſi à Cæſare roboratum, vim nullam habiturum exiſtimâſſent. Etiam tertium. *Primus Cochlæus hoc Concilium edidit* (cui autem ignota ſunt Cochlæi mendacia?) *idq; anno demùm* 1538. *Nam qui triennio antè Concilia ediderat Iacobus Merlin, nullum tùm quod ederet huiuſmodi habebat.* Grauis coniectura. Sed Epiſcopus ne in hoc quidem definit. *Matthæus* (inquit) *Paris qui tum vixit, audiatur.* Et iure quidem. Quid igitur ille? *Concilium illud generale, quod more Papali, grandia primâ fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcommata deſijt, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omneſq; ad id Concilium accedentes, ludificatus eſt.* Quæris à me *quomodo*? an ſatis notæ ſunt tibi rationes Pontificis tui, etſi nullus explicem? Laboribus benè fractos, etiam pecuniis exhauſtos, domum dimiſit. *Quæſtuoſum Concilium diſſoluit gratis* (inquit Matthæus) *totuſq; Clerus abijt triſtis.* Interrogâras tu paulò antè, cur quæſtiones Ioachimi determinari non poſſent, *vtrùm eſſentia generetur in diuinis &c?* Vides iam ad *quæſtum* rem clarè ſpectâſſe, non ad *quæſtiones*, Innocentium ad Genuenſes, Piſanoſq; pacandos feſtinatò cucurriſſe, reliquos (hiſtoriæ verba ſunt) *redeundi ad ſua cupidos, oràſſe veniam atque abiiſſe*, λάτρῳ tamen prius ſoluto, CUM NIHIL GERI IN TANTO NEGOTIO CERNERENT. Quòd ſi *nihil geri*, quomodò ergo Canones, vt tu dicis, condi, quæ NEGOTII eius ſumma fuerat, finis tanti tamque celebris conventus?

Atque hæc non ideò ſolùm affero, vt verum eſſe convincam, quod tu exagitas in Epiſcopo, *In Lateranenſi Concilio nihil decretum fuiſſe* (verba Platinæ) atque adeò *ne potuiſſe quidem decerni*, ſed vt vanitas argumentationis tuæ de Gregorio nono magis magiſq; derideatur. *Reuerituſ* (inquis) *fuiſſet conſcientiam mortalium.* Nimirum vt tu noſtram Eudæmon-Iohannes, & quicunque ex toto orbe rationes has

3

4 In mſs. hiſt.

tuas ſpeculantur, atque obſeruant, tam ſplendida, tam luculenta, Reu. Epiſcopi argumenta præcidentis: & ne ea quidem ſoluentis, quæ ſola carpis, à cæteris diuiſa.

CAP. 54. Paral. pag. 183. &c.

VLTIMUM illud eſt, quòd Epiſcopum ais dicere, pag. 379 Torturæ, *Tortum agnoſcere doctrinam de poteſtate Pontificis in Principes, non ante Lateranenſe Concilium, i. Seculum ipſum decimum tertium approbatam*, ex eoq; illum colligere, *doctrinam eam nouam eſſe, ſi cum antiquâ conferatur.* Quid hic quæſo reprehendis, magne mendaciorum teloniſta poſt Matthęum? Nam primò tuum eſt illud mendacium, paginam Torturæ 379 nobis notantis, vbi nihil tale reperitur, nihil ne leuiter quidem ſapiens Concilium tuum Lateranenſe. *Culpa typographi*, forſan inquies, *alibi tamen id dicit.* Neſcio, niſi hoc ſcio, cum tribus locis ante cæteros, Epiſcopus de Lateranenſi Concilio peroret, vt p. 209. p. 211. p. 214. &c. in illis nihil exſtare huiuſmodi, atq; adeò nec in eo loco quem tu nobis notâſti. Vtrum autem omnino, id penes tuam, ſi volet Lector, fidem conſiſtat. Ego enim, etſi *Torturam* libentiſſimè peruoluo, nondum tamen ità edidici, etſi aueo id quidē, vti omnia meminerim, reſpondebo tamen & ſic breuiter, quaſi concedens. *Nouum* (inquis) *eſt Epiſcopo, ſiquidem primum in Concilio Lateranenſi definitum.* Et hoc te angit ſcilicet. *Definitio enim fortè recens*, (ais) *doctrina ſat vetus.* Quid ſi autem nec omninò ibi *definitum*? *Præſumptum* potius, vt acutiſſimè Epiſcopus, *incidenter* id quicquid erat, non *conciliariter*, *praxis* fortè aliqua, (& ad eam ibi reſpectum) *ſanctio* nulla. *At*, *& ſat longè* (inquis) *antè, ſub Gregorio ſeptimo. Executio*, ſi vis, *auſum, facinus*, ſed nec tum quidem *lex*, niſi prout *ſua cuiq; lex ſit dira libido*, vt ait ille. Imo *extat* inquis *apud Baronium in dicto Papa ad annum* 1076. Quinquam ego non habeo eum honorem Baronio, vt de talibus conſulam, & ſi conſulere vellem, fateor me impræſentiarum libro deſtitui. Sed quid tandem extat? *Imperatorem à*

Pon-

Pontifice deponi iure posse. Si quæris, quo authore? Hildebrando scilicet. Is depositurus Imperatorem, pronuntiat *se id suo iure facere posse.* Præclara authoritas. Dixit Hildebrandus, & dixit, quod tum facturus erat, iustè se posse facere, *ergò licuit.* Quasi quisquam id faciat, quod quo tempore facit, non omni modo asserturus & venditaturus videatur, pro iusto, procq; legitimo, quamuis nefariũ. Nã & qui sanctos occidũt, putant se λατρείαν præstare Deo. Ioh. 16. Nec dissimilia Arist. in Ethicis, ni fallor, *Omnis malus ignorans,* & quæ sequuntur. Ostenderes nobis aliquem, si non ex ævo illo prisco, attamen integrum & incorruptum, atque à partibus alienum, qui hoc dogma comprobaret, vel δαῖμον potius. Si hoc non potes, novum est, & res nouæ, quicquid reluctéris. Nec Tortus taciturus erat, si antiquiorem aut Innocentianâ illâ doctrinam atq; legem, aut Gregorianâ hâc praxim in medium afferre potuisset. Nullam attulit, nullam designauit. Meritò proindè novum, quod in Lateranensi Concilio primò sic exortum. Atque hoc illud est, quod vir optimus eruditissimusq;, singularis Iurisconsultus, amicus meus in paucis, I.C. (præfert enim Iurisconsultum ipso nominis hieroglyphico) sapientissimè respondit, cùm Bellarmini ad Barclaium ante aliquot menses ei legendum obtulissem. Interroganti qui probaret, *Causam* (inquit) *suam prodit, inopiamq; manifestat & à limine ipso, pro Cyrillis & Cyprianis, pro Athanasijs atque Augustinis, à Sotis & Covarruvijs nescio quibus, à Sylvestris & Quintinis, probationes suas repetens, nihil primigenium ne vultu quidem præ se ferens.* Sed audiamus Episcopum. *Tam multæ antè hæreses erant in orbe Christiano, tam strenuè à patribus semper obuiam ijs itum est, & nulline vnquam in mentem venit de depositione cogitare, ante Concilium Lateranense?* Est profectò quod dicamus, *Ante Concilium Lateranense non fuit sic.* Novum ergo. Ac ne tum quidem *definitivè, præsumptivè* tantùm, *incidenter, militariter,* potius quàm *canonicè. Significetur Pontifici, qui soluet, qui concedet.* Nec vel

sic tamen tangit *Dominos principales*. Quod insigne est ad hanc causam, & ab Episcopo iam monitum. Sed tu nihil sapis. Cætera videamus. De *Conciliis* expeditum, restat *historia. Hildebrandum* tamen & *Depositiones* ne sic quidem effugiemus. Noua accusatio, sed argumentum propè idem.

CAP. 55.

II

Defensio Ecclesiast. de Rebellionica vener. Paral. pag. 186. &c.

Otho Frising. l. 6. c. 35.

ENIMVERÒ garris adhuc impudentissimè de Gregorio tuo septimo, quasi primus is non fuerit ex omni serie Pontificũ, qui Regum deponendorum sibi ius arrogârit, & *mireris* Episcopum id pluries dicere, cum nobis magis meritò *mirandum* videatur, quòd tu semel modò id negare sustineas. Quid enim est clarius quàm quod Frisingensis, *Lego & relego Romanorum historias, nec vsquàm inuenio &c.* Non modò non *viderat*, sed nec *audierat*, nec *legerat*, & vsu & literis vir contritissimus, quod Gregorio facitante mundus obstupuit. De exemplis quæ affers, vt contrariũ euincas, quàm facilè dissoluero? Quot authoribus, quàm locupletibus, illud infirmâro, quod tu nullo, nec commentitio quidem authore nominato, ita conuolvis, vt intra tuam solius authoritatem claudatur? *Translati* viz. *imperij à Græcis ad Francos*, in *Romanos Pontifices* causam refers. Vis eos huius facinoris architectos fuisse. Quod rectiùs in rempublicam vniuersam contuleris, nec magis Pontificem, quàm Senatum cum eo totum, populumq; Romanum. *Pontifex, Senatus, populusq; Romanus, imperium transferre intra suo in Germanos, Carolumq;, tacito Senatusconsulto, plebiscitoq;, decernunt.* Aventinus. *Romani populi factum hoc consensu*, inquit Nauclerus. *Scito rogatuq; populi Romani*, inquit Sabellicus. *Populi Romani scito ac precibus*, inquiunt Platina & Blondus. Denique nihil est apertius, quàm non fretum Cathedrâ suâ Pontificem Romanum, sed Italiam vniuersam, tempore arrepto, & sub Græcorum Imperatorum iniurijs laborantem, communi consensu iugum excussisse. Ita Sigebertus, ita Aeneas Syluius, ita alij.

Annal. Boior. l. 4. Volum. 3. generat. 27. in anno 800. Ennead. 8. l. 3 Platin. in Leo. Blondus Decad. 2. l. 1. Sigebert. in anno 801. Aeneas Syl. de author. Rom. imper. c. 9.

Nec

Nec verò Gregorius secundus, quod alterum exemplum à te allatum est, *subiectum Leoni Isaurico populum obedientiâ solvit*, quicquid tu ex Baronij annalibus mussitas, rana ex vastiore palude quidam. Iterùm ergò mihi citandi sunt luculenti illi, & primarum quod aiunt partium historici, qui *Theophanem* & *Zonaram* tuum contundant. Aeneas Sylvius cum Blondo disertissimè, *Refugisse Pontificem, ac nequaquam populoribus consilijs assensum, de Leone exauctorando, & novo in eius locum Imperatore subrogando, quòd si viam rediturum & sanioribus consilijs acquieturum Leonem non desperaret.* In eandem sententiam Paulus Diaconus. *Nisi Pontifex vetuisset, alium Imperatorem super se creâssent.* In eandem Regino, Nauclerus, Sabellicus, nec abluit Platina vester. Apparet deniq; ex literis Gregorij 2, & Gregorij 3 ad Leonem. Quorum ille, anno septimo Imperij Leonis, alter 27 ad eum scripsere. Vterq; autem in *data literarum* ad hunc modum, *Imperante Domino piissimo Augusto Leone*; quod nunquam fecissent, si populos ab obedientiâ eius, ipsi præsertim, soluissent. Extant apud Aventinum lib. 3. Annalium, & Marianum Scotum in annis 727 & 741. Multa restant, sed modus seruandus est. *Quæret*, vnde ergo id hausit Zonaras, quod de Pontifice hoc totum miscente obtrudit? *Respondent* nostri, occultè forsan id egisse Pontificem, clandestinis consilijs eò annisum esse, sed non ausum esse palam sibi tale quid assumere, nec de Imperatore exauctorando vel semel cogitare. Quod ad te revincendum satis est. Nam quod ais *Excommunicatum* synodicè Leonem à Pontifice Romano, ostenderes *depositum* aut *exauctoratum* synodicè, & aliquid diceres. Cum quæstio de religione vna grauissima agitaretur, facile sunt Pontifici, etsi errorem souenti, omnes secus sentientes excommunicatione inuoluere, inter quos fortè Imperator.

Aen. Sylv. in Dec. ad Blond. l. 10. decad. 1.

Dec. 3. lib. Annal. Leon.

Dz *Childerico* rectè facis, quòd *de eo omittis*, credo equidem ne ad *Childericorum* ipse numerum aggregeris. Quid

CAP. 56.

Quid enim Zacharias nisi *consensit deponentibus*, vt glossa vestra? Atque in responso ad legatos multò etiam timiditis, ne dicam absurdiùs. Non modò non interponit authoritatem ipse suam, sed rem totam ad populum perspicuè reuocat. Tu tamen eos fingis, Childerici deponendi potestatem sibi fieri, à Pontifice, petijsse. Quasi idem sit consilium alicuius exquirere, ac quatenus quicque liceat percunctari, & orare vt sibi veniam faciendi indulgeat. Quis te verò Zacharia arbitrum constituit? Non dices, scio, ipse, nec ad te reuocabis: vt ad hominem enim diuini iuris haud imperitum, nequaquam autem deponendi potestate præditum, Gallicani illi proceres legationem misere, tuamq; sententiam exquisiuere. Eòq; magis, *quòd Parisiensis Academia nondum* floruit, ait Maior in 4. distinct. 24. q. 3. alioqui ne *prudentiam* quidem *externam* flagitâssent, *domesticâ* contenti. Sed *authoritatem* certè nusquam *Romanam* implorârunt. Nec Gulielmus ille Conquestor mente aliâ ad Alexandrum. Quanquam Ingulphus, quem tu citas, *præproperam* non vocâsset Gulielmi *querelam*, nisi fortasse vt insolentem damnare vellet. Tantum abfuit vt vel temporibus ijs planè probaretur. Quicquid autem sit de *vexillo*, quod legitimæ, vt inquis, victoriæ *munus* accepit, quasi *munera* victoriæ ante bellum dari soleant, *omina* fortasse, Gulielmus certè Conquestor, & acumine eo fuit, vt ius suum non inter infimos Angliæ Reges intelligeret, &, animi, vel magnitudine, vel constantiâ tantâ, vt haud facilè insultanti Pontifici cederet. Etsi autem campum nullum illustrem ei fortuna attribuit, in quo excurrere eius virtus cognosciq; posset, tamen apparuit mox in filijs eius, Gulielmo, atque Henrico, quam illi quasi venam à parente suo traxerint, quibusue institutionibus sub eo, pueri, creuerint. Notæ sunt controuersiæ vtriusque cum Anselmo, etsi huius quidem ex magis, quò maiores ex fuerunt. In quibus Henricum, antè spiritus quàm voluntas defecit, & Anselmum perdomandi, & exotici principis iugum iussumq; repudi-

*vt oleridam S. Barchardum apud Aventinum, p. 299 l. 3.

andi.

andi. Quòd ſi rectè nobis Matthæus Paris ingenium hominis expreſſit, næ ille mjllies priùs Româ Pontificem exegiſſet, cum omni cætu Cardinalium patrumq; purpuratorum, quàm poteſtatem ei aliquam, non modò ſui deturbandi, ſed vel regni ſui in minimis ſe invito gubernandi, detuliſſet. Parumne autem clarè Matthæus quem iam dixi, cùm de Gulielmi recurſu ad Pontificem loqueretur, *Ne*, inquit, *temeritas cauſam deformaret*? Non enim vt veniam faceret Pontifex, vt poteſtatem concederet, ſed tantummodò vt Gulielmus ne nimis calidus videretur, ſi ſuopte ingenio rem tantam incæptaret, cum nullo priùs ſancto homine communicato conſilio. Imò Ingulphus luculentiſſimè, ad extremum hiſtoriæ (nam quæ tu ex eo citas nuſquam reperio, nec ipſe adiuvas) in cognatione & conſanguinitate cum Rege Edovardo (non in neſcio quo ſummi Pontificis indulto) Gulielmum Conqueſtorem *conſcientiam ſuam invadendi regnum Anglia fundâſſe aſſerit*. Quid neruoſius? Ac nihilne de *Edovardi Teſtamento* audiuiſti? Quod cùm genus donationis ſit, vna eſt etiam ex rationibus ijs regni adipiſcendi, quas Bellarminus quatuor memorat, de Pont. Rom. l. 5. c. 4.

Henricus. Elricus. Villerm. Dunm.

CAP. 57.

IAM quale illud, & quàm argutum? *Pontificem non fuiſſe in cauſâ, cur Henrici quarti cadauer mortui, humo donatum, exhumaretur. Quia poſtridiè humationis exhumatio illa inſecuta eſt, teſte Vrſpergenſi, & non poſſunt mille millia paſſuum vltrò citrò, biduo decurri.* Quaſi quòd Leodienſes ad pacem recipi non potuerunt, niſi effoſſo & exhumato cadauere Henrici, id à filij impietate in patrem defunctum, potiùs quàm à conſilijs Pontificijs, & dirâ quadam parendi neceſſitate dimanâſſe, credendum ſit. Mihi igitur illud Pontifex iuſſiſſe videtur, quo niſi perfecto, implacabilem animum Pontificis futurum fuiſſe conſtat. Nec dubiè Mutius ille, quem tu pro te citas, idem ſenſit. Cùm non auſus hoc *odio* Henrici iunioris in patrem tribuere, demum

Parall pag. 190. &c.

ad *simulationem* clarè refert *quâ*, inquit, *Ecclesiasticis inservire videri voluit.* Ecclesiasticus autem quis Henrico infensus, nisi aut Pontifex ipse primò, aut qui eius simultates persequebantur, & ex illius consilijs toti pendebant, tanquam annuli Platonici ex magnete suspensi, vt ait ille? At enim illud in magnam gratiam Pontificiam deputandum est, siquidem te audimus, quòd non *planè insepultum Imperatorem abieecrit, sed Christianis duntaxat exequijs priuârit.* Quanquam disertè Vrspergensis, quem tu solum sequeris, & nescio quâ causâ Viterbiensem repudias, (agis enim Aristarchus delectum authorum, & cum limâ tuâ politulâ atque elegantulâ radis quos vis, quos vis beas) ne ab eo quidem abhorruisse vult conditionum Leodiensibus latarum authores, vt *planè insepultus* contabesceret Henricus. *Vel* enim *exhumatum*, inquit, *absq; vllâ sepulturâ, vel certè sine exequiarum communione* (Christianarum) *in loco non consecrato deponere iubebantur.* Tam securi illi erant de funere tanti viri, in quibus genium ipsum Pontificis regnâsse credendum est, vt antè dixi. Sed esto. Viterbiensis testimonium apertè contemnis, cuius illud est enucleatissimum, *Mandato Romani Pontificis Henricus è cæmiterio eijcitur.* Tum versus qui consequitur,

Chron. part. 17.

Papa caput Cleri, iubet hinc corpus remoueri.

Si negas à Pontifice *iussum corpus remoueri*, nega Pontificem *caput Cleri.* Nam versus, vt vides, vtrumq; connexuit. Quid verò quod sequitur?

Filius ossa Patris doluit fore cum sceleratis.

Non igitur in filium causa sceleris referenda est, qui quicquid fecit, à Pontifice compulsus fecit sine dubio, alioqui non *doliturus.* Sed vrgent te alia. [a] *Mortuum Papa humari non iuit*, inquit Helmoldus. [b] *Pontifice eum sepeliri vetante*, inquit Sigonius. [c] *Hortatu Papæ*, inquit ipse Binnius. Quę cùm totidem verbis apud Episcopum extarent, tu vmbram allatras, & Viterbiensem subrodis, ad tam multa, tam ponderosa, nihil mutis. Ex quo facile iudicium est de cæteris,

a lib. 1 c. 33.
b De regno Ital. lib. 9. in fine.
c In paschal. 2.

quæ

quæ carpis, *circa necem Philippi, atemq; Frederici*, vt non intelligam, quin hæc omnia prætermittere potuerim, & tacitis lectorum iudicijs relinquere, cùm tam turpiter vulpinantem te hîc deprehenderimus. Sed in eo quidem obsequamur vel temporis angustijs, vel consilijs nostris. Vrges ad extremum de Rege Iosiâ, *qui impiorum ossa flammis exhumata concremauit. Vt etiamsi hoc Papam fecisse constaret, tamen non sit cur reprehendendus* tibi *iure videatur*. Quod exemplum eo potiùs valet, si quid ego iudico, vt Henrico in Gregorium aliquid licuisse, nihil autem Gregorio in Henricum, probet. Vter enim horum, quæso, Iosiæ vicinior? Nec tamen à prisco illo tempore, & extraordinariâ ratione, ductum exemplum, ad Christianum sæculum, nisi peruersè, accommodatur. Parumne opportunè olim Seruator, Eliam imitaturis in deuocatione flammarum, *nescitis cuius spiritus sitis*? Et Dauid sub serras vomeresq; victos egit, quod Christiana mansuetudo hodie non recipit. Porrò indignus propterea habitus, qui templum Domino exædificaret. Nedum is iam *Christianus* & *Sacerdos* probetur, qui furorem vltra cineres ipsos extenderit. Nam quòd Henricum *Simonia* notâ inuris, scimus quid *simoniam* vocent Hildebrandici, & satis expressum est in capite *Nos sanctorum*, non quod piè Chalcedonenses, ἵνα τῶν κατὰ γαγεῖν τὴν ἄπρατον χάριν, sed, *si quis Clericus à Laico beneficium quouismodo accipere consentiat*. Quæ sola vtinam *simonia* hodie regnaret in orbe terrarum. Non dubitaremus & primitiuam puritatem lacessere. Sed quod dolens dico, Cleri vestri corruptelę effecêre vt optandum sit, plures hodie Patronos & in Laicis numerari.

Can. 2. Platin Greg. 7. vide caus. 16. q. 7. § Si quis deinceps. Vide Sotum de Iust. & Iur. vbi de Simoniâ.

DE *minis Innocentianis* Philippo intentatis, "*Aut ego Philippum aut ille me*, nescio quid tergiuersaris ex verbis Vrspergensis, quòd addit, *se ab aliis accepisse*, &, *difficile esse relatu*, &, *vix credendum*. Vbi pulchrè Episcopus, *vix* inquit *credendum, sed credendum tamen*, & similia sat multa. Vnde

CAP. 58. Parall. pag. 194. &c.

" ἐμὲ ἀπαιτῆ ἢ ἐγὼ αὐτόν.

verò hiſtorias ſuas ſcriptores componerent, niſi non ſolâ obſeruatione atque experientiâ niterentur, verùm aliquid interdum famæ, dummodò conſtanti, tribuerent? Quòd enim ait, *vix credendum, & difficile relatu*, timiditatem hominis ingenui ſignificat, & in tam barbarâ Pontificis oratione obſtupeſcentis, non fidem rumori pervagato abrogat. Sic alicubi ille tuus, numquid verò non meminiſti? *Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ſic accepimus*, & cætera præclarè. Quo dicto non in dubium narrationem ſuam adducere, ſed grauitati duntaxat eorum, de quibus verba faciebat, conſulere voluit. Idem fortè Vrſpergenſis. Alioqui, &, quod prudenter expendit Epiſcopus, *non primus* in hoc tam diro exemplo *Innocentius*, vt tam ægrè credere hoc Vrſpergenſem oporteret. Etiam Gregorius ſeptimus, Henrico quarto eadem interminatus, de vitâ vel tollendâ atque eripiendâ alienâ, vel amittendâ ſuâ. Quòd Epiſcopum lectori fucum facere voluiſſe ais, qui quæ verba ſunt ſua, minuſculis literis ſcribi curauerit, tanquam ſi eſſent Vrſpergenſis; eſt primò ridiculum, te queri auſum eſſe de typographicis rationibus, qui eum librum nobis dederis, quo nullus vnquam nec *vicioſior*, *nec vicioſiùs* excuſus eſt, adeoq; multa in hoc eodem genere peccat ipſe. Deinde credo operarum hoc crimen eſſe totum, quę vt ſolent compenſare, paulò etiam pòſt, ea maiuſculis literis pinxere, quæ fallor an minuſculis exprimenda fuerant, *quòd aut tu morereris, aut mihi animum regnumq; tolleres*. Verba ſunt Hildebrandi ad Henricum quartum. Quod citra Epiſcopi conſcientiam factum eſſe liqueat, cùm liquidiſſimum teſtimonium eius non parum obſcuret. Denique animaduerto in lectione Torturæ, quod tu niſi læuus non obſeruare non potuiſti, varietatem typorum non ideo ſemper adhibitam, vt auctoris orationē ab alienâ diſtingueret, ſed vt quædam *nerueſiora* ſic *eminerent*. Cuiuſmodi hoc eſt de *fide dignis*. Quòd autem vſque inficiaris Innocentium authorem fuiſſe Philippi trucidandi, & Apologiam proin-

De Orat.2.

Ex conſtit. Imper. Henr. 4. ad annum 1080.

de

de malè defensam arguis, nonne verissimè Episcopus, & ad rem appositissimè, *Timorē modò Apologia probare voluit, eadem non admodum*? Quicquid autem sit de cæde, timor certè ex ijs verbis haud iniustus consequi potuit, quibus Innocētium in Philippum fulminâsse diximus, de *regno ei adimendo, etiam cum periclitatione insulæ suæ Apostolicæ*. Cur autem, *Othonem illum, Comitem Palatinum fuisse*, negari à Torto ferret Episcopus, quem tute testimonio eo quod citas ex Vrspergensi (cuius porrò Vrspergensis authoritatem ita exaggeras, vt reliquis eum omnibus opponere velle videaris) talem depingis, *Comitem* inquam? Cui & Philippus filiam suam (inquit Vrspergensis) desponsit, Othoni scilicet quisquis is fuit, quod haud temerè credo in priuato facturus erat. *Comes* ergò & Otho iste. Atque vt illud nihil interest, sicut rectè Episcopus, *quis Otho ille fuerit qui Philippum cecidit*, dummodò Pontifex eventu minas comprobârit, ita cùm mortuo Philippo Otho quidam successerit, ex designatione Pontificis, idq; omnium historicorum consensione pateat, quis Pontificem castum à Philippi cruore imaginari queat, cui *Othonis* modò nomen in suspicione tanti sceleris versari auditum sit?

QVOD attinet ad historiam de Frederico 2, cuius vita multiplicibus ab Innocentio 4. insidijs appetita est, tandemq; penitùs perfectum quod voluit, næ hîc ita anhelat, ita fumos offundit Cacus noster, ac si per summam impudentiam, summum scelus dēfendere cogitet, nec verò laboret quid dicat quidve respondeat, dummodò libris scribendis & ineptijs serendis, funem illum contentionum quem imprimis incisum amputatumq; oportuit, in immensum protelet. *Increpa Domine bestias* CALAMI, ait Hieronymus. Et iterum præclarè, *Illidatur* (angui) *pro soleâ anathema*, & conteratur. Ego rerum modò capita breuiter perstrinxero. Non aliud fert grauius, quàm de *gemino veneni hausto* Frederico propinato. Vult enim duntaxat *vnum*, qui

CAP. 59. Paralip. 59.

Epitaph. Paulæ. Ad Marcell. de morte Blesillæ.

qui & lethifer fuit. Sit ita sanè. Neque enim non periti sunt talium concinnatores, quos Pontifex delectos habet ad eam rem ministros. Rarò aberrant in miscendâ scutellâ. Sed tamen compensare hoc cum eo potuit, quòd cùm Petrus de Vineis, & Matthæus noster Paris, bis vitæ Frederici insidiatum Pontificem esse scribant, ille hoc contemnit, & pro nihilo reputat, *propterea quòd Apologia tacita præterierit.* Quasi non *Regiæ moderationis* hoc specimen sit, potiùs quam *innocentiæ Pontificiæ*, aut quasi verò Rex optimus atque sanctissimus, ea omnia probare censendus sit, quæ vobis nominatim ipse non objecit, vel improbaturus denique in alijs, si ij ea persequantur quæ ab ipso per compendium omissa sunt. Hoc igitur expedire te imprimis oportuit, hoc purgare & sarcire, qui tantum te vindicem Pontificiæ innocentiæ integritatisq; profiteris, & Tortianæ naniæ hyperaspisten. Nam illud nunc omitto, quòd *depositum Fredericum & excommunicatum, idque iterum atque adeò tertio, ac absolutos denique subditos eius à iuramento fidelitatis*, id est, prædæ ac lacerationi ipsum miserum expositum, *negas erubescenda tibi* videri, negas *in vllâ criminis parte ponenda. Iure enim atque ordine*, inquis, *hæc omnia. Nec adimimus hunc metum principibus impijs*, id est, haud planè ad vestros modulos dolatis. Vt sciamus quales *excessus* vestri esse soleant, qualesq; *intemperantiæ*, cum hæc inter *iure atque ordine facta* numeretis. Et tamen *quis Rex vnquam timuit præter nostrum, aut quis Pontifex cuiquam causam terroris attulit?* At, *Fredericus pulvillo in os iniecto non veneno interijt.* Quasi idem non vtrinq; perire potuerit. Nam cùm filio notho, & ad regnum anhelanti, longior expiratio patris videretur, quod veneno inchoârat, suffocatione perfecit. Tibi verò & de veneno negandum videtur. Nec satis est neruosum quod Matthæus Paris, *Rediit in Apuliam vt dicitur potionatus.* Quasi non aliter credendum sit, de *veneno Frederico dato*, nisi Matthæus ipse Paris se vidisse dicat, aut manibus palpâsse, vel quasi nihil à publicis præconijs trahendum

Parall. p. 197.

Bellar. epist. ad Blackuel.

sit,

sit, vnde omnis potius veterum consurgit historia. Ille verò, vt attonitus in hoc immanissimo facinore, & Pontificij parricidij atrocitatem reueritus, in vulgi rumorem rei fidem reiecit, neque tamen de historiæ suæ veritate delibauit. De gemino interim Chronico quod Episcopus in eiusdem rei fidem citârat, mirum silentium apud Cretem nostrum, credo quia tam disertè illinc reuincitur, vt & ipsum pudeat quamuis impudentem. Sed quicquid sit de Frederico, *Manfredum à parricidio absoluendum* existimat. Id enim agit, vt quò magis viuentes animet, & discipulos quàm pote plurimos cruenti dogmatis ad se alliciat, mortuos etiam ab hac infamiæ contagione expiet, Iesuita sacinorosissimus. Arripit sibi trutinandas Episcopi rationes, & cùm omnia fecerit, nihil vltrà potest ad refellenda quæ disputat, quàm, *quomodo probas*, aut, *quâ tandem ratione euincis?* Quasi illud oblitus sit, quod pueris ex Aristotele occini solet, æqualis amentiæ esse μαθηματικῶ τὸ πιθανολογικῶ ἀποδέχεσθαι, καὶ ῥητορικὸν ἀπαιτεῖν ἀπαιτοῦντα. Itemq; alibi, κατὰ πᾶν ἂν εἴη λόγου ἀπαιτοῦντα. In *moralibus* enim materiâ versabatur Episcopus, & *morales* probationes sequatus erat. Neque tamen non ea dixit, quæ cuiuis cordato satisfaciant. *Cur* (inquit) *patrem suum occideret Manfredus cupiditate regni Siciliæ adipiscendi?* Eam enim inter alias rationem refutabat, quæ solæ impediunt apud Sigonium, ne Pontificis instinctu hoc fecisse arguatur. *Rex* enim Siciliæ (inquit Episcopus) *scriptus erat secundum à patre Manfredus, si Sigonio credimus. Cur igitur propter regnum patrem occideret?* Atque hoc cum irrisisset Eudæmon-Iohannes, *at quo celerius hæreditatem* (inquiens) *adiret, vt mora impatiens, & regni, vt sæpe fit, desiderio æstuans*, pag. 100. paralleli, mox pagina insequente, id est 101, euertit suis manibus responsionem ipse eam, quâ Episcopi rationem sperabat euertere. *Quâ enim mercede* (inquit) *Pontifex, Regem Siciliæ iam designatum, ad conficiendam patri suo necem conduceret potuit?* Quasi nulla merces tanti esset Regi designato, & in

Augustens. & Pistor. compar.

Ethic. 1.

Ethic. 2.

tabulas ascripto, ne *præpropera* quidem *successionis in regnum*, de quâ ipse paulò antè. Quam tamen ad successionem, tam hebes non erat, quin Pontificis gratiâ scitè demerenda, haud paulò munitiorem se fore confideret. Quanquam refert Cuspinianus, Manfredum etiam ad alia quædam regna aspirâsse, *eaq; sibi interversa, & alio à patre translata doluisse*. Quidni igitur, vt per Pontificem illa recuperaret? Sed hæc hactenus. Ex his enim de reliquis æstimare lector potest, & quàm aptè quicq; cohæreat, colligere. Quòd si Pontifices Romani ij essent qui debebant, si non omnia apud eos scelere parricidioq; flagrarent, nec nos hoc putaremus, historiæve locum daremus, nec scriptores, quos iam produximus, tàm dira de illis monstra in Commentarios aliquando suos retulissent. Non Paris, non Sigonius, non alij hoc facerent, non tanta dedecora chartis æternarent. Vel certè deprecarentur eam famam quam sequuntur, detestarentur, eiurarent penitissimè. Sed *nihil est tam turpe*, vt ait ille, *quod non in istos apprimè quadrare videatur*. Et sua igitur prauitas, & historicorum religio, Pontifices Romanos, & horum, & aliorum scelerum plurimorum, conuictos tenet. *Verum hæc*, inquit, *externa*. In Angliam igitur migremus nostram.

CAP. 60. Patall. pag 203. &c.

DE *Monachis Bangorensibus, quasi mille & ducentis nefarie oppressis, Augustini Monachi instigatione atq; consilio*, multa inficians renuensq; crepat, sed nihil est quod nostrorum non enucleauit diligentia, imprimis autem Iuelli, quem & iste per contumeliam hoc loco memorat, & post eum Roberti illius Abbati, alterius Oxonienſis Academiæ luminis. Ac primò quidem, *fidei non sanæ* incusat, quotquot eo tempore in hac insulâ degebant, quò plausibilior fuerit causa Gregorio *Monachos suos* huc mittendi, itemq; Augustino, sanctos eos viros, & tantummodò de noui domini tyrannide recusantes, obtruncandi. Audiatur hac de re Galfridus Monumetensis, qui & propior sedibus ijs

Lib. 8. c. 4. de Britannorũ gestis.

vixit,

vixit, & solertiùs excussis Chronicis omnibus historiam composuit. *In patriâ Britonum* (inquit Galfridus) *adhuc vigebat Christianitas, quæ ab Apostolorum tempore nunquam inter eos defecerat.* Nisi & fide corruptâ, *Christianitas* tibi *vigere* posse videtur, cum non aliâ de causâ Bellarminus Regem nostrum ex Christianis expunxerit, quàm quia fide parum rectâ præditum somniauit, ac præsertim qualem eam fuisse credendum est, quæ *ab Apostolorum tempore, sine vllâ intermissione durans* floruerit. Perge. *Inuenitq; Augustinus septem Episcopatus & Archiepiscopatũ vnũ, religiosissimis præsulibus munitos, & Abbatias complures suarum manuum labore viuentes, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat. Religiosissimos* cum vocat, de *fide* satis purgat; cum autem & *rectum ordinem ab ijs retentum* scribit, & *fidem & vnitatem* eorum dilaudat, nec verò *grex Domini* scitè dicerentur, nisi & *schismate & hæresi* vacui forent. Deniq; non intelligo quid culpæ contraxerint, nisi fortè quòd suis manibus victum quæritârint, quod vos Sybaritas vehementer offendit, *ἀεργίτας* homines non *ἀεργίτας*. Quibus etiam si quando in somnio labor occurrit, vt est de segni illo capite in epigrammate græcorum, cohorrescere soletis, & tanquam malum omen à vobis detestari. At *caruere ijs insignibus* quibus coruscans Augustinus in hanc terram intrauit, *cruce argenteâ, & litaniâ, & reliquijs, & icunculis &c.* Quamdiu hæc stolida commemorabuntur? Quasi iccirco à religione desertior esset Anglia, vt Monachis Gregorianis erudienda traderetur, quia hæc tam futilia rerum non habuit, quæ puerorum oblectamenta, non exercitamenta virorum esse, omnes vel mediocriter cordati, & intelligunt & re probant. *Sed in festo paschatis* (inquis) *& baptismi cæremonijs, & nescio quibus alijs aberrarunt.* Hæccine igitur iusta causa tibi videtur, non dico trucidandi tantum hominum, & sanctorum, sed omninò *Apostoli* nescio cuius *huc mittendi*, qui nouæ lucis radijs gentem nostram perfunderet? Quòd si nondum Monumetensis ille tibi satisfecit, &

Ibidem.

Paral. p. 205.

fidem christianam,& ordinem rectum, & *Apostolicam doctrinam,& præsulatum*, & cætera ritè atq; ordine hîc instituta declarans, ante adventum Augustini, Augustinianæq; cohortis, audi quid Mantuanus vester de eâdem re,

—*concedere Roma*
Debuit,aiebant,potius quàm rumpere pacem
Humani quæ iuris erant, modò salua maneret
Lex diuina, fides, Christi doctrina,Senatus
Quam primus tulit ore suo,quia tradita ab ipso
Christo erat humana,doctore, & lumine,vita.

De *humano* igitur *iure* controuersia tota fuit, si Mantuano credimus, ad quod explicandum non ferè Apostoli mitti solent trans mare. Sed & suprà paulò acriùs,

Cæsabantur eos stultè,imprudenter,& æquo
Durius, AD RITVM ROMAE *volnisse Britannos*
Cogere,& antiquum tam præcipitanter amorem
Tam stolido temerâsse ausu.—

Viden' quàm acerbè factum insectetur, quàm nulli reprehensionis grauitati parcat? Et tamen de *Romæ ritu* hæc omnia,i.de nihili reculis: de fide, de relligione,ne μὺ quidem. Quâ etiam de causâ Galfridus ille Monumetensis,& *martyrio decoratos* monachos illos esse scribit, qui in causâ Augustinianâ morte luêre, & *regni cœlestis sedem adeptos*, quæ infidelibus aut extraneis haud credo admodum patet. Iam verò quod huc assuis ex capite 2 non 21, vt tu perperam annotas, libri 2. historiæ gentis Anglorum Bedæ nostri, *Adducatur aliquis ager, & per cuius preces curatus fuerit, eius fides atque operatio deo deuota atque ab omnibus sequenda credatur*, quid tandem? aut cur adeò illud *fides* singularibus literis potiùs quàm *deuota operatio* pingeretur? An vt *fidei* controuersiam inter eos intercessisse existimemus? At,hoc pacto,dicas licet,& de *bonis operibus* certatum fuisse,non minùs quàm de fide, quia *deuota operatio* fidei apud Bedam adiuncta est. Sed *fides*,quam laudat,non est illa fides mysteriorum, & credibilium, à qua fideles aut secus

communiter vſurpamur, ſed ſynceritas explicantis qualiacunq; demum ſint. Non igitur probas ex hoc loco, homo argute, Epiſcopos Britannos in fide claudicâſſe, qui ab Auguſtino de minutijs his ſolummodò diſſidebant, & tranſmiſſam ab Apoſtolis vſque ſacrorum rationem barbarâ peregrinitate infuſcari non ferebant.

ALTERA grauior reſtat accuſatio, de *Monachis tanto numero necidatis per Auguſtinum.* Monachumne, & *Apoſtolum*, deus bone, tam cruentum? Sic enim indigitant. Sed Romana tyrannis, quibus olim auſpicijs in hoc regno ſurrexit, ijſdem pergit, quàm confidenter, ad hunc vſque diem! Et exemplum formidabile nuper conſpeximus. Nimirum quadrat id in eos, quod olim oraculum, CAP. 61.

ἀλλ' πᾶς σὸς ὅπως βάσεις ἐς ἀμαλός.

Sed audienda ſunt quæ affert, vt purget Auguſtinum. *Auguſtinus*, inquit, *mortuus eſt ante eadem perpetratam.* Nihil ille niſi *vaticinatus eſt* Epiſcopis illis, quos ad ſuum obſequium flectere non potuit, *quòd ſi nationi Anglorum noluiſſent viam vitæ prædicare, per horum manus vltionem eſſent mortis paſſuri.* Quod ſub Edelfrido Rege Cantij, *Auguſtino multò iam antè ad cœleſtia regna ſublato*, tandem contigit, vt ait Beda, i. *tredecim ipſis annis poſt defunctum Auguſtinum*, vt iſte ſupputat. Non modò igitur non *homicida*, ſed *propheta* Auguſtinus, horum hominum ſententiâ. Nec ignoro non deeſſe ſatis multos, qui id exiſtiment. Qui cum Bedam authorem opinionis ſuæ laudent, in eo tamen non tam Bedam, quàm neſcio quam corruptelam mihi ſequi videntur hiſtoriæ Bedanæ. Res eſt tota, vt antè dixi, à noſtris explicata, quò me breuiorem eſſe par eſt. Ac primò Auguſtinum adiutorem fuiſſe ad illam cædem, teſtis eſt Monumetenſis, cap. 13. vbi ſupra. *Edelbertus Rex Cantiorum, vt vidit Britones dedignantes ſubiectionem Auguſtino facere, &c. hoc grauiſſimè ferens, Edelfridum Regem Northanumbrorum, & cæteros regulos Saxonum inſtimu-*

lauit, vt collecto grandi exercitu, in ciuitatem Bangor, Abbatem Dinoot, & cæteros Clericos, qui eos spernerent, perditum irent. Parumne, & ambitionem Augustini notauit, cum causam furoris eam esse declarat, quòd nollent *subiectionem facere Augustino*, & verbo imprimis forti atque efficaci vsus est, *instimulatum* ab Augustino Ethelbertum dicens, vt memorabilem illum Dinothum vnà cum cæteris perderet! Sed & vetus Chronicon Anglicanum, à Iuello citatum, ijsdem propè verbis de Augustino loquens, *incitatum ab eo Ethelbertum, & ab Ethelberto excitatum Elfredum, Regem Northumbriorum*, testatur, *ad Britones Walliæ infestandos.* Qui cum ambo, coniunctis copijs, eò tenderent, *Augustinus ijs obuiam venit Leceſtriæ*, non mortuus vt isti dicunt & nũcius victoriæ, quasi vnus è geminis, in equo albo, sed cædis adiutor, & particeps tam immanis facinoris futurus. Eò etiam detestabilior, & ipse, & cæteri, quòd, vt sequitur in historiâ, orationem supplicum quorundam pacem efflagitantium, & nudis pedibus ad se accedentium, & in solâ interulâ interitum deprecantium, tam obstinatè quàm crudeliter repudiârunt. Succinit & Thomæ Graij Chronicon quoddam, Gallicè conscriptum, in quo, hæc, quæ iam ponam, habentur ad verbum. *Augustinus hunc in modum ab Episcopis reiectus, aliysq; Britanniæ viris doctis, querelam ad Ethelbertum Cauty Regem attulit, isq; statim conscriptas militum copias in eos eduxit, crudelemq; omnes in modum mactauit, nihilo mitiùs se gerens aduersus eos, quàm in agnum lupus.* Ex his certè apparet, Augustinum & superstitem stragi fuisse, & vnicam tam horribilis incendij facem. Atque vt summâ dicam, grauis est suspicio, interpolatos ab aliquo Romanensium alumno, Bedæ commentarios, qui hodie circumferuntur. Certè vetus Saxonica translatio Bedæ, per Alfredum, siue Aluredum Regem terræ huius non ignobilem, non modò vitam Augustini apertè producit in post eædem peractam, sed & consecrationem Episcoporum quorundam, ei tum maximè attribuit, Melliti, & Iusti. Quo-

rum

rum ille Londinenſem, iſte Roffenſem adminiſtrauit Eccleſiam. *Tum* (inquit Chronicon, i. bello finito & conſecratis duobus antedictis Epiſcopis) *mortuus deinceps eſt amabilis pater Auguſtinus.* Vt appareat ſcorpium aliquem, vt loquitur Hieronymus, non pepercisſe huic Bedæ tam ſacrato loco, qui à primigenio exemplari tantoperè diſcrepat. Nam quòd iſte cum *Chronographo* ſuo (ſic enim appellat,) *mors Auguſtini* (inquit) *ſi Chronographo noſtro credimus, &c.* nec pluribus hominem egregium deſcribit) in annum Domini ſexcenteſimum tertium, Auguſtini mortem tam fidenter confert, nequaquam concedendum eſt, & multis manifeſtiſq; teſtimonijs refellitur. Extat adhuc diploma Regium viſendum, Regis inquam Ethelberti, donationem terrarum quarundam monaſterio S. Petri Cantuarienſium continens, & Regio inſigni ſigillo munitum, quod non facilè temeratur, & Auguſtini eius, quo de dicimus, ſubſcriptione confirmatum, anno 605. *Randulphus* etiã *Ceſtrenſis*, refert Auguſtinum baptizãſſe aliquot millia, ad dena opinor, in aquis Swalæ, anno. 606. *Matthæus Weſtmonaſterienſis*, mortem Auguſtini refert in annum 608. 7. Cal. Iul. *Polydorus* producit & in annum 610. Vt ſiue hæc, ſiue illa ſequi placeat, nihil ſit diſertius, quàm Auguſtinum ſuperſtitem fuiſſe atrociſſimæ illi cædi ac lanienæ Monachorum, quòd ſi vera Polydorus, vitam etiam in quintum poſt annum produxiſſe. Denique vt intelligamus, & qui vir fuerit Auguſtinus, & aliquid tentatum in hiſtoriã Bedæ noſtri, quod ruborem iſtis iure afferat, cum obijcitur, doctiſſimus Abbatus, terror ille flagellumq; tuum Eudæmon-Iohannes, in Balioleenſi collegio, quod eſt Oxonij, duo Chronica manuſcripta extare affirmat, in quibus Auguſtini interminatio ſic legitur, non quo modo apud Bedam eſt, quem vos adulteratis, *quòd niſi pacem à fratribus accipere vellent, bellum ab hoſtibus paſſuri eſſent*, ſed, *quòd niſi pacem à* FRATRIBVS *accipere vellent, bellum ab* IISDEM *forent accepturi*: à fratribus viz. id eſt, à ſe, & cohor-

Defenſ. D. Perk. contra Bithop. Tolbert. Poſtellum. Magn. & Polycron. Cantuenſ. Mon.

tibus illis egregijs ſuis. Quod & euentus docuit. Mox enim Ethelbertum, & Edelfridum, in eos incitans, prophetam ſe quidem, ſed ſævum & ſanguinarium, Auguſtinus demonſtrauit. Apparet profectò cognatas res eſſe, crudelitatem, & ſuperbiam. Ac quàm rectè, qui ſanctis non *aſſurrexit in Synodo*, vt non temerè Anachoreta ille, vir dei, obſeruari iuſſit, eoſdem deinceps *ſtrauit prælio*? Sed hæc hactenus.

CAP. 62. NVNC illa referenda ſunt, quæ niſi liber ipſe extaret, fingi a me aliquis fortaſſe credat, vt calumniator quàm inſignitiſſimus appareat hic Eudæmon-Iohannes. Sed renouat genium Petiliani ſui, qui, cum Auguſtinus ad eius ſcriptum quoddam reſponſurus, ita quandoq; poneret, *Petilianus dixit*, deinde autem, *Auguſtinus reſpondit*, credo vt quàm pote perſpicua eſſent omnia, de *mendacio* eum calumniatus eſt, *quòd nunquam cum eo comminus diſputaſſet*. *Mentiar* niſi eandem hic methodum impudentiæ imitatus ſit noſter, qui nihil niſi *mendacia*, *mendacia*, inculcat. Vt meritò, cum ſancto patre, dicamus; *Quid faciamus hominibus, qui tale cor habent, aut eos quibus ſcripta ſua innoteſcere cupiunt, tale cor habere opinantur*? Sed vt ibi ſequitur, *nos tamen etiam talibus ſatisfaciamus*.

Contr. Gaud. l. 1. c. 1.

De Henrici 2. Regis olim noſtri, *indigniſſimâ flagellatione per deſpicatos Monachos*, agebatur ſcilicet. Quid multa? Flagellatum eſſe Regem, & intactum manu mortali corpus, ad virgarum opprobrium ſine hæſitatione vocatum, ne ipſe quidem negare audet Alaſtor. Plus etiam inflictum, quàm Ignatio olim Loiolæ, Ieſuitarum proſeminatori, cum à Decano Collegij neſcio cuius in Gallijs, ad conſimilem planè pœnam agyrta poſceretur, teſte Maffæo. *Ictus ternos & quaternos, a ſingulis religioſis, qui magno numero eò conuenerant impoſitos fuiſſe Regi*, author eſt *Pœris*. *Houedenus*, *Neubrigenſis*, *Walſinghamus*, *Capgrauius*, *Auctor vitæ & proceſſus Thomæ*, non abnuunt. Vno omnes ore fatentur ne-

Paral pag. 207. &c.

In vita Ignat. l.

ſis. Fruſtrà contra hunc fremitum voce veniret, fruſtrà tantæ teſtium nubi reclamaret Eudæmon-Iohannes, etſi Stentor eſſet. *Ignem fatuum* imitatur, & lectorem de curriculo callidus abducit, ac minutiſſimis minutijs neſcio quibus perplicandis, ſummam rei grauiſſimę conatur infringere, *Paulo ante hoc in Henrico noſtro vidimus*, inquit Epiſcopus, Regem ſcilicet corpore ſuo plagas perferentem. *O inſulſum ac nequam hominem* (inquit caput furiarum) *qui ea te vidiſſe dicas, & paulo ante vidiſſe, quæ quadringentis abhinc annis geſta ſunt.* Vix oculis meis credo, cum tam illuſtrem Epiſcopi locum, tam grauem, tam accuratum, adeò ieiunis homuncionis infimi calumnijs peti video. Sed ἀστὸς ὑβλα πέλωνος παχίδι τρόπῳ ἐχ' ἀν ἀλοὺς πόλε, ait Chryſoſt. Quid ſpectauit aut ſperauit, niſi pueris aut pellionibus fortè hæc ſcripſit ſuis? Ecquid enim ſic eluere ſe infamiam poſſe autumat, horrendi ſceleris, & in Regem deſignati, Regem inquam, tam ſupra reliquam mortalitatem evectum, quàm Monachus in fundo, & in fæce volutatur, nec ab vltimæ conditionis *ſernis diſtat*, ſi ius audimus? Quod ſcelus eò dirius etiam videri debuit, quicquid ille de quadringentis garrit annis, quò propiùs ab eo maiorum noſtrorum æuo abſuit, quod Regum *relligione* imprimis claruit, (leue enim mihi videtur hic *reuerentiæ* nomen,) & quo non modò Chriſtianus nemo Rex vapulauit, ſed* primarij ipſi Chriſtiani, corpora ſua, & Regum & prætorum virgis, non rarò vncinatis, dilanianda præbuere? Atenim illud purgandum eſt, *quòd Epiſcopus id ſe vidiſſe dicat in Henrico, quod per ætatem cernere nullo modo potuit.* Etiamne tam *nucea* ſemper ſectabimur? Piget me, piget, nequiſſimi animalis, & ſæpe infruniti, & nuſquam boni, ſed rarò profligatioris quàm hoc vno loco. Quid diceret Sancto Paulo ad Galatas ſic ſcribenti, *Ante oculos veſtros Dominus Ieſus crucifixus eſt?* Rei enim memoria, quamvis tempore interpoſito, tamen non aliter ſubijcit animo, id quicquid eſt, quàm ſi oculi in obtutu defixi hærerent. Adeòq; cum de *nobis* quid

Orat. ad patrem infidel.

* Greg. Naz. de S. Baſilio orat. funebri in eius laudem. Theodor. de alijs l. 3. hiſt.

Gal. 1.

vſitatę

vſitatè prædicamus, nonne ſatis eſt ſi *patres* noſtros, & *maiores* complectamur, etiamſi à *perſonâ* noſtrâ abhorreat? Redi in ſcholam, & Rhetorum præcepta evolue nequiſſime. Videbis hâc formâ plena eſſe omnia. De vetuſtiſſimis verò temporibus cum loqueretur Epiſcopus, ſicut *Olim* illud probat, a quo ſententiam orditur, *Olim per legatos non ſolebant cædi Reges*, pag. 273. nonne eorum comparatione id recens vocare potuit, quod ante annos plus minus quadringentos geſtum eſt? At, *Papa non fuit author panarum harum Henrico.* Quaſi primò id hiſtorici quàm multi non aſſerant, deinde verò Monachi Regem ſuâ ſponte ad verbera expetituri fuiſſe videantur, niſi maioris alicuius authoritate niterentur. *Pœnitentia*, inquit, *laudem in Rege imminuis, qui Pontificis arbitratu eum vapulâſſe fingis.* Quid? niſi Rex ſe ipſe nudârit? niſi vltrò decubuerit? niſi de numero plagarum a ſingulis pactus ſit, vt ternas quaternaſve viritim infligerent? Quæ eſt iſta pœnitentiæ tam vecors ratio, quæ & Monachos ſceleratos, & Regem fatuum ſic repentè conſtituit, nec illos pios, nec ſatis hunc ſanum manere ſinit? Hocine etiam aſſeuerandum tibi, perdite, fuit, ne *pœnitentiæ laudem, Regi adimeres?* An potius, vt Pontificiam diritatem palliares? *At, nullum eſt Houedeni hanc ad rem teſtimonium, neq; verò quod producitur ex vita Thomæ.* Quid ita? Quiâ tantummodò ſic contexunt, *& alia quædam quæ non oportet ſcripturæ ſerie denotare*, vel, *& alia quædam quæ ad communem audientiam non pervenerunt.* Quæ, rogo, te, mi homo, atq; iterum rogo, quæ tandem niſi iſta eſſe potuerunt? Semperne *apodixes* requires fatue? At, *cur*, inquis, *Houedenus ſilentio involueret?* Nimirum erubuit id de Papâ tradere, & tam infamem notam in eius nomine relinquere. At, *res ipſa geſta & ſpectata publicè.* Quid refert, dummodò author rei lateat? dummodò *beſtiæ contumelia* in operto ſit? Nullumne lubricandi te finem facies, anguis tortuoſiſſime? Quòd poſtremò inſimulas, Epiſcopum lectores lactare voluiſſe, qui inſignibus typis ea verba expreſſe-

rit,

rit, *quæ noſtri homines de diſciplinâ virgæ* ferè intelligunt, quaſi alicuius ex vetuſtioribus, non ſua forent, & iam antè reſpondi de cauſâ variandarum alicubi formarum, & locus ipſe hic convincit, nihil tale Epiſcopo propoſitum fuiſſe. Neq; enim ſententiam totam ſic pingit, quaſi eam ex antiquitate mutuatam videri vellet, ſed partim hoc, partim alio modo, vt emineret quod notabile eſt, & traditio gentis noſtræ illuſtraret obſcuriùs dicta ab hiſtorico. Noſtri enim certè homines, hæc, de *virgæ diſciplinâ*, quæ ille ſic innuit, & intelligere, & interpretari ferme ſolent. Sed tu imprimis nequam es Eudæmon-Iohannes, vt verè Salomon, *Non eſt caput ſuper caput columbi*, & quæ cætera iam addere lectori fas, vel me tacente.

CAP. 63. III

Defenſio D. Rhent. de hiſtoriâ recentiorum & priſcâ Gallicanâ.

ALTER locus nos excipit, *de rebus memoriâ*, vt ait, *noſtrâ geſtis*. Hic quoq; vult *ſplendidè mentitum* Epiſcopum. Et Abſolonem eum quendam fingit, qui, ſole ſpectante, in ſolario volutetur, illudatq; vel recenti hominum memoriæ, & hiſtoriam luce clariorem adulteret. Porrò orditur permagnificè ab hoc corymbo. *Quem a prauis factionibus non conſcientia turpitudinis ſua revocat, ſed alieni de ſe iudicij pudor retardat, vbi ſemel fractis pudoris repagulis, hominum exiſtimationē nihili ducere caperit, incredibile dictu eſt quantâ impudentiâ in facinora feratur. Id adeò, &c.* Nos ſententijs omiſſis, quas ſcitum eſt & *carnificem* ſæpe promere ſolere, quid tandem in Epiſcopo rodat videamus. Reliqua ἰωλα ſunt, vnum illud ſatis lepidum, quòd *genus concionandi eius figuramq; reprehendat*. Vt in quo vno quaſi deus videri ſolet, in eo huius Zoili morſicationes non effugiat. Sed quid tandem? *In concionibus habendis temperare eum orationem ſuam ſolitum eſſe* dictitat. Quomodo autem? Nam *temperare* quidem docemur dicto dominico, & menſum cuiq; ſuum ſcienter diſtribuere. Nec non laudat Apoſtolus ἐφαλμῶλα τὸν λόγον τῦ θεῦ miniſtrum.

ſtrum. Quid igitur? *Vt neq́, diſcedat à Calvino* (inquit) *neq; magnopere Catholicorum aures offendat.* Valde ſcilicet illi curæ fuit illorum animos demulcere, quos nec auditores ſibi fore diuinare aliquando poterat, nec niſi homines perditiſſimj, ciuratâ conſcientiâ, & eccleſiæ veſtræ legibus contemptis, quibus omni commercio prohibentur noſtro, adeſſe potuerunt. Nos autem nec Calvinum, vt ſemel hoc à me audias, homo putidiſſime, nec quenquam hominem mortalem (etſi fuit Calvinus & in paucis Chriſto charus, idemq́; illuſtriſſimæ in eccleſiâ dei operæ) vos fortè vel Dominicum, vel Franciſcum, vel ſiquem alium, *κυνόσολις ἀχοαῖς*, magiſtros vobis, pro libidine, coacervatis. Quinetiam audiui aliquando, in feneſtra Eccleſiæ cuiuſdam Pontificiæ, ſiue illa Venetijs erat, ſiue certè Romæ, ſub imagines S. Pauli Dominiciq́; ita pingi, *'Per iſtum itur ad Chriſtum, ſed magis per iſtum*, vt illud *magis* Dominicum demonſtraret. A nobis verò ſi requiris, quem quaſi curſum teneamus, quâ Cynoſurâ in concionibus formandis dirigamur, non difficile eſſet reſpondere, etſi te id ignorare, veteranum tantum, ſatis turpe. Hic tu etiam Epiſcopum quaſi *in Papatus partes propenſiorem* ſubinnuis. Ac dixiſti iam antè, & deinceps repetis, ſanè audaciùs. Quòd ſi ita vos vlciſcitur, nutans, & ſemi-pontificius, vt vos improbè mentiminj, quid tandem vobis fieret, ſi cãdem proportione à cæteris laboraretur, quos acerrimorum hoſtium loco ducitis? Sed quod attinet ad *charakterem eius, formamq́;* quam ſuggillas, quam diuerſãm propè vnicuiq́; ſpiritus S. attribuit, nec deformem illam tamen, & nuſquam a fidei analogiâ diſcrepantem, tibi fortè Pontificum tuorum inſtituta magis placent, qui per aliquot iam ſæcula ſuggeſtum vix aſcendunt, conciones nullas habent. Quodq́; olim ſupplicij loco ſontibus irrogabatur, τὸ τῆς τιμῆς μὴ μετέχειν τῆς καλῆς τὴν καθέδραν, ὁμιλεῖν δὲ μηδ' ὅλως, id Papæ certatim iam tanquam honorificum ſibi apperunt, vt Epiſcopatu conſeruato munus nullum obeant. In quo fa-

Concil. Ancyr. c. 1.

teor,

teor, Episcopus ijs nullo modo par. Tu vetus illud retines tuorum hominũ, vt *fur lucernam* imprimis detestere, & *canem lupus* pignori poscas, cum Philippo. Non enim dubito, quin, cùm alijs nominibus grauissimis permultis, tum eo vno, vel primario, Episcopum odio habeas, quòd & concionator sit, & non alienus ab eo spiritu (spiritu *oris dei*) qui *Antichristo fatalis*, si Apostolo credimus. Atq; equidem cùm Cicestrienſem Episcopatũ obtineret, *Torturamq́; illam*, præclarũ opus, *ſuam* concinnaret, vsus est quasi diuinitùs insignibus priscis, ac nimirum Episcopatui illi proprijs, *gladij nudi ex ore humano prodeuntis*, idq; quod tum agebat, & adhuc strenuè agit, præclarè adumbrantis. Sed redeo ad modificationem *temperiemq́*, quam dicis. An verò expectas dum Litinensis sententias tibi citem, quas non paucas & præclaras habet hac de re? Vt cum dicas *nouè* non dicas *noua*, &c. Aut nunquamne illud legisti, apud Apostolum, *varietatem permagnam esse charismatum*? credo equidem sicut vultuum est in humano genere, nec erubescendam tamen illam, gloriosam potius, vt ante dixi: ac, *vni quidem sic, alij autem sic impertitum esse*? Quid ecclesia, quæ *polymitâ* amicta veste fingitur? Quid cum iterum Apostolus, *Vtinam istic essem, vt vocem inter vos parumper mutarem*? Item, *Omnia omnibus factus sum vt lucrarer aliquos.* Sic enim Episcopus, vos fortè Pontificios pellectos piscetur. Nam illud nunc omitto, *Dummodo Christus pradicetur, non laboro.* Nimirum stylum eius, eodem modo paulò antè vellicâsti, quo nunc conciones furiosè laceras. De quo, quid aliud tibi respondeam, quàm vt olim Tertullianus, pereleganter; *Sicut poma quadam & acore ipso gratiæ ſuæ adulantur*, ita ipsam enormitatem birsutiemq́; si qua illa est, quasi blandam conciliatriculam, commendare lucubrationes intelligentissimi viri.

2. Thess. 2. 8.

Contra hæreticos.

De Pœnit.

μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος
καὶ φαὸς γλυκερὸν ἐστιν
ὅσοι μεμνήμεθα.

Tortura certè *Torti* cum ipso sæculo inueteraſcet, & quò magis legetur, eò magis placebit. Sed veniamus ad τὰ κρινόμενον, i. ad eventa Gallicana, vt videamus in referendis ijs quâ tandem fide vſus ſit Epiſcopus, Cretícáne, an vernaculâ noſtrâ, 1. optimâ. Nec multa ſunt, & tamen

——crimine ab vno

Iuuen. omnia iam patebunt,

——qua Gracia mendax
Audet in hiſtoriâ.

CAP. 64. Vide Parall. pag. 212, 213. &c. Iohannem Tanquerellum dixit Epiſcopus, *palinodiam canere coactum eſſe*, cùm proditoriâ illâ peregrinitate ſuâ puriſſimos Galliæ fontes inquinare tentaret, theſinq; proponeret, *Papa Principes præceptis ſuis rebelles, regno & dignitatibus priuare poteſt.* Hic tu Epiſcopum *mendacem* eſſe clamitas, imò *pluries mendacem.* Non es enim is homo, quem ſimplex conuicium delectare ſoleat. Et Richeomum collegam tuum, id eſt, in eaſdem impudentiæ partes iuratum, dignumq; patellâ, quod aiunt, operculum, allegas Arnaldo ita reſpondentem, cum Tanquerelliani nominis vlcus refricaret, *impoſtorem* illum eſſe qui ita comminiſcatur. Tanquerellum enim, *ſine vlli honoraria mulctæ formâ, tuſſim tantummodò ſe melius explicare, nec alio nomine damnatum, quàm quod crudè nimis, idq; tempore minime opportuno, de temporali Pontificis poteſtate* philoſopharetur. De Arnaldo facilè videro, & fidei ſummæ viro in Regem ſuum patriamque, & aduocato Curiæ Pariſienſis ampliſſimo, & poſtremò alijs non paucis ornamentis redundante. Qui, tantum abeſt, vt *impoſtor* fuerit, ſicut tuus iſte baechatur, ſolita conuiciorum fruſta eructans, vt propiùs ad *prophetiæ* laudem acceſſerit, eaq; omina Henrico Regi admirabiliter ſæpe concinuerit, de Ieſuitarum reſtitutione conſilia agitanti, quæ vos haud ita pridem ſcelere veſtro comprobaſtis: *ſi reciperentur nempe Ieſuitæ, periturum Regem, ſi ſalvus eſſe vellet, nullo modo admittendos.* Promocemus à Richeomo, &

Libellis editis cà de re.

mango-

mangone,& Ieſuitâ,quem ne tu quidem niſi floſculis, & eloquentiæ cuiuſdam nomine, hoc loco, laudare potuiſti, quæ tamen nec magna in verbis eius apparet,& ad hominis authoritatem,cùm teſtimonium quæritur, nihil prorſus facit. Audiamus quid Thuanus hiſtoriæ ſcriptor, nec proletarius ille quidem, vel potius longè nobiliſſimus, cuius pater vir clariſſimus Chriſtophorus Thuanus, cætera omnia addictiſſimus Pontificiæ relligioni, ac ſolummodò Hildebrandicæ licentiæ hoſtis, Tanquerelliano iudicio tum ipſe præfuit atque præſedit, quò melius rem totam cognoſcere potuerit, imò verò vt ne volens quidem non ſcire quiuerit, audiamus inquam, quid vir ille ſummus literis mandet. Locus eſt,hiſtoriarum ſui temporis,lib.28. tom.2. pag.41. Faciliùs de cæteris iudicare poterimus, cùm & primo ipſo loco, & tam ſingulari te captione præſtigiantem deprehenderimus. *Cum Theologorum quorundam male conſultorum impulſu, quidam, Iohannes Tanquerellus nomine, ſtudij Theologici candidatus, capita quædam ad periculum induſtria faciendum diſceptanda propoſuiſſet, inter alia ijs hoc adſcripſerat, Pontificem tanquam ſolum Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ Monarcham, poteſtati ſpirituali & ſæculari, omnes fideles ſubiectos continere, Principes, ſuiſq; præceptis rebelles, regno, ac dignitatibus exuere poſſe. Quod ad Regem delatum cum alieno maxime tempore dictum, & ad ſeditionem, ac legitimi obſequij, quod Regi ac magiſtratibus debetur, fidem labefactandam ſpectare videretur, Hoſpitalius Chriſtophorum Thuanum præſidem, Carolum Dormanium, Bartholomæum Faium Curiæ conſiliarios diplomate delegauit, qui de facto quærerent, & ad Senatum referrent; à quo tandem decretum fuit, vt Tanquerellus multa honoraria puniretur, & quoniam is aberat, apparitor facultatis Theologicæ, in ſchola Sorbonæ coram Decano, & cunctis eiuſdem collegij ſodalibus, Doctoribus, ac candidatis, ob id conuocatis, & niſi conueniant, priuilegiorum ab rege & eius maioribus eis conceſſorum priuatione mulctandis, præſentibus item præſide & conſiliarijs Curiæ delegatis, necnon cognitore*

regio, palam declararet, dolere Tanquerello, quòd quæstionem modo recitatam in disceptationem adduxisset, quam & temerè & inconsideratè agitatam fuisse agnosceret, tanquam contrarium ab eâ omnino sentiens, eoq́, nomine demississimè Regi supplicaret, vt culpæ gratia ei condonetur. Inhibitum item à Senatu, ne huiusmodi quæstiones in posterum à Theologis agitarentur, qui & duo è suo numero delegare tenerentur, Regem adituros & obsecraturos, vt ipsis offensionis, in quam ob id incurrere potuerint, gratiam faciat, & porrò eos tanquam humillimos ac deuotissimos Maiestati suæ subiectos, commendatos habere dignetur. Id à Senatu &c.

Habes Thuanum, non declamatorem, vt Richeomus, sed historicum grauissimum, luculentissimum, doctissimum, imò verò αὐτόπτην propè auctoremq́; earum rerum, quas in luce Galliæ suæ, id est in theatro orbis terræ, ita literis prodidit, vt haud vereri videatur, ne vllius conscientiâ superstitis refellatur. Quæ Richeomi eloquentiâ nec vllo modo obruuntur, & præiudicio nullo partium, vt in Richeomo, Iesuiticarum, eleuari queunt. Porrò extat & Decretum ipsum satis largiter apud Bochellum, in Decret. Gallic. pag. 729. & sequentibus. Quod Lector ociosus, ac linguæ Gallicæ haud ignarus, videre poterit pro arbitratu suo, de Episcopiq́; fibi fide, & proiectâ Cretis hominis ad mentiendum cauillandumq́; libidine satisfacere. Hæc pauca excerpam prope finem Decreti, pag. 732. Confessio à Tanquerello excepta refertur. *S'il eust estimé, &c. Si putasset dictum articulum* (is paulò post ascribetur) *in malam partem interpretatum iri, nunquam proposuisset disputandum.* Cum quidem illud adderet, *Quæstiones quæ proponi solitæ sunt in scholis actibusue Theologicis, problematicas & disputabiles esse, nec omnes pro veris teneri.* Tanquerellus igitur vt problema, vt ζήτημα proposuit, non vt dogma fidei, vt infallibilem veritatem, nec tamen impunè ferre potuit. Adde iam, *Nous á dit, &c. Dixit nobis se grauiter molestèq́, tulisse, quòd quæ supra exposita sunt, nemtiquam satis considerate attende-*

tenderit ac penſitârit, & quòd ſi rectiùs attendiſſet, nullo modò feciſſet quæ iam fecit, quæ etiam infecta fieri cuperet. Potrò Regi *humillimè ſupplicat, vt ignoſcat de offenſâ ſuâ, aut quicquid illud eſt mali calamitatiſue quod ſequi potuit ex hac re, vt qui malitiâ non peccârit, nec improbâ voluntate, ſed & optârit, & optaturus ſit tota vita ſua, vt humillimus & obedientiſſimus Maieſtatis ſuæ ſeruus ſubdituſq; permaneat, ſemperq; adeò paratus futurus ſit, talem declarationem facere, qualem viſum erit Maieſtati eius præſcribere, ſiue priuatim, ſiue publicè.* Quæque ad hunc modum dixit, ea manu ptoprià confignauit; ſimul ſignauere Thuanus, Dormanus, Tanquerellus. Abſente Tanquerello, Bedellus facultatis Petrus Guſtus, hunc in modum eius nomine recantauit. *Ie declare en l' abſence, &c. Declaro in abſentia Iohannis Tanquerelli, & pro eo, eiuſq; loco conſtitutus, quòd panitet me ſuſtinuiſſe propoſitionem inſequentem, Quòd Papa, Chriſti vicarius, Monarcha, ſpiritualem & ſæcularem habens poteſtatem, principes ſuis præceptis rebelles, regno & dignitatibus priuare poteſt.* (dicat interim nobis Andreas, quid eſt recantare ſi hoc non eſt; ſed perge porrò.) *Et quia inconſultè, & inconſideratè, & tenui, & diſputani propoſitionem illam, & contrarium mihi iam exploratum eſt, ideò ſupplico humillimè Regiæ Maieſtati, vt ignoſcat mihi de crimine, quod admiſi in eo quòd dictam propoſitionem defenſitani & diſputani, &c.* Duo tamen diuerticula ſibi Eudæmon-Iohannes ſolers præmuniuit; vnum quòd *non Sorbonæ ſententia illa fuerit, ſed Senatus Pariſienſis, qui Iuriſconſultos continet, Theologos nequaquam.* Quaſi ampliſſimus ille Senatus (ſic enim olim requirentem reſciſſe me memini, in eoque ad conſcientiam eorum omnium prouoco, qui iſta cognoſcere aliquando potuerunt) ex duplici hominum genere non conſtet. Quorum alij *Laici*, alij *Eccleſiaſtici*, & appellâtur, & ſunt, conſiliarij. Quo porrò in numero, multi includuntur & Abbates, Decani alij, plurimi Canonici, aut alijs dignitatibus Eccleſiaſticis clari. Quin ex ordine Epiſcoporum etiam

non

non pauci ius veniendi in Curiam habent, & inter primarios senatores sedendi cognoscendiq; legibus regni. Et tamen vult Cydonius glaucomâ obijcere, persuadereq; nobis scilicet, [a] amplissimum Senatum Parisiensem non magis diuinũ callere ius, quàm quæ penitus sunt ciuilia Theologi profitentur. Sed est alterum peracutum, [b] quòd *temporis iniquitas ad rationes illas compulit*, quæ alioqui adhibendæ non essent vitæ. Experiantur qui volent, ac præsertim hic Perillus taurum ipse suum imbuat, qui & metuere videtur, ne reliquis parricidis animi concidant, nisi hac interpretatione fulciantur percommodâ. Fallor ego, aut non impunè hæc doctrina abitura est, vel Iesuitæ, vel Iesuitarum pullo cuicunq;, nec turbulentâ solùm Rep. sed etiam probè confirmatâ, eoq; magis si confirmatâ. Alioqui quid sibi vult, quòd cauet Decretum, *ne tales controuersiæ deinceps agitentur*, vt ex Thuano modò audiuimus, si Tanquerellus *tempore* tantum, non & *dogmate* errauit, vt iste pertendit? Quasi redeat illud Chusæ, *Consilium bonum, sed non nunc.* Affertur quidem vt *aggrauans temporis circumstantia*, quòd omnia perturbationibus tunc redundarent, sed non proindè & doctrina ipsa nuda non condemnatur. Nam quod addit ceu subtiliter, sed reuerâ perimpudenter, Tanquerellum *non esse coactum palinodiam canere, sed, tantummodò distinguere, seq; explicare*, Thuanus & Acta iam antè confutârunt, neque audiendus est homo fœneus, & stimulis flagrantis conscientiæ suæ subactus, si clarissimæ veritati, & testatissimæ historiæ, cum frigidissimo glossemate suo se occurrere posse speret. Quanquam animadvertimus non inviti, quod medicamẽti loco aspergit, *peccatum in eo fuisse, quòd non distingueret Baccalaureus* QVIBVS *præceptis Pontificijs Principes si repugnent, exauctorare eos Papa inre queat.* Tanquerellus de præceptis vniuersè enuntiârat, quò maiorem authoritatem Pontifici astrueret, iste vt nefas pallier, non enim vt Regibus laxamenti quid præbeat, genera præceptorum quædam distinguit, vel ne

distin-

a Paral. p. 213. *Non Sorbonæ sed Senatus Paris. statua illa fiat, h. e. iuris ciuilis peritissimum, sed à quibus diuini iuris interpret. non magni peti possit quam ad Theologos referri quæst. de usucapione, aut de familiæ erciscundâ.*

b *Idq; cùm recenti etiam tam bellorum ciuilium sanguine maderet Gallia, nec dum plenè pacatis rebus, sed &c.* Paral. ib.

distinguit, vel ne distinguit quidem, sed distinguenda modò ab illo fuisse clamitat, quæ nescio ecqua sint, nisi fortè vt sacrorum contemptus impunitus sit, pecuniam nisi iussi dederint, illicò teneantur. Ac quam callidè & Tanquerellum culpæ subijcit propter omissam distinctionem, & de Papæ libertate nihil circumscribit? Quod idem Richeomus voluisse videtur in suo illo *crudè, idq; tempore minimè opportuno.* Iesuitæ non probant nisi quæ *tempori* perpetrantur, rursus scelus quod bene cecidit, & *tempori* patratum est, virtutem vocant. *Peracta laudantur*, vt ait ille. *Crudè*, id est opinor sine distinctionibus. Quàm *crudele* non curant, *crudum* modò reprehendunt. Quasi Baccalaureus si displicuerit (eiusmodi enim Tanquerellus) & thesin minùs dextrè distinguens, elucidârit, ad Curię iudicium rapiendus videatur, vel nudo capite veniam precaturus, erroremq; agniturus, & theses de sententiâ magistratûs abiuraturus, cùm *orationis* hoc quidem vicium sit, non ipsius *theseos*, prout à te fingitur, quòd nescio quid *distinctiunicularum* desideratum sit. An verò Parisijs tam acerbè Baccalaurei mulctari solent, si fortè *in thesi explicandâ* aberrârint? Nisi eò leuiora hæc censeas omnia, quòd alienâ in personâ defunctus sit Tanquerellus, non suâ. *Gustus* quidam opinor inculcatus est, qui ea vomeret quæ iste sorbuerat. Quasi ideò Rex Henricus, Rex optimus & sapientissimus, minùs perfectè luerit, stultitiasq; vestras pertulerit, dum legati scapulis, non suis proprijs, vapulauit. Quanquam enim ad pœnitentiæ rationem ineptiùs, ad ignominiam tamen Regis nihilò leniùs certè. Audiatur Thuanus. *Decimo post die, decretum hoc executioni mandatum est, vt Thuanus præses cum Dormanio, & Faio, curiæ consiliarijs, & Ægidio Burdino cognitore regio in scholam Sorbonicam venit, ibiq; coram quinquaginta circiter Theologis, partim Doctoribus, partim Candidatis, post habitam a Burdino orationem, decretum recitatum fuit, & præeunte primario curiæ apparitore, Petrus Gustus Tanquerelli nomine stans, nudo capite, errorem à Bo-*

nifacio octauo inuectum, & post eius mortem passim damnatum, ignominiosà confessione recantauit: quo facto Theologi qui aderant de fide & obsequio erga Regem prafati, eius mandatis & curiæ satisfacere se paratos ostenderunt. Parumne ipsum *dogma*, non *distinctionum omissionem*, fraudi indicat fuisse Tanquerello? Non enim & Bonifacius octauus non distinxit, sed quod impiè sensit, re & facto sceleratiùs impleuit. *Terrorem, non relligionem, injycere natus*, inquit Platina, & cætera pergrauiter in eandem sententiam. Atq; *extinxit* ille quidem, Gibellinos puta & Albos, non vbi decuit *non distinxit*.

De Florentino Iacobo, & Thomà Blancio, pari audaciâ, vel potiùs eò maiore conculcas, conteriſq;, quæ dixerat Episcopus, *simili eos censurâ notatos fuisse*, cum illud modò proposuissent, *Papam temporalem in omnes habere potestatem*, quòd sine historiæ deprauatione, aut veteratorio aliquo invento tuo, negas factum, negas disertè te *vestigium* eius rei vllum invenire potuisse. An verò tua oscitantia, homo vanissime, nobis fraudi erit, Acta vestra citantibus, si tu fortè locum, aut noluisti, aut non potuisti, semisomnis invenire? Quin tu accipe, quæ Bochellus, non *vestigio*, sed icone planè perfectâ, nobis exhibet, in eo libro, quem modò laudaui, qui *Decretorum Ecclesia Gallicana* nomen præ se fert. P. 752. hęc habet ex archiuis, ex Actis ipsis. *Ie declare que temerairement*, & cætera Gallicè, i. ipso Curię stylo, à Iacobo pronunciata, de Curiæ sententiâ, nudo capite, flexo genu, cum astaret Blancius, qui moderator fuit actûs. Quorum sensus hic. *Declaro quòd temerè, & inconsultè, & concinnaui, & publicaui positiones, quarum quintus articulus continetur Arresto, quod modò lectum est, quatenus positiones illas disputaui & defensaui, in actu meo grandi ordinario. Quarum nunc pœnitentiâ tangor, Deumq;, & Regem, & Iusticiam, veniam oro.* Hoc facto, dictæ positiones à Dorronio conscissæ & laceratæ sunt. Porrò ostenderat iã antè, sub initium Decreti, pag. 734. quibus verbis com-

pre

prehendatur articulus ille *quintus*, qui cum *nono* articulo, hoc quicquid eſt offenſionis, regno præbuerunt. *Huic porrò ſedi ſucceſſor, in quâ ſedet etiam nunc Clemens huius nominis octauus, omnium Pontificum maximus & ſupremus. Qui cùm in terris vices dei gerat, ab eodem eſſe ſpiritualia & temporalia non eſt ambigendum, ſpiritualem enim & temporalem in omnes habet poteſtatem. Eiq́, vniuerſi Cardinales, Epiſcopi, & omnes omnis generis homines, parere & obedire, & veluti membra capiti adhærere perpetuò tenentur.* Tum nonus, *Domus Eccleſiaſtica cùm duplicis gladij habeat poteſtatẽ, temporalis vſum ad bonorum defenſionem, & malorum exterminium, Regibus & magiſtratibus concedit.* Hæc Decretum: vt habeas deinceps illud ſaltem *veſtigium* tuum, quo vt olim Philoſophus, reliquam metiare *portenti* magnitudinem. An verò tam rara huius iudicij ſui documenta Pariſienſis edidit curia, vt dubitandum tibi fuerit, aut nobis laborioſius omninò probandum? An cauſa vlla, cur verba illa amentiæ plena vſurpares, *facilè te adduci poſſe vt crederes*, quid autem? *ſummam* ſcilicet *narrationis illius eſſe vanitatem.* Equidem referre poſſem hoc loco, perſimile exemplum, quod ante annos haud ita multos, vel potiùs ſatis recenter eodem in regno, eádemq́; in Academiâ deſignatum eſt in Candidatum quendam Iuris canonici, qui poſteà profeſſor Regius factus eſt, cum Doctoratum in eâ facultate ambiret. Theſes quaſdam more ſcholæ illius typis diuulgauit, quas & defendere propoſuit, diuidendaſq́; pro conſuetudine dedit amicis. Eas theſes, cùm Doctores nonnulli è Sorbonenſibus, penſitâſſent, & pernicioſæ doctrinæ de *temporali Papæ poteſtate*, aliquid in ijs contineri deprehendiſſent, ſenatum eius rei certiorem fecerunt. Erat vir ille bonis omnibus apprime charus atque iucundus, magno etiam in honore, & ob eruditionem non vulgarem, & ob eum quem in Academiâ illâ obtinebat locum. Attamen dies illi dicta, & decreto Ordinis ampliſſimi, theſes quas parauerat, vt ſuæ *in eâ diſciplinâ* peritiæ ſpecimen da-

ret, damnatæ sunt atq; abolitæ. Neq; profuit illi quicquam quod Illustriss. Cardinali tyrocinium illud suum inscripserat, & accuratè scriptâ epistolâ nuncupauerat. Enimverò si quis scire aueat, quid Senatus Parisiēsis, quid Theologi, alijq; viri moderati Lutetię super doctrinâ illâ sentiant, legat orationes haud ita pridē in curiâ habitas, cùm à Rectore magnifico Academię *Petro Hardouillierio*, tum ab eiusdē Academiæ in causâ aduersus Iesuitas Patrono *Martillierio*, viro eruditissimo, &, facundissimo, atq; acerrimo. Sed vt eò reuertar vnde sum digressus. Exitus celeberrimi illius iudicij, controuersięq; inter Academiam Parisiensem, & Patres Societatis, fuit hic. Cautum est Senatusconsulto, ne fas esset Iesuitis, aut priuatim, aut publicè prius docere, quàm quatuor præcipuis doctrinæ illius exitiabilis capitibus renunciâssent. Paulò post cum Richerius, doctor & Syndicus Sorbonæ, de Ecclesiasticâ & politicâ potestate librum à se scriptum publicâsset, quo videbatur Romanus Pontifex in ordinem cogi, effecit quidem Nuntius Papæ precibus suis, & instantiæ vehementiâ, vt censuræ liber editus subijceretur: sed vt *priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ*, quorum vel nomen ipsum Pontificijs bilem ciet, vllâ in re derogaretur, id verò efficere Nuntius nullo modo potuit. Extat censura illa a Cardinali Perronio & Episcopis quibusdā edita, vbi hanc in extremo clausulâ reperimus, vt cūcta ad quam brevissimam summam reuocemus, *Sic libellum illum à se damnari, vt tamen velint Regum Christianissimorum iura, & Ecclesiæ Gallicanæ, manere sarta tecta.* Quâ paucorum verborum exceptione, somnium illud de *temporali Pontificis omnipotentia*, respuitur penitùs atque explodiur.

CAP. 65. HAEC quia negare Andreas non potest, imò quia viuit in eo regno, vt equidem audio, quod resonat exemplorum horum propè quotidianorum famâ, progrediamur ad illum locum, qui de Henrico 4 proximè sequitur, ac in duo capi-

ta

ta non incommodè diſpeſcitur, vt ſuperuacanea præcidantur: *tempus* inſidiarum, & *homines* à quibus appetitus eſt Rex. *De conuiciis tuis*, inquit, *in clariſſimum illum Regem egi iam ante*, & nos quoque opinor tibi, perdite, reſpondimus. *De mendaciis tantùm hoc loco proſequar.* Deſerturoſne nos putas, aut pedem relaturos? Non intelligo, non video, cùm tu in omni inculcatione nominis tam ſacroſancti atque glorioſi, refugere & horrere debeas, conſcientiâ ſceleris veſtri in eum patrati, nos eiuſmodi ſemper à vobis metuentes ſuſpicanteſq; qualia nuper peperiſtis, etſi dolor iuſtus pervellat, vel lodiat ſanè, vt in tam diro parricidio, tamen euentu vaticiniorum & comprobatione augurij noſtri, *exaquet*, vt ait ille, *victoria cœlo*. Quod attinet ad primum; Vtrum Regem adhuc aliquæ anguſtiæ circumſepſerint, cùm ſe Pontifici per dedecus ſubmitteret; Negari quidem non poteſt, quin ſuperiores illæ omnes vndæ bellorum ciuilium, haud aliâ de causâ in eum efferbuerint, quàm quòd alieno fuerit animo à partibus Pontificijs. Inde *fœdus* illud ſacrum, inde cætera ſœda coniuratæ crudelitatis & barbariei exempla. Sed nec omne periculum penitùs conſediſſe, & ſatis ambiguo filo fortunas regias pependiſſe, cum paululùm quaterfactus *ingens bellua* accepit, & hiſtoria demonſtrat teſtis luculentiſſima, ac nominatim illa Serrani, & ij omnes facilè æſtiment, qui norunt quàm tenera ſit regnandi conditio, quàm lubrica, quàm ſollicita, facilè vt ſopitæ reuiuiſcant flammæ, *vnbeſq;* vt ait ille, *poſt pluuiam reuertantur*, id eſt, conatus, moſitiones: inducias fortaſſe, ſerò pax, ſecuritas nulla, repreſſis partium ſtudijs, non extinctis. Nec ignoras hoc ipſe, qui ita ſcribis, *aut nulli, aut prope nulli ſupererant motus ciuiles.* Aliquì ergo & confeſſione tuâ, cui, mirum, ſi quid magnum, quod Regibus ingratum aut periculoſum, videatur. Ac nonne ſupra iam ſic dixeras, *Cum confecto prope bello* (non ergo planè confecto) *Catholicam religionem Rex amplexi conſtituiſſet.* Hærente igitur adhuc bello, Rex Henricus ad vos accedit.

Parall p.215.

Pag.37. Parall.

Hæc fateor multis antè à te paginis narrata ſunt, ſed tamen, *oportet mendacem eſſe memorem.* Verùm, *& Pariſios*, inquis, *regni caput ceperat, propenſaq; iam cætera ad deditionem ciuitates.* Quippe bello ceperat, expugnatione, vi, ac tam diu retenturus erat, quamdiu eodem virium genere ſuperior. Interrogatus apud Plutarchum ille, quouſque Spartanorum fines ſe portigerent, *quàm longè, inquit, haſta mitti poteſt.* Et, *cuius gladius acutior eſt*, inquit alter; quærenti opinor, *ad quem Imperium pertineret?* Sic hic erat. In tali ſtatu omnia ſuſpecta, ſuſpenſa ſunt; vis, non fides, non officium, dominatur. At, *Spes omnis ſublata fore, vt à fœderatis Rex vllus crearetur.* Spem vocas, impure, quod alij metum. Ita tuum illud retines vſque ad extremum, nec priuatim iam tuum, ſed commune & confeſſione tuâ Ieſuitis omnibus, vt Henrico quarto de ſuo iure adverſaremini, reſiſteretiſq; omnibus vngulis, ne ad regnum aſpiraret. Credamus progreſſu temporis eũ iucundum vobis factum, quem initio tam inviſum habueratis. *Sed priores impetu animosè cum ſuſtinuerit, cur non & cæteram tempeſtatem? Cur hoſtes ſuâ ſponte languentes extimeſceret?* Non dicam quod Stoici, cùm rationem afferre ſolent, cur viri quàm infantes ægriùs moriantur, *Guſtare caperat imperij ſuauitatem.* Scio Principem Navarrenum: ſed tamen habet ἐλκύστιον quiddam Galliæ regnum. Id dicam quod poeta, γλύκιν πολεμὸν ἀπειρήσαντες, experti oderunt. Quò maiore ſuâ moleſtiâ defunctus erat ijs turbinibus, quibus nuper conflictatus, eò cupidiùs oſtenſum tranquillitatem arripuit, deflexitq; paululùm quaſi de viâ, & ceſſit execrabili importunitati veſtræ, prouiditq; ne illi fluctus non depulſi ſed intermiſſi, tantò ſæuiùs in ſe, tempore procedente, recrudeſcerent, niſi aliquâ ratione vobis ſatisfaceret. Hæccine timiditas tibi tanta videtur, aut habeſne quod obiurges,

Pacuvius. " *Tu quoq; nimis es penè animo molli,*

& quæ cætera, in *Niptris*? Audi ſodes, vel teipſum, paulò pòſt philoſophantem. *Occulta proditiones plus habent periculi,*

culi, quàm apertum bellum. Quid mirum ergo, ſi cùm bella congreſſioneſq; non refugerit, ab occultis tamen inſidijs cauendum ſibi ratus ſit, efficiendumq; quoquo pacto, vt vitalem ſaltem vitam deinceps agere, & ſpiritum inter vos liberum ducere poſſet? Vtinam quidem alio pignore, id enim deflemus; ſed ſic, vel mens, vel neceſſitas fuit, hominis optimi, ac cætera quidem viri fortiſſimi atque maximi, hoc vno loco paululùm inclinati, communis fragilitatis documento non vulgari, intolerantiæ veſtræ monumento maximo.

ATQVE hæc ſic hactenus diſputaui, ac ſi homini importuniſſimo, in ſuo imaginario quodã regno exultanti, & ſolã ingenij acie nos laceſſenti, paribus propè armis reſiſtere vellem. Nunc breuiter edam, quid res, & veritas illorum temporum tulerit, quatenus ex hiſtorijs colligi potuit, vt *Cretem* omnes cognoſcant. Duo ſunt tempora quibus Regia calamitas ſpectari poteſt: vnum cogitatæ, alterum editæ atque acceptatæ ſubmiſſionis. Quæris à me, quo ſtatu res cum primò cogitauit? Anno 1593, Iulij menſis 25, Miſſam *primò omnium* adijt Rex. Quo facto profeſſus eſt, ſe omnia facturum, vt Pontificium minimè fictum probaret ſe. Alioqui enim fructus nullus ſperari poterat mutationis. Ac præcipuè iurandum erat, ſe in gratiam redituru cum Pontifice Romano. Notum eſt quantum hodiè hoc vnum caput valeat, vt cæteris propè omnibus quantumuis grauibus præponderet. Nunquam autem eò loci progreſſus eſſet, niſi conſilium iam tum fouiſſet *petendæ abſolutionis*, aut ipſe, aut Conſiliarij eius certè. Id ſemel initum, reuocari, aut omitti poſteà, non potuit. At, *hæc omnia liberè, metu nullo cogente.* Itane? Incumbebant tum vtriq;, & Papa, & Hiſpanus, Galliæ graues, delatum propè regnum gentis florentiſſimæ Hiſpani genero (ſic vulgò loquebantur) futuro, *Guiſio.* Nec deerat noua huic incendio fax, tertia quędam factio à *Borbonio* conflata, qui cùm patruus CAP. 66.

eſſet

eſſet Regis, regnum ſibi vendicabat: eàq; ſpe & nummos quoſdam percuſſit ipſe, aureos opinor, qui extant apud nonnullos, aſſeruanturq; adhuc, in quibus exprimitur nomine *Caroli decimi.* Hæccine non periculoſa fuiſſe Creti noſtro videntur? Intereà autem dum Romæ negocium non procedit, (quæſtuoſæ ſcil. illi Curiæ ſolent eſſe deliberationes) conſilium ab improbis ſtrenuè initur, & ad Regem perdendum, & ad Romanas rationes vniuersè impediendas. Hoc tempus illud eſt, quo Caſtellus inſurgit, Regemq; vulnerat. Quem iſte ab Epiſcopo nominatum hoc loco fremit, & reponit nobis ſtomachosè de Barerio; quaſi Caſtellianam amentiam, quam Ieſuitæ ei afflauerant, Barerius diluat, quiſquis ille fuit. Videat potius ne ad diſcipulorum numerum addiderit, non labem in Societate hærentem expiârit. Etſi autem induciæ in Galliâ fuerunt, poſtquam Rex profeſſionem veterem mutauit, tamen pars longè maxima manebat in inſtituto rebellionis curriculo, vrbes plurimæ, prouinciæ integræ. Hic ſtatus eſt Regis, antequàm defungeretur. Anne verò tam ſecurus, tam metu vacuus? Quid poſt? Abſolutio celebrata eſt, ſi verè narrant, anno Dom. 1595 menſe Sextili. An tum nihil habuit Rex quod metueret? Imò verò exploratum eſt, per aliquot inſecuros annos, maximis tempeſtatibus iactatam eſſe Galliam. Vrbes nullæ, aliquot prouinciç, ante pacem cum Hiſpano factam, quod fuit anno 1598, Regiam authoritatem non ſunt amplexæ. Porrò exercitus aliquot ab Hiſpano in Galliam immiſſi. Vrbes obſeſſæ, vexatæ, captæ, ſtrages in Picardiâ maximæ editæ. Caletum amiſſum, & alia oppida maritima. Samarobriga Ambianorum ab Hiſpano occupata. Deniq; nuſquam maior rerum omnium perturbatio, donec tandem pax coaluit, cunctaq; in Regiam poteſtatem conceſſerunt. Poſt hanc pacem contendimus, nullum memorabile periculum adijſſe Regem, & quæ iſte ex aduerſo oggannit, perfutilia ſunt. *Maueſchaliana conſpiratio ei periculoſa videtur*, ſcilicet. Credo verò niſi Rex omnia ſem-

1

per

per in oculis habuiſſet, niſi vt quicquid gerebatur ſtatim veſtigâſſet, in medijſq; coniurationis medullis hæſiſſet. Ea res & fraudi Mareſchallo fuit, & Regi incolumitati, & vniuerſo regno beneficio ac ſaluti. Quicquid enim literarum Mareſchallus, aut ad Hiſpanũ, aut ad neſcio quos alios ſuos complices ſcripſerat, Rex priùs intercipere, atque in poteſtate ſuâ habere, quàm quò deſtinabantur perferri poſſent. Itaq; omnia conſilia hoſtis ſui perſpexerat, molitiones omnes, neque ab eo ſibi timendum vnquam putauit. Lemouicenſis coniuratio, ſiqua fuit, in herbâ extincta eſt: 2
nullus ibi motus, nullus armorum ſtrepitus auditus eſt. Delata ſunt paucorum Nobilium factioſorum nomina. Rex Iudices miſit Lutetiâ, viros togatos, qui reos ſupplicio affecerunt, & numero paucos, & ex humiliore loco, quàm vt tanto Regi nocere poſſent, vel ſi maximè vellent. Καὶ, τοῖσνδ' ἀνδράσι τόδε πρᾶγμα. De Arvernis quòd garrit, non 3
bene ſcio quid velit. Friguſculum, credo, narrat Aulici cum Rege ſuo. Quaſi vlla Curia his exemplis careat, aut quàm diu ſycophantijs locus erit, caritura ſit. Neque verò relligionis hîc vlla cauſa ſubeſt. Accuſatur Comes, accerſitur, renuit: latet quoad poteſt, & ſe defendit. Metuit enim ne odia plus legibus valeant. Tandem capitur, ad Regem adducitur. Quid hîc periculi? Porro nuſquam deprecatur legitimum iudicium. Nec vltrà me miſceo in arcana politiarũ. Quæ cum ſua ſunt cuiq; ſub cœlo ſtatũ, tum maximè Monarchiæ. Quòd ſi verè Apoſtolus, μεῖζον τὸ σπεῦμα τῦ ἀνθρώπου ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώπῳ, quanto magis hîc? Sedu- 4
nenſes verò tumultus nulli vnquam in Galliâ fuerunt adhuc, ac ne eſſe quidem per naturam rei potuerunt. Quomodò enim Sedunenſes tumultus in Gallia, cum Sedunum in Gallia nuſquam ſit? Παραταῖος Græculus, & *Sedunum* à *Sedano*, non internoſcit. Nec typographi *errore*, ſed ſuo *furore*, ſæpius Sedunum pro Sedano iſtic tat, Sedunenſes pro Sedanenſibus. Credo, quòd cum in Cæſaris commentarijs olim puer de Seduno legiſſet, de Sedano nequaquã,

deſertâ veritate eò accurrit, quò nominis amplitudo trahere videbatur. Nobis iſta ſemel enucleanda ſunt. *Sedunum, Veragrorum*, hodie dicitur *Sion*, oppidum in Helvetiorum finibus, & ea quæ dicitur Valeſia, ſitum; quod proprium habet Epiſcopum, neque alium ſęcularem agnoſcit principem. *Sedanum* in finibus Lotharingię & Leodij eſt, *Ducum Bullioniorum* hoc tempore ſedes, poſtquam fortunæ iniuriâ, priorem ſedem ſuam Bullionium amiſerunt, à Leodienſibus occupatam. Per *Sedunenſes* igitur tumultus, homo vecors & nequâ caſum nobiliſſimi *Ducis* intelligit, qui *Sedani* princeps eſt. Ac nominare eum non eſt auſus, ſcit enim quàm falſo crimine arceſſat, cùm Bullionius nullum motum Regi obiecerit, niſi quem Rex ipſe ſibi excitauit. Quæ tota narratio paulò altiùs repetenda nobis eſt, vt efferatiſſimæ huic belluæ fauces oppilentur, & Illuſtriſſimi Ducis integritas appareat.

CAP. 67. *Ducem Bullionium*, (olim *Vicecomitem de Turaine* dicebant) Rex Gallię prudentiſſimus, à iuvene admiratus eſt propter altam mentem, egregiamq; indolem, quæ etiam illâ in ætate admirationi fuit omnibus. Poſtquam Rex conſilja relligionis mutauit, vnus erat *Bullionius*, in quem oculos conijcerent Orthodoxi omnes, nec obſcurè ſe ad illius authoritatem conferebant, ducem etiam ſecuturi, vt inepti homines loquebantur, ſi quando id Reip: tempora poſtularent. Fecit ea res, ne vnquam in Aulâ deeſſent, qui Regis animum ab eo abalienare conarentur. Sciebant naturâ ſic eſſe comparatum, *vt quem Reges metuunt, eundem ſemper oderint*. Quare hoſtium Reformationis per multos annos continuos labor in eo conſumptus eſt, vt perſuaderent Regi, Bullionium deſignatum eſſe ducem Proteſtãtium, ab illo vno, Regi, periculum eſſe rerum novarum. Virum eſſe præpotentem, ingentis animi, ingentiumq; ſpirituum, relligioni ſuæ addictiſſimum, ad omnia paratum. Hæc cùm Regi ſapientiſſimo quotidiè inſuſurrarentur, eâdem facili-

tate

tate repudiata quâ confícta ſunt, nec obrepi potuit menti vigilantiſſimi Principis, quamdiu Bullionius in Aulâ maneret. Vbi autem exceſſerat, ſeq; vel *Sedanum*, vel ad alias ditionis ſuæ terras tranſtulerat, tanta erat contentio quærentium illum perdere, tam vehemens oppugnatio, tam indefeſſa apud Regem, vt ſemel, iterum, atq; adeò tertiùm, Regijs literis in Aulam reuocatus ſit, quibus occaſiones præbuerant falſi rumores, & ficta crimina, ab inimicis iacta & contorta in abſentem. Non renuit *Bullionius*, vocatus ſemper venit, & vt ſol exortu ſuo nebulas diſcutit, ita ille quoties Regijs ſe conſpectibus obtulit, omnes ſuſpiciunculas & leuiſſimas profligauit, os hoſtibus egregiè clauſit. Anno nilleſimo ſexcenteſimo primo, incredibilis Pontificiorum contra eum exarſit inuidia, quòd ſereniſſimæ Principi Regis ſorori, quæ Lotharingiæ Duci nupſerat, animos addidiſſe credebatur, quò minùs machinis cederet de profeſſione fidei ſuæ illam deijcere molientium, & ad Papatum abſtrahere. Quod & Regiæ Maieſtati permoleſtum accidiſſe ferunt, qui illam ſecum mutatam cupiebat. Tandem coniuratio & ſupplicium *Mareſchalli*. Tum verò fremere haud obſcurè Pontificij, paſſimq; ita dicere, *Bironium* propter vnam offenſam perijſſe, qui Catholicæ relligionis tantus eſſet patronus, *Bullionium* viuere, qui toties in ſuſpicionem vocatus eſſet, quicq; de Bironianâ coniuratione aliquid reſciſſet. Ferunt illo tempore excidiſſe Regi vocem, dum Pontificiorum animos delinire cuperet, necem Mareſchalli indigniſſimè ferentium, *Ne lacerarentur Reformati morte Biroui: breui enim futurum, vt vnum è ſuis deſiderarent, fortitudine bellicâ Bironio non inferiorem, prudentiâ Bironijs etiam multis parem.* Agebat tunc *Bullionius* in vltimis propemodùm Galliæ finibus, verſus Pyrenæos, vbi vicecomitatum ampliſſimum, & alias ditiones poſſidere dicitur. Referebantur illi quotidiè hoſtium ipſius conatus, & molitiones aſſiduæ, vt ad ſe perdendum Regem optimum impellerent. Interea Rex eum ad ſe vocat,

ac primò quidem cauſam vocationis aperit, ſed tamen nihil, Bullionius, eorum quæ Lutetiæ agerentur, ignorabat. Quare primò excuſatione Dux vti, deinde cùm repetitis, atq; adeò iteratis Regijs literis vrgeretur, in ſuſpicione ſuâ confirmatus, iram clementiſſimi alioqui Regis, vitandam ſibi ad tempus non iniuriâ putauit. Eſt in illâ parte Galliæ vrbis *Caſtra* dicta, vbi eſt etiam decuria iudicum ſelectorum è Parlamento *Toloſano*, ex vtriuſq; relligionis hominibus compoſita, vbi cauſæ Proteſtantium diſceptantur. Eò Dux ſe contulit, vix nobilis viri comitatu inſtructus, atq; ad Regem ſcribit, paratum omninò ſe ad ſubeundum iudicium, iuberet de cauſâ ſuâ cognoſci, ſe fidelis ſubditi officio non defuturum. Non placebat hoc illis qui Regem circumſtabant, quiq; perditum *Bullionium* impenſè cupiebant. Horum de conſilio Rex non antè deſtitit, quàm ſpes omnis erepta *Bullionio* eſt, poſſe negotium ſuum *Caſtris* terminari. Quare certior factus de irâ Regis, quotidiè adverſus ſe ingraueſcente, conſtituit finibus Galliæ excedere. Quod etſi difficillimum erat illis in anguſtijs, ille tamen deo fretus, & aggreſſus eſt & perfecit. Quæ deinceps ſecuta ſunt, longum fuerit perſequi, me autem breuitati ſeruire par eſt. Manſit Rex in eâ voluntate, vt placeret illum. Lutetiâ ad ſe accedere, neq; vllam in diuerſum excuſationem admitteret. Quia induci non poterat Dux fortiſſimus, vt in manus hoſtium ſuorum ſe traderet, qui Clementiſſimo Regi falſa multa perſuadentes, domicilium ſermonum ſuorum in eius auribus collocàrant, ne videretur Rex ſubditum ſuum in ordinem cogere non potuiſſe, conſcribit exercitū, & *Sedanum* accedit. Exitus bonis omnibus lætiſſimus & iucundiſſimus, cùm Regiam admirandam benignitatem patefecit, tum *Ducis* optimi innocentiam comprobauit. Miſſus eſt in vrbem colloquij cauſâ vir maximus, Romæ ſatis notus, D. *Villaregius*, relligioni Romanæ addictiſſimus ille quidem, ſed integerrimus. Hic paucis omninò horis, nec longo ſermone, & Regem Bullionio penitus placauit,

& in

& in priſtinum gratiæ locum Bullionium reſtituit. Atq; hi ſunt *Sedanenſes* illi tam peſtiferi tumultus, in quibus tragœdias ciet *furia* hominis. Digni verò, qui cum ſuorum iam parricidijs compenſentur. *Bullionius* ſuſpicionibus duntaxat laborauit. Abſens delatus eſt, accuſator in eum iuſtus repertus nullus. Si ſufficiunt ſuſpiciones ad reum damnandum, quis erit innocens? Nulli adverſus illum teſtes auditi, lis nulla legitima intentata eſt. Prudentiſſimus verò Rex, quo deinceps loco ipſum ſemper habuerit, quo nunc habeat ſapientiſſima Regina, vt nihil dicã de publico regni iudicio, nihil de eâ exiſtimatione, quã paſſim floret, ne adverſarium quidem, quamvis improbum, diſſimulaturum arbitror. Atq; adeò vt timidè cum *Sedano* involuit, ſeu magis *Sedano* ſuo, quod & fortè ita fecit, affectatione voluntariâ, non auſus *illuſtriſſimum heroa* appellare, & ſolo nomine probra illa repercuſſurum. Sed ne à me quidem nominatus fuiſſet *Dux præcellentiſſimus*, niſi ad ſingularem eius honorem pertinere putarem, vel dubijs illis temporibus innocentiam ſuam tam præclarè approbare potuiſſe, vel nunc tacito Ieſuitarum cædi convicio.

VIDIMVS de *tempore*, ac nonnihil etiam *de genere* hominum purgauimus, à quibus periculum Regi creatum, vt iſte vult. Lemouicenſes enim Sedunenſeſq; tumultus ſuos ideò profert, non ſolùm vti Regem malè ac moleſtè habitum eſſe doceat, ex quo Pontifici nomen dedit, verumetiam vt noſtros homines ſeditionis ac turbarum crimine inuoluat. Quæ cauſa eſt, cur *bis* inculcitet. Sed ſpecialiùs tamen onerat Chriſtianos Gallos (*Reformatos* illi vocant *vrbium detentione inuito Rege, miniſq; ni Rex repetere deſinat.* Non dubito quin ad *minandum* promptiores ſint noſtri, quàm *ad vim inferendam*, vos vetulum, vt in prouerbio eſt, canem imitati, citra latratum ſolidè lædatis, ſiquidem poteſtis. Teſtes coniurationes veſtræ, tot, tam truculentæ, in quibus nihil minati, conati quidem. Et tamen hę minæ, non

CAP. 68.

Nobilis noſtra ciuitas Germanis nomine Bellum Gallice? ſignum vul-

giuant, quo ſe regnis ipſis humana voluptas in bellum auaritiam ſe mutuo mittant, vt reptent rem volerum ſanctiſſimarum diripiant. Parall. p. 221.

ſubditi, ſed *peregrini* neſcio cuius, eſſe videntur, (*Germanum* tu vocas) fortaſsè autem ne fuerunt quidem vllæ. Nec ſi vnus furioſus, *ſexaginta myriadas* ſtolidè iactat, ideò omnis illa multitudo ad hoc crimen aggreganda eſt, quorum ille βουγαῖος nomine abutitur. In tam magno numero, quid mirum eſt, vnum, paulò aſperiùs loqui auſum, quàm facere? Ego verò etiam ſuſpicor librum illum, ſi quis talis, ab aliquo veſtri ordinis Ieſuitâ concinnatum, & malitioſè in populos ſparſum vulgatumq́; , ad inuidiam noſtris hominibus conflandam. Docuere me hanc ſuſpicionem, quę de libro Marianæ inaudiui ex fide digno, vos prælis noſtris illum imprimi curâſſe, vt & nos infamiam facti ſuſtineremus, & doctrina interim veſtra, ſanguinaria, diabolica, impunè volitaret per orbem terrarum. Sed ad *vrbes* redeamus, atque adeò *in vrbem*. Ignoras, ſceleſte, ſtatum Galliæ. Res ſic ſe habet. Luce demùm aliquâ reddità regno Gallicano, & refrigeratâ diutini temporis perſecutione, poſt crudeliſſima multorum annorum viuicomburia, & teterrima ſupplicia innocentiſſimorum hominum, tot lanienas, tot cædes, placuit Galliæ Regibus, quando res in melius coiturę videbantur, vt metum adimerent fidelibus ſuis ſubditis, aliquot per ſingulas prouincias vrbes, pręſidio eorum hominum qui noſtram fidem profitentur; munire, ac firmare, illiſq́; vel *vtendas* vel *tuendas* tradere. Tempus definitum eſt certorum annorum; ſed Henricus quartus non ſemel ſed ſępius, temporis prędſtituti finem anteuertit, & diem perliberaliter Proteſtantibus propagauit. Nec ſereniſſima Regina ab eodem conſilio deinceps abhorruit. Quo enim ipſo die, nefario veſtro ſcelere, eorumq́; , quos vos toxico veſtri dogmatis imbueratis, Rex fortiſſimus victima occubuit, conditionem vltrò obtulit *Reformatis* qui vocantur, vt quamdiu Rex minor eſſet annis, vrbes ſeruarent, quas etiamnum aliquot annos ſeruant. Si in illarum vrbium aliquâ fuiſſet Rex Henricus, viueret adhuc, regnaret, triumpharet; nulli illic Ieſuitæ, nulli Hildebrandi,

Nec

Nec intumescit alta viperis humus.

Vestræ occultæ illæ flãmulę, in Marianæ *Institutionem* callidè abditæ, tandemq; in Ravaillacum fomitem lapsæ, illum absorpserunt.

CVM *domestico* nullo possis, inhærente, vero, *tralatitio* crimine grauare appetis *Reformatos*. Quid tandem? Serenissima ac Sacratissima Regia Maiestas, affirmat in *Praefatione* suâ *Monitoriâ*, se plus fidei reperisse in limitaneis latronibus (quos tu *monticolas* absurdè vocas, quasi adhuc correcturus Regium Interpretem, quàm in Puritanis. Esto verò. Ergone Rex aliquando Gallos perfidiæ arguit? Qui fallor annon se Regio ita iudicio submissuri sunt, vt non alteri libentiùs, toto orbe Christiano. Sed Puritani (inquis) sunt & Galli hi, imò *medulla ipsa Puritanismi ibi, sicubi vspiam, regnat liquida*. Relligionis Christianę professores, hos credo homines, vis dicere, acerrimos, singulari zelo, inuictâ constantiâ, virtute, & probitate, ac cautione, in totâ vitâ formandâ, nãrabili. Nam Puritanus quidem *sectæ* nomen est apud Regem, eosq; denotat, qui puritatem sibi ante cæteros ridiculè arrogant, & tantùm non propheticum illud infremunt, *Discede longiùs, purior sum te*. Quod genus tam antiquum est, vt in antiquissimis Concilijs, [a] Nicæno, & [b] Constantinopolitano primis, damnatum legamus nomine καθαρῶν. Vobis illi *Puritani*, qui aut sæculi corruptelis, aut cloacâ superstitionum vestrarum fortiter eiurată, *syncero corde Deum quærunt*. De quibus Propheta, imò Dominus ipse, *Si separaueris pretiosum à vili, velut os meum eris*.

CAP. 69.

a Can 8.
b Can 7.

Calviniani turbulentum genus hominum (inquis) *mirum vt sit non in cineres ac fauillas regnum Galliæ abijsse*, ex quo illorum iniectis seditionibus conflagrauit. *Bezam, Farellum, Viretum* nominas. Quorum nemo acervis corporum vias oppleuit, nemo flumine sanguinis ciuitatem rubefecit. O noctem illam funestam & acerbam atque miseram; sed te

Andreæ

Andrea miſeriorem, qui demens & furiatus mentionem facere auſis ſeditionum Gallicanarum, cùm de partium ingenijs ad arma controvertitur. Quid triſtia illa dico? ad leuiora deſcendamus, indigna tamen. Require ex Annalibus veſtris, quibus Gallia debeat. Quære qui præclaras *reformationes illas* ediderint, quoniam nomem *Reformationis* vos tantopere delectat, vt *pro multis lupanaribus vnum tantùm reliquerint, ciuitatem nempe totam meretricio mutatam.* Proh deum immortalem! Non expergiſceris Gallia, non te vindicas? Nonne aliquandò, etſi ſerò, in tantæ tuæ labis authores conſurgis? Sed *inquieti noſtri.* Dic furia, dic, quâ in re. Omitte vagationes, & certum aliquod crimen nobis intende. Dic quid Beza, Farellus, cæteri peccârint? Niſi quòd *atrium poſſidentem fortem virum eiecerunt*, freti *fortiore*, & dormienti in vmbrâ Cerbero facem intentârunt. Quid enim tam infeſtum deploratis mentibus, quàm prædicatio veritatis? Quam Seruator proinde & *gladio* & *igne* circumlocutus eſt. Οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐν τῇ γῆ, inquit Chryſoſtomus, ἀλλ' ἦλθον διδάσκαλίαν πυρὸς σφοδροτέραν. Sic hîc. Alioqui non modò manu, ſed ne veſtigio quidem, cuiquam molefti fuerũt ſanctiſſimi illi viri, clariſſimi Theologi, quos paulò antè nominani. Imò ipſi nos ridere & exagitare ſoletis (Perſonium hoc alicũbi facere memini) vt delicias & voluptates meras tum ſectantes, nihilq; ne virile quidem, nedum turbidum ſpirantes. Quæ quamvis falſa accuſatio, iſtam perimit.

Verba Card. cuiuſdam in Orat. ad multitud. Gall. ſub diſceſſũ.

In τὸν μέγαν τῶν αἱρέσεων ἐξελέγχοντα.

Adverſ. D. F. Haſtings, ex Claud. Sanctio in Reſp. ad Apolog. Bezæ.

CAP. 70.

TV tamen & *Pyramidis* mentionem facere audes, Epiſcopiq; illa verba in librum tuum transfers, quæ habet de *Pyramide*, penè dixerim grauiora ad ignominiam Ieſuiticam quàm ipſa *Pyramis*, ad diuturnitatem certè temporis multò ſuperiora. *Lapides* (inquit) *amoliti eſtis, at non rei memoriam, non magis quàm cicatricem de vultu regio. Manet hæc in vultu, manebit illa in hiſtoria*, & quæ cætera ſequuntur apud Antiſtitem grauiſſimè. Nunc autem, ſi cicatricem de

vultu

vultu non remouiſtis, at & vultum & cicatricem tenebris obruiſtis, quę fælicitas eſt parricidarum, ſicut malorum medicorum eſſe aiunt, vt quicquid peccauerint terra contegat. Quanquam & corpore ſepulto, & *Pyramide* diſſipatâ, memoria hominum neutiquam excindetur, extabitq; ſeritatis veſtræ *monumentum* (vt ille ait) *ære perennius*. Vel vt alter non malus,

——— quod nec Iouis ira nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas,

hoc eſt, nec Papæ fremitus, nec cætera importunæ tyrannidis veſtræ arma, nec poſtremò longinquitas æui ipſa delere. Aletur chartis, ſermonibus inueteraſcet, conſcientiâ deniq; mortalium ſibi invicem ſuccedentium, quamdiu ſtabit rerum natura, fouebitur. Nec ſi Rex Clementiſſimus, vel ingenij bonitate ductus, vel à veſtris furoribus malè metuens, & vt aliquâ ſi fieri poſſet, ſeram deliniret, de evertendo monumento illo vobis gratificatus eſt, quod meritiſſimum & iuſtiſſimum mundo teſte erectum eſt, in infamiam Ieſuiticæ ſocietatis ſempiternam, ideò, vnà cum diſturbatione eius, memoria hominum evanuit: atq; vt nos obliuioſiores eſſemus, tamen recens veſter furor, & repetita audacia, non reſtituit modò Pyramidem, ſed palmatam Regio cruore dedit.

CASTELLVM non fers in tuis numerari. *Philoſophiæ modò* (inquis) *ille apud nos operam poſuit*. Mihi verò ſuſpecta, vel rudimenta illa veſtra, primæq; lineæ ſanguine ductæ, & iam tum embryo parricida fingebatur. Quanquam cædes tyranni vnum eſt eorum, quæ etiam in Philoſophiâ tradi ſolent ab ijs, qui ex Marianæ cortinâ ſapere geſtiunt. At quàm præclarè obiurgas? *Furioſus adoleſcens*. Beniamin opinor alter in *mentis exceſſu*, ferox, feruidus, temerarius. Ita enim & Perſonius veſter, cum pulueriam coniuratorum manum deſcriberet, haud triſtiori vocabulo notandos cenſuit, quàm vt *generoſas indo-* CAP. 71. Parall. pag. 223, 224. &c.

les, nec ſatis audendi fortunatas deploraret. Illa verò iam diuina, non ſatis rectè conſulere ſaluti Rerumpublicarum, qui Ieſuitas, authores eius dogmatis diffamant, quo tyrannum occidere licitum perhibetur. Quid ita? Quia *eiuſmodi eſt multitudinis de Ieſuitarum integritate atq; eruditione iudicium*, vt nudum eorum *nomen vel immaniſſimo Paradoxo* conciliet authoritatem. Parumne de ſe hi homines magnificè ſentiunt? Nimirum hi ſunt illi, qui ſedem Apoſtolicam per duodecim-viros è Societate, quàm per vnum Pontificem fœliciùs adminiſtrari poſſe autumant. Vanitas & iactantia, quò aſcendis? Nec inuideo tamen tuis, ſi *multitudini* ſe venditantes, neſcio quam aurulam collegerunt. Hiſtrio mihi in mente, qui plauſu excitato, vapulauit à magiſtro, cum quidem ita eum argueret, *Non laudaturus fuiſſe illos* (circumforaneos nebulones) *niſi aliquid caſtigatione dignum admiſiſſet.*

CAP. 72. Pag. 228. &c. adiunctis Paralli.

RELIQUAM ſanè diſputationem tuam, quâ Marianæ non dogma ſed portentum convellis, non ſolùm non improbo, ſed ſummis etiã laudibus efferendam iudico, vel eloquentiæ nomine, vel reliquæ quæ in ea elucet doctrinæ tuæ, optaremq; fateor aures meas tali quàm ſæpiſſimè circumſonare acroaſi. Etſi nuſquam ab ingenio tu quidem longè recedis, qui venenarium illum colubrum Marianam ita foues, etſi & publicè detectum, & grauiſſimo Sorbonæ iudicio damnatum, vt celato nomine etiam crimen extenues. *Nonnemo*, inquis, *nonnihil populo concedere viſus eſt in tyrannum.* Ita ægrè non Societatis modò amorem deponis, ſed vix vel à pernicioſiſſimi dogmatis communione te ſegregas. *Nonnemo* & *Nonnihil.* Sic tu videlicet ſtrabonem pętum appellas. Porrò dicis, eum *diſputâſſe tantùm, & non ſine dubitatione quadam*, quaſi illud dicere velis, *nihil conſtituiſſe.* Quæ perridicula excuſatio eſt, cùm Mariana ſuum iudicium ſatis apertè declarârit, adeò vt etiam peſtilenti illi Rauailliaco perſuaſerit (quò magis tibi credamus

Ieſui-

Ieſuitas & *Paradoxa* ſua probare populis poſſe, imò equidem *immaniſſima paradoxa*, vt appellitas) & quod ipſe de venenulis ijs nequiter diſputat, vtrumne ita præbenda ſint, vt tyrannus, nullâ cooperatione eius qui miſcuit intereat, ſed ſibi tantùm necis author extitiſſe videatur, id in libro poliendo, & dogmate propinando, ſcriptori item cuiuis facillimum ſit effingere, vt Lector neſcius errorem hauriat, perniciemq; ſuam, non magiſtro, ſed ſibi debeat. De Reg. &c. l. 1. c. 7.

Vnum illud vtinam ex animo, vtinam altiùs diceres, quod nunc quaſi muſſitare aut ſuſurrare mihi videris, ſubextimeſcens opinor, ne ex collegis tuis aliquis poſt lauretum aut platanona deliteſcens te exaudiat, *Quam eius ſententiam cæteri improbamus.* Sed aliud ἐν σκάφῃ, aliud ἐν πλοίῳ, poeta olim, & nimirum Ieſuita revoluetur ad theatrum ſuum, nec patietur tam ſplendidum dogma intermori, præſertim tam parata ad amplexandum *multitudine*, vt quicquid illi dixerint, pro oraculo ſit. *Vnuſquiſque talis eſt qualis in turbine:* dictum niſi fallor S. Hieronymi. Meditatæ commentationes, & accurata ſcripta, ſaluberrimas ſententias ſæpe nobis pariunt: proditio, Regicidium, vniuerſè diſplicent. Cum ad τόδε τί, cum ad *hoc vinum* ventum eſt, labaſcit ἐκπλὴξ, vt eſt apud Ariſtotelem. *Hoc* funus, *hunc* ſanguinem, *hanc* præclaram opportunitatem, non modò Scioppius & Bonarſcius, qui diſertim ac nominatim votum ſuum exprimunt, ſed nec Andreas ipſe Cydonius, *dulcis bimulus*, & *dicta docta dans*, de manibus ſibi elabi perpeſſurus eſt. Audiantur ſi placet, quæ hoc loco ſcribit. Non *deterioris conditionis Principes iure omnium gentium ſacroſanctos, quàm latrones aut ſicarios facimus, in quos quamvis extrema omnia meritos, priuatis tamen nullum ius eſt.* Hephæſtionem aut Craterum loqui putes, vel ſi quis fuit Regis ſui amantior. Sed eſt ipſe parricida. Non modò enim ſe mutabit, cum *ad actum* ventum eſt, cum opportunitas inuitat, ſed hic quoque ſub oſcillo *dæmonem* fouet. Videtur

Eccleſiaſtico, & Amphitheatro.

tutos reddere Principes, a *primatorum* saltem incursibus tutos: Sed quem Papa immittit *primatus* non est: si censuerit Pontifex, si decreuerit, *magistratus es* quisquis es, & licet vltrò. Ita cuiusvis sicarij furoribus expositi sunt, illi paulò antè *omnium gentium iure* tam *sacrosancti*.

CAP. 72. SCIMVS, inquit, *non causam modo iustam, sed legitimam potestatem requiri ad id, vt iure quis occidatur.* Sic sanè Augustinus. *Et meritum criminis, & ordo potestatis*, concurrant oportet, ad pœnam repetendam. Tu verò nos doce, talem vllam potestatem, non dico in *primatis*, quos ipse segregas ab hac causa, sed vel adeò in *Pontifice* tuo, vel in quouis sub cœlo mortali residere, vt Regem *exauctoret*, nedum *evitet*, vt loquitur Ennius. Anaxagoras olim egregiè, *Non errat sol, sed si errauerit, furiæ cum inuenient iustitiæ ministræ.* Et Rex, ne temerè exorbitet à cursu, sed si deerrauerit, relinquendus nempe est diuino tribunali. *Tibi soli peccaui*, inquit Dauid, *Rex enim erat*, inquit Hieronymus, *quem metueret non habebat.* Intellige de coactiuâ potestate. Chrysost. ad Stelechium περὶ κατανύξεως, [Dauid] ἰδίᾳ ἔγκλητον ἐπιλαμβάνεται. Non modò non κολάζεται, sed ne ἐπιλαμβάνεται quidem. Sacras literas attendo? *Nemo dicat Principi, cur sic facis?* Eccles. 8. 4. Quod Regum proprium, parasiti ad Pontifices ineptè transtulerunt. Denique, *Non est qui resistat ei*, idem Salomon de Rege, Pro. 30. Disertus esse possem, si ista persequi vellem. Et sæpe fecimus, & sæpe faciemus. Adde postremò.

Camerar. Præf. ad Herodot.

Ad Eustoch.

dist. 40. Can. Si Papa.

Deum etiam monitos ab Apostolo Petro fideles meminimus, posterioris epistolæ suæ secundo capite, vt subditi sint dominis etiam dyscolis. Hanc enim esse gratiam, si propter conscientiam dei, sustineat quis tristitias, patiens iniustè. Ac nec contentus eo addit, *Hoc Apostolicorum temporum Ecclesia exemplo suo nos docuit, quæ ita aucta atque amplificata, vt armis interdum tueri se posset, tamen non minore patientia tyrannorum rabiem tulit, quàm in ipsis incunabulis pertulissent.* Si syncerè ista, si candidè, si sine vllo aut æquinocatio-

nis

nis ſuco, aut reſeruationis mentalis, quis doctrinam modeſtiorem, quis ſubditos mitiores, aut placidiores deſyderet? ſed plena perniciei & fraudis ſunt omnia. *Ego te ô virtus rem eſſe putàram, tu oratiò eras mera,* ait Brutus. Idem hic. Quod affert ex S. Petro, *vt ſubiecti ſint dyſcolis, meminiſſe* ſe dicit, *obſeruare* non dicet, nc ipſe quidem, niſi quoad Papa probauerit. Sic enim nuper ex eâdem *officina, Tonſor* neſcio quis, cum ad illum locum reſponderet, *Inſſit quidem Apoſtolus* (inquit) *quieſcere fideles, ſed ſi ei libuiſſet, potuiſſet etiam tum in tyrannum armare.* Quod conſimili modo Papæ licere ſtatuunt, atq; ex eius nutu ſummam metiuntur obedientiæ ſuæ. Sed, *cùm armis ſe eccleſia vlciſci poſſet, non fecit.* Ain' tu? Ego verò non dubito, eccleſiam Chriſti hoc ſecutam eſſe, ſed quæro an tu idem diſcipulis tuis præcipias, vt *nullo* vnquam *caſu* in magiſtratum inſurgant? Lapidibus te pol obruant collegæ tui, ſi dixeris, ſi explanatè quidem, ſi non aliquam fraudi latebram & inſidijs reſeruaris. Itaq; illud excogitâſtis, vt in Regem, *manentem Regem*, nihil vobis liceat, quantumvis ferociat, quem tamen penes Papam ſit exauctorare cùm velit, vt omnium iam deinceps agitetur audacià. Porrò eſt alius caſus ſcandali, quem conſultò omiſiſti, cùm de viribus temporalibus hoc loco diſſereres, à me non prætereundus. Non vlciſcuntur ſe armis Chriſtiani, cum poſſunt? Vlciſcuntur illi quidem, ſed ſi ſcandalo res vacat, ſi nulla *eruditas*, vt paulò ante Richeomus. At. *cum ſcandalum imminet, non faciunt* (inquit Thomas) *etſi vires ſuppetant.* Quæ ſumma eſt eorum quæ Andreas hoc loco tradit, poſt quę omnia Regicidium & licitum & honoratum ſit (ita ſuauis Regum Ieſuita cuſtos eſt, *ouium lupus* vt dici ſolet,) ſi res ſic tulerit; ſi & vires adſint, & Papa cenſuerit, & nullum ſcandali periculum inſequatur. Adeò vt olim Epicurus, quamvis doloris fugentiſſimus, tamen ob magnam voluptatem, modicum dolorem aſſumendum eſſe non negauit, ſic iſti ſi cum Regibus temperatiùs ſe alienan-

do gerant, non honoris causâ gerunt, quem Regibus deferunt, sed quò impunitiùs alio tempore in eos grassentur. Metuunt enim ne scandalo authoritatem suam amittant, &, flagrante infamiâ, quæ deinceps exequi velint, nequeant. Ea Hessij, ea Lessij, reliquorumq; mens est, imprimis autem Gretseri, ad quos tu tamen diuertere nos hoc loco iubes, vt de Papistarum pietate in Principes erudiamur. Ex vno Valentiano æstimemus de cæteris, quia eũ quoq; laudas laudis huius auctorem. Quæsiturus *an priuato tyrannum occidere liceat*, distinguit de tyranno, vt sit alius *titulo, administratione alius*. Rectè quidem, sed cætera audiamus. De hoc postremo inficiatur, de primo concedit, imò *quemvis subditum in talem tyrannum armat tanquam in hostem*. Interrogabis me fortè hoc loco, quid reprehendam? Velimne sacrosanctum esse, qui regnum ad se reuocet, cùm nullo iusto titulo nitatur? Tu verò mihi considera, quàm latam fenestram licentiæ populari aperiant ij, quos vt magnos assertores iuris Regij hic laudasti, cùm à quolibet eum subdito trucidari posse fateantur, quem Papa exauctorauit, de imperioq; deiecit. Nam hic quoq; post id temporis, in *primâ* tyrannorum recensebitur classe, etsi abhorreat à *secundâ*. Quid est Rex Henrice? Ecquid iam tibi plaudis? Ecquid veniam das Iesuitis, philosophandi quæ velint, de nece tyrannorum, quia tu non es? Id enim ab Andreâ in defensionem societatis magnificè venditatur, te solitum esse dicere, *desinirent Iesuitæ de tyrannis quæ vellent, per te, te enim non tyrannum sed Regem esse manifestissimum*. Quod ego non dubito, quin tu verissimè de te prædicare potueris; sed quid id ad securitatem tuam, cum simulac tu in offensionem aliquam incurreris Pontificiam, grauem præsertim, de titulo deijciendus, & in tyrannum qualemcunq; transcribendus sis? Ac quia dixi de *Henrico*, in eo terminabo.

2.2.Dist.5. quæst 8. pun.3.

CAP. 74. Κεφάλαιον τῶν εἰρημένων est, *Iesuitas in magno æstimio Regi Henri-*

Henrico fuiſſe. Ille verò iam viueret, ſi eum ſua bonitas in errorem non induxiſſet. At, *in valde charis Patres habuit*. Non miror ſi pellexerint eum, cùm non antè acquieuerint, quàm *corde* potirentur. Verùm, *extat oratio eius, quâ pulcherrimum Ieſuitis teſtimonium tribuit*. De quâ iure dixeris, quod leo olim in fabulis monſtratâ picturâ, *Hominem pinxiſſe, non leonem*. Tam obtuſum eſſe quempiam, cui iſta non ſuboleant? *Malos Eccleſiaſticos* ait *Ieſuitis reſtitiſſe, itemq́; hæreticos*. Porrò, *ſcientiæ ignorantiam inimicam eſſe*. Nihil dicã de nobis, quos hæreticos vocat. Ne exagitabo quidẽ, quæ Thraſonicè de ſcientiâ ſuorum hominũ iactat. Sed an mali Eccleſiaſtici illi, qui toto Papatu tã frequentes à Ieſuitis hodiè diſſentiunt? Videat cenſeo, ne ad perpaucos redigatur Eccleſia ſua, illud ſi obtineat. *Et ſol in ſanguinem, & luna in ſaccum*, tanta vaſtitas erit. Quid ergo eſt? Ab Antonio Poſſevino minus iſte manauit, domeſtico Prometheo fictilium horum, qui vt hiſtorici facere ſolent, vt exquiſitis orationibus Duces fortiſſimos perorantes inducant, itemque Poëtæ, vt ſua quibuſcum velint inuenta communicent, vnde eſt illa apud Ouidium Aiacis Vlyſſiſq; reciproca contentio, Ouidiano acumine, non militari plena; ſic orationem pro arbitratu comminiſcitur quandam, Ieſuitis beneuolam, honoris plenam; Regi attribuit. Turnonij ſcilicet elegans ille fœtus prodijt, longè à Lutetiâ, infra Lugdunum, niſi fallor, ad Rhodanum flumen, quæ vetus Ieſuitarum dicitur eſſe colonia. Eò neſcio quas voculas, excuſatrices ſcelerum peſtilentiſſimæ Societatis, exceptas ab ore Regis, cùm à Regni proceribus apud eum accuſarentur, pia aliqua obſtetrix ex numero detulit, quæ & halitu Poſſeviniano, & medicamentis mille alijs fotæ atque pollinctæ, in tam bellam virginem excreuerunt. Cur nemo è Lutetianis Ieſuitis hanc citat? Cur Pariſios horret, & lucem Reipublicæ? Cur naſutorum hominum iudicia reformidans, Turnonij in cauponulâ neſcio quâ, ebria deliteſcit? Eſt profectò quòd ſuſpicemur, imò eſt quòd concludamus, cùm

Ieſu-

Iesuitæ Parisienses, qui audaciâ nulli cedunt, impudentiâ, scelere, in propè omnibus paginis librorum suorum, quos post Regis interitum ediderunt, corradant quæ verba possint, aucupentur, sublegant, *dicta* anne *indicta* nihil interest, quibus Henricum de Societate benè sensisse demonstrent, nec tamen Turnonianæ huius meretriculæ meminerint, adulterinam esse, supposititiam, spuriam, *Posse vino* fortè aliquo, non *Pythio* dignam. Vt authoritate eius non magis moueri debeamus, quam

Ouid. *Quum sua vesanus scripta Poëta legit.*

Atque hæc de rebus Gallicis dicta sunto.

CAP. 75. 2 Defensio D. Elienſis, de re historicâ Anglicanâ.

ITerum, relictâ *Galliâ*, reuolat in *Angliam* Dædalus noster, αὐθέντην κίνυγμα. Ac primò satis ridiculè, reuocat ad errata, circa historiam recentiorum temporum, quæ ex Harti colloquio cum Doctore Reginaldo, D. Elienſis citârat. Sed, omisso quod peccat in *dispositu* nugator, cuius tamen artifex videri vult, quid tandem ei displicet in citatione? Quòd quæ totidem verbis sic extant apud Hartum, *Dixi D. Reginaldo me in eâ esse sententiâ, vt non putem Pontifici fas esse deponere Principes*, Episcopus sic vertit, *Verè affirmauit vsurpari præter ius fasq;, à Pontifice, potestatem Principes deponendi.* Quasi ille non vsurpet potestatem deponendi, præter ius fasq;, cui *fas non est deponere*, vt loquitur Hartus; conditionatus enim sensus est, *si fortè tentet*, vel, *si fortè deponat*, vt ne quid dicam de Papâ, qui sæpiùs id *de facto*, & olim tentauit, & etiamnum tentat, nimis quàm facilè. Sed hæc misera sugillatio fuit fortissimi Antistitis, iuncea incursio in gigantem. Quid opponit ad Harti testimonium tam disertum, quòd *nec Papa Reges deponere liceat*, sicut antè dictum est, nec, vt sequitur apud eundem, *Pontifici cum Regibus quicquam sit quod agat, vel iis quæ Regum sunt, similiter quidem?* Quod cum rectè sic Episcopus, ex Harti epistolâ ad Lectorem, transtulisset, ne iste quidem,

quam-

quamuis mordax, & furiatus, reprehendit, adeoq; recitat pro genuino, totidem verbis, in libro ſuo. Reſpondet tamen peracutè, *Hartum non abnegâſſe de poteſtate Pontificis temporali directâ*, ad Reges cum regnis ſuis perturbandos quatiendoſq; , *ſed indirectâ tantùm*. Ait porrò, *Reginaldo nihil credendum eſſe, qui apertiſſima calumnia reus teneatur in Bellarminum*. Eccuius tandem? *Nempe Iſaiæ illa verba de lapide angulari in Sion ponendo, Bellarminum* ait *de Chriſto accipienda negare, & in ſolum Pontificem Romanum conferri velle, cum tamen Bellarminus non neget, quin & Chriſto imprimis conueniant, ſed tantùm dicat, accommodari poſſe & ad Papam non inepte*. Hæc ille. Cæterum nihil eſt luculentius quàm Harti verba. *Nihil eſſe Pontifici quod cum Regibus agat, aut iis quæ Regũ ſunt, ſimiliter quidè, nedum autè vt deponere poſſit &c. Nullam hanc eſſe partem Pontificij muneris, Chriſtum non vendicaſſe ſibi, Chriſtum nec Petro, nec cuiquam ex eo collegio, conſuliſſe*. Quòd ſi verò hic non omnis poteſtas negatur, ſed quædam *indirecta* adhuc loco manet, & placet inficiationes hoc pacto modificare, quantumuis in ſpeciem interemptoriæ videantur, quidni etiam Reginaldus, cum ait Bellarminum verba illa Iſaiæ à Chriſto auertere, atque ad Papam reſtringere, admiſsâ diſtinctione de *primario* & *ſecundario*, vel ſi placet de *directo* & *indirecto*, eorum ſenſu, eâdem ratione fanum ſuam expediat? Non enim directè & ad Pontificem & ad Chriſtum, non germanè, non liquidò, non adæquatè, ſed ad alium *ſpiſſius*, ad alium *elatius* pertinere vult. Eadem ergo diſtinctio Reginaldum ſubleuabit, quò minus in Bellarminum mendax videatur; quæ poteſtatem Pontifici reliquam facit apud Hartum, Reges *indirectè atque in caſu* deponendi, quantumuis vehementi negatiuâ vſum. Quanquam quærerem à Bellarmino, quomodò illud ad Chriſtum referat, quod tam ſolerter excogitauit de* *lapide* intro quodam, *in fundamento fundato*, quem ſolum viz. vult eſſe Pontificem Romanum? Neque enim Chriſtus in vlteriore aliquo fundamento ſun-

* Ecce ego ponam in fundamentis Sion Lapidem, in fundamento fundamentum. Bellar. ex Iſaia. Poſt addit, Quid eſt in fundamento fundato, niſi fundamentum poſt fundamentum, fundamentum ſecundarium, non primarium. Id autem Petrus eſt, non Chriſtus.

datus eſt, quantaſuis fundationes Pontifici ſubſtruant. A *Chriſto* igitur remouet vaticinium Prophetæ, & ad *Papam* aſtringit planiſſimè Bellarminus, ſi modò rectè ſcripturæ verba recitat, nec iniuriam ei Reginaldus vllam fecit. Sed ſiue ſic, ſiue aliter interpretari placeat, nihil eſt abſurdius, quàm indirecta hæc poteſtas, neque verò aut Reginaldi fide caſtius, aut Harti teſtimonio enucleatius. Ac de fide quidem Reginaldi teſtatur adverſarius ipſe, quicum ſermones illos contulit, Hartus viz. ita ſcribens. *Agnoſco D. Reginaldum, veram ſummam exhibuiſſe eorum, quæ invicem inter nos agitata ſunt, iuxta loca authorum, teſtimoniaq; illa, quæ ego citâram, & ad quæ inter diſputandum meipſum retuleram.* Hæc ille. Neq; verò ea verba quæ Epiſcopus citauit, & quæ Harti ſententiam de primatu continent, a Reginaldo literis mandata ſunt, vt eius fide innixi oporteat, nec ad vllam collationis credo partem pertinent; ſed Epiſtola quædam divulgata eſt ab Harto ipſo, & præfigitur vſitatè collationi toti, in quâ ea leguntur quæ Epiſcopus citauit: ita vt nimis intempeſtivum ſit, quod ille de Reginaldi fide hic oggannit, quæ tamen tam exacta eſt, tamq; probata, vt Cretem nullo pacto exploratorem reformidet, ne Rhadamanthum quidem. Alterum igitur effugium eius ſi placet cognoſcite. Hartus in eâ Epiſtolâ, dicit *ſe ſubmittere iudicium ſuum iis, qui profundiore doctrinâ præditi ſunt.* Quid tum? *Ergo nihil conſtitutum habuiſſe cenſendus eſt, nutâſſe & fluctuaſſe circa dogma de primatu.* Nihil minus. Sic enim nec Bellarminus, nec Valentianus ipſe, nec ſiqui ſunt alij inter eos pancratiaſtæ, quicquam aſſerere iure exiſtimabuntur, totiq; adeò adhuc de religione nutare, quoniam & Eccleſiæ iudicio ſuos libros ſubmittunt, à conſcientiâ quidem, à modeſtiâ etiam non recuſaturi doctioribus quibuſcumq; in eâdem facultate, ſi qui fortè dentur. Nec ferendum eſt, vos rudem & inſtabilem Hartum dicere, vel minùs adhuc ſolidâ ſcientiâ ſaburratum, cùm illa ſcriberet, qui & operam tot antè annis

Harti ad Lectorem.

Theo-

Theologiæ dedit Romæ,& Bellarmino magiſtro vſus eſt,& veſtro tam ſæpe ſuffragio laudatur, nec ſolùm ab eruditione, verumetiam à conſtantiâ. Adſcripſiſtis enim eum ad numerum *fortiſſimorum Confeſſorum*.Neq; tamen non videmus quid ſenſerit de primatu, quam valdè Pontificium illum faſtum deteſtatus ſit, quo Regum ſibi ſceptra ſubijcere meditantur. Iam quod attinet ad diſtinctionem *Directi*, & *Indirecti*, multis illa modis iamdudum labefactata eſt, à Reuerendo Elienſi, à Barclaio, alijſq;. Verbum ipſum ab Innocentio, tertio, anne quarto, primum excogitatum eſt, ſi rectè narrant. Quod tu pro eloquentiâ tuâ ita circumloqueris, vt Pontificem de temporalibus ſtatuere quidem poſſe velis, ſed nimirum *quadam quaſi conſequentiâ*. Sic enim pueriliter, vt multa, Rhetoricaris. Quamvis autem non deſint effrontes paraſiti, qui directam poteſtatem Papæ condonent, 1. dominum temporalem totius mundi eum conſtituant, vt totus mundus ſit regnum Papæ, cùm regnum Chriſti ne fuerit quidem *de hoc mundo* vllũ, tamen Pontifex ſatis habet, ſi in *principatum* ſuum conſentiatur, rectène an perperam, & rectumne an inflexum,non admodùm curat. Placet illi vel *quadam* quaſi *conſequentiâ* imperare, dummodò imperet. Ac miror Bellarminum, Harti noſtri magiſtrum, tam abſurdè collegiſſe ex verbis Bernardi, *indirectam* illam poteſtatem, quam liquidò deieres, Bernardum ſuo ſæculo ſomniâſſe nullam. *Aliud eſt* (inquit Bernardus) *incidenter excurrere in iſta, aliud verò iſtis incumbere, &c.* De conſid. ad Eugen. l. 1. Quod Bellarminus eſſe vult in caſu neſcio quo,ac cùm ita conducit ad animarum ſalutem, id eſt ratione indirectâ,vel ratione falcatâ tractare mundana, ſicut ipſe interpretatur. Quid autem Bernardus voluit, niſi minuere Pontificibus, laborem quem ferè ſumunt in diiudicandis terrenis, non rationem monſtrare qua cuncta iam harpagando, ad ſe trahere queant, nec *oſtio* excluſam monſtruoſiſſimam tyrannidem *pſeudothyro* readmittere? Sed & hoc pacto Laicus ad ſe diuina

Alanus in Reſponſ. ad Defenſ. Iuſt. Angl.

L. 5. de Rom. Pontif. cap. 8 [Tract. de Potest. ſummi Pontif. in Tempor.]

reuocaret, quia interdum ſe *incidenter* & ad ſacra admiſcet. Quid eſt enim quòd tot laici in concilijs interfuere, vt concilio Tarraconenſi, Can. 13. *Aliquos* (inquiunt) *& de filijs eccleſiæ ſæcularibus ad concilium ſecum adducant fratres.* Quid quòd tot *glorioſiſſimi Iudices* ſententiam dixere? Quid verò illud, quòd Iberes mulier quædam captiua conuertit ad fidem, initio facto à Rege & Reginâ loci, qui & *ipſi* (inquit hiſtoricus) *Chriſtum deinceps prædicant, Rex viris, Regina mulieribus?* Socrates lib. 1. c. 16. Iuſtinianus autem Imperator, orantibus ijs qui prope Tanaim habitant, *vt Epiſcopum ad ſe mitteret*, fecit non illibenter. Euagrius lib. 4. c. 22. De Conſtantino ſimile apud Theodoretum legimus lib. 1. hiſt. c. 24. Apud S. Hieronymum autem mulier hæreſi reſtitit, mulier inquam, & non quamlibet ciuitatem, ſed ipſam adeò Romanam contagijs infeſtam, & *poſt appulſam eò nauem plenam blaſphemiarum*, generoſum pectus *Marcellæ* purgauit. Poſſent ergo ſic Laici & ſacris præeſſe, tam viri quàm fœminæ, quia eſt eum non inutiliter curam illam ad ſe aſſumunt. Quod tamen neſcio an ob hanc cauſam ijs Ieſuitæ concedatis. Bernardus verò lucidiſſimè iam antè deterruerat. *Quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? Habent hæc terrena iudices ſuos Reges & Principes, &c.* Atq; hoc opinor tam frigidè à Bellarmino tractatum, cauſam dedit Harto, diſcipulo, & auditori, vel *cohibendi iudicium ſuum*, vt Cydonius exiſtimat, vel vt ego verius, pedibus in noſtram ſententiam concedendi. Quid enim eſt neruoſius, quàm illud eius, *Pontifex nihil habet quod cum Regibus agat, aut cum ijs quæ Regum ſunt, ciuiliter quidem?* id eſt, quod ad rem eorum aliquam reculamue ciuilem attinet, nedum regna, nedum coronas, animæ duntaxat ſtatum procurare natus, *crimina* ſoluere, non *poſſeſſiones* abradere, vt idem eodem loco Bernardus innuit. Sed quia loquimur de Apoſtolico, audiantur Apoſtoli. Ἐπίσκοπος βούλομαι ἑκάστην καθέζειν, ῥωμαϊκὴν ἄρχειν καὶ ἰα-

De Conſid. lib. 1.

Can. Apoſt. 83.

ρατικὴν

ρατικὸν διείνητον, καθαρῶδω. Ρωμαϊκὸν ἄρχον, inquiunt, quasi iam tum diuinantes ambitiones Romanas, & Italum typhum, ac nescio quem annulum Imperatoris mitratum. Rationem denique reddunt, quia, *Quæ dei deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Tam prouidè discriminant. Quod eorum argumentum Turrecremata refutat, dissimulato nomine Apostolorum, l. 2. c. 116. summæ de Ecclesiâ. *In nullo* (inquit) *sanct aduersarijs.* Habet igitur pro aduersarijs eos qui hoc vtuntur. Quid demum? *Intentio Christi non fuit in illo loco distinctionem facere prædictarum iurisdictionum, nec assignare personas in quas cadunt.* Hæcille. Quòd si vnus aliquis Pontifex hoc sibi arrogans abdicandus est, Pontificatus Romanus hæc indissolubiliter copulans per tot iam annos atque connectens, ipso facto vacat. *Directum* vt dehinc abeat *indirectum* hoc, nec nostrâ magis quàm vestrâ sententiâ. Quibus enim tam pœnitendum videri potest, quàm quorum acropolim subvertit ipsam, Papatum dico, ex Apostolorum definitione?

RELIQVA mihi quàm breuissimè perstringenda esse intelligo, aliquem vti finem nanciscatur oratio. Quod de Paulo 4. commemorârat Episcopus, D. Elizabethæ optionem ferente, cætera ex instituto suo cuncta gubernandi, sacrorumq; formam seruandi quam vellet, dummodò in primatum Pontificium consentiret, fabulæ simile vult esse furcifer, quia idem de Pio quinto, nescio quis alius iam antè narrauit, Reginam haud absimili machinâ perpelliente, vnde etiam in refractariam excommunicatio consecuta est. Quasi non longè probabilius sit, Illustrissimæ Heroinæ constantiam bis à vobis tentatam esse, quàm Episcopum, cuius verbum nullum exit nisi expolitum, nisi τῷ ἐξησκημένον, vt ait ille, vel hallucinatum esse ipsum, tam absurdè præsertim, in re domesticâ, vel alijs errorem obijcere voluisse. Sed hæc est tua magnifica refutatio *Tortura*, qui etiam *Demonstrationes* alios postulas, & nihil non exibilas atque ex- CAP. 76.

plodis, præterquàm quod *Mathematicis* consequentijs intextum sit. *Mortuam testem*, ab amplissimo viro, summo huius Regni Iusticiario, *citari*, molestè fers. Quasi illa non tum viueret cum hæc referret, aut quasi ipse non superfit qui hæc etiam auribus suis, se ab illâ in sermone hausisse affirmat, aut verò eius in defunctam relligio tam parua sit, vt tuâ pietate corrigenda videatur. Ille verò nec moratur has tuas punctiunculas, quibus sæpe iam infestas, & semel tibi respondet quod res est, Εἰς μάχαιρ', καὶ πολλὰ πρόβατα, ὦ ῥοβεῖται. Quòd si mortuorum testimonia eximas ex Parallelo tuo, quantulum restabit? Tum, quis nescit & fidem vestram, totamq; relligionem, mortuorum non testimonijs solùm, sed apparitionibus etiam post mortem, vel olim conflatam, vel hodie nixam? Sed calumniandi libido te eò persæpe adigit, nequissimum caput, vt illa etiam infecteris atque incestes in alijs, quæ interim ipse quàm maximè facis. Quale hoc est, quòd Sanderum mox authorem repetis, non modò mortuum, vt de Elizabethâ stultissimè cauillatus es, quæ ea de se rettulit quæ ipsa cognorat, sed & in scelere mortuum, & semper infestum, ac tam *fidei* in historiâ, quàm *fidelitati* in patriam præmortuum suæ. Atque hunc cùm Episcopus pro meritis accepisset, & quod talibus fieri amat, vncum impostori luculentum impegisset, tu tamen nec dissimulas dolorem tuum, & hærente infamiâ, nec expiatis tot criminibus, pergis nos eius authoritate terrere. Quamdiù tam deploratas rationes inibitis? Adeòne aut redacti estis ad incitas, aut sæculi iudicia de vobis contemnitis? Quòd si vt tu Reginaldi authoritatem paulò antè cum eleuare velles, nescio quid ex eo citare tibi visus es, in quo ille aberrâsset, vt reliquæ disputationi eius fidem detraheres, ita ego Sanderianam farraginem excuterem, vt ex quibusdam absurdè dictis, aut falsò narratis, quibusdam autem? imò quamplurimis, cętera vanitatis vniuersa convincerem, materiam profectò benigniorem non optârim. Ac spero equidem propediem exoriturum ali-

quem

quem inter nostros, aut iam etiam fortasse extare, qui dignas de vtroque opere censuras agat, & tum *Visibilem Monarchiam*, quam demens sibi *in aëris campis* extruit, tum nefandam *Schismatis* quam vocat historiam, idoneo fodiat obelisco. Interim si sententijs homo æstimandus sit, vnum illud cogitetur, quod & Rex sapientissimus in Apologià prælibauit, vt Sanderi fidem omnes cognoscant. *Elizabetha* (inquit) *Regina officium sacerdotale in Anglia exercet, docendi, atque Evangelizandi, non minori cum authoritate, quàm Christus ipse aut Moses vnquam fecerunt.* Quis huic iam deinceps credat tam effrænato, qui ea in Reginam Elizabetham declamet, quæ tam longè à diuinissimâ illa Principe abfuisse omnes intelligunt, qui vel tenui notiçià res nostras degustârunt. Nisi fortè, quæ nunquam neque *docuit*, neque *evangelizauit*, neq; aliud sacerdotale egit quid, non minùs hæc omnia, quàm aut Moses, aut Christus, fidenter perpetrâsse dicenda sit. Sed potestatem, quam Principibus à nobis tribui stomachantur, sæpe iam docuimus, non in docendo Evangelizandoue consistere; illi tamen sic bilem exonerant suam, atque hoc iam pro comperto recipiendum est scilicet, quia *dixit Sanderus*. Inde enim Bellarminus, haud ita multò post, eadem fere scripsit de eâdem. *Et reuerà nunc in Angliâ*, (inquit) *mulier quædam Pontifex maximus est* &c. Tanta est Sanderi authoritas inter suos. An potiùs tam leuis homo *Cardinalis?* Quo loco, infacetum illud de *Iuliano* conuicium, quo Regiam Maiestatem violare non exhorruit, in eum ipsum recidit, nimis quàm commodè. Quicquid enim ille garrit de *simulachris* & *imaginibus*, quibus Regem imitatorem esse vult Iuliani, cùm nemo omnium infensior sit toti generi εἰδωλολατρίας, Rege nostro Serenissimo, nos Bellarminum non in *vmbrâ*, sed in ipsâ adeò *substantiâ*, Iuliano persimilem perconiunctumq; tenemus. Primò, quòd Iulianus nullo delectu ducebatur, sed quemcunq; accusatum atque infamatum damnabat. *Siue altare fregisse, siue donaria suffu-*

Lib. 6. cap. 4. Visib. Monarch.

De notis Eccle. 9.

ratum esse fama foret, illicò damnabatur & ingulabatur. Author Chrysostomus, Homil. εἰς Ἰωβιττῖνον καὶ Μαξιμῖνον. Bellarminus etsi non iugulat nos, tamen *pari ambulantem passu famam cum vitâ*, valdè licenter eripit aut deprauat cùm vult. Quid ille furtorum vel rapinæ nobis non obijcit? vt olim Christianis nempè Iulianus. Quid non autem licentiæ in altaribus confringendis? Idq; propterea quòd accusari nos à perfugis sat est, omninò sicut olim apud Iulianum. Vt autem leges, vt iudicia nostra, processusq;, vel interpretatus vel calumniatus est paulò antè, duce Breuiculo? Nempe quòd *aurem alteram non reseruet reo*, ne Regi quidem, Regnove; sed prout semel occupatus est, hæret loco, manetque immobilis. Hinc illud quod modò scribit, *mulierem quandam in Anglia, Pontificem esse maximum*, quod nisi egregiè Iulianissans, nunquam à perditissimis corycæis ad se allatum, non modò ipse credidisset, tam festinè præsertim, sed æternitati, quod in se erat, commendàsset. Verùm Iulianissat & secundò, quòd vt ille olim Apostata, primò quidem Lectoris operâ functus est in Ecclesiâ, nec sacri Ordinis munera abhorruit, teste Theodoreto l. 3. Hist. c. 1. & 2. pòst autem propter imperium vtroq; se exuit, *miser homo* (inquit Theodoretus) *propter regnum se perdens*, nec ordinem solùm, sed fidem iam Christumq; eiuravit, ita Bellarminus propter *purpuram*, id est enim propter *imperium*, (si modò rectè Ambrosius apud eundem Theodoretum lib. 5. hist. cap. 18. ἡ ἁλυσὶς βασιλέας οὐκ ἱερέας ποιεῖ, i. *purpura Reges facit non sacerdotes*,) relictâ Iesuitici instituti seueritate, in Cardinalem, id est mundi dominum transijt. Sic enim Papa eos alloquitur, vt est in libro Cæremoniarum, cum Cardinales creat, *Venite ad me, ego faciam vos Principes mundi.* Nec dubito quin alijs rebus Iulianus & Bellarminus conueniant sat multis; sed hæc nunc obiter, ac proinde parcè. Ad te redeo Andrea. Qui quòd *Græcum* commentitium hîc irrides tuum, *machinis* vt ais *in scenam nescio vnde demissum*, ad Episcopos nostros conse-

crandos,

crandos, næ tu me plaudente id facias licet. Quid enim eſt feſtiuius quàm Græcum hominem cernere ineptias ſordeſque ſuæ gentis arguentem, quà tamen ipſe laude inferior ſit nemini? Sed credo eos, qui hanc fabulam de peregrino commenti ſunt, in *Græcum* præſertim hominem id contuliſſe quicquid erat, quia nihil eſt ingenijs veſtris hac leuitate ſolennius. Alioqui fateor, me, nec de Græco illo vnquam homine, ante hunc diem, reſciſſe, & vos conſecrationem Epiſcoporum noſtrorum, ſucceſſionemq; Cleri omnem, non valde reprehendere aut vituperare ſoletis. Quam quidam etiam è veſtris, Ieſuita non infimus, tam genuinam agnoſcit, vt *diuturnitatem* ea de cauſa Eccleſiæ noſtræ, non paruam, quamuis inuitus ominetur, ego autem *æternitatem* polliceri non dubitem.

Petrus Cudſemius de deplorata Caluini cauſa.

CAP. 77.

D. Elizabetha, tibi nomen inuiſum eſt ſcilicet. Itaq; omni ratione eam grauare conaris & in odiũ adducere. Quod qui veſtros furores vel leuiter perſpexere, pro indubitato argumento excellentium meritorum diuiniſſimæ fœminæ habituri ſunt. Semper contubernalis fuit inuidia præſtantiæ. πρὸς ἴδιον ἔχουσ' ἀφθόνως ἔρωτα. Quanquam mortuam & fato functam vel qualemcunque quieſcere pati poteratis. Ὁι μὲν γὰρ ζῶντες καὶ ἀλλήλοις τῷ φθόνῳ καὶ βάλλοντας, inquit præclarè Chryſoſtomus, πρὸς δὲ τοὺς τετελευτηκότας καὶ τοῖς μνήμασι σπένδοντας. Αλλ' ἐκ ἐνταῦθα, &c. quaſi de veſtro ſcelere tantò ante vaticinans. Nos verò nec Sandero tantum tribuimus, nec *Philopatro* quiſquis is eſt, vt aut illius Hipponacteo nigriorem D. Elizabetham, aut huius Panegyrico ornatiorem vel tantulum fore putemus. Etſi delectant præconia ab inimicis profecta, pulchrumq; eſt, μαρτυρίαν καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἔχειν vt ait Apoſtolus. Quod Elizabethæ adeò contigit ſuprà reliquos mortales, vt Clemens ipſe octauus, hoſtis eius capitalis, ex ore Presbyteri cuiuſdam noſtratis (is *Bluetus* erat) quem ad verum dicendum ſub authoritate adegerat, de reliquis ſingularibus eius laudibus

περὶ αὐτῆς.

inaudiens, *extra solam hæresim*,(sic enim excipiebat)miro quodã desiderio in Angliam traijciendi correptus esse dicatur, vt tam eximio spectaculo se ante mortem,si fieri posset, beare. Tantum ipsa fama & in hoste potuit. Quid ille facturus, si paulò propiùs cognoscere, & admirabilium eius dotum testis esse potuisset? Tu autem etiam illa *Philopatri* contemnis, id est hominis ex primarijs Papæ satellitibus, Elizabethanam clementiam ijs verbis collaudantis, *quòd neminem sub initia regni sui nec vehementissimè persequeretur, nec verò admodum premeret, vel ad sectæ suæ participationem, vel ad Papismi abnegationem.* Nullius hæc tibi inquam laudis verba videntur, propterea quòd *etsi multam nullã Papismo duceret, vel nisi valde tolerabilem*, vt tute confiteris, *attamen vsum Missarum ex templis sustulerat, & sacrificulos quosdam* vestros *à sacris amandarat.* Quasi hæc non eiusmodi sint, si candidè spectentur, vt sine ijs ne aduersaria quidem Papismi fingi possit, aut veræ religionis cultusq; patrona vel animo & cogitatione informari. Nos autem de moderatione,de lenitate,de mansuetudine Elizabethæ quæritmus,quã vsa est in eos quibuscum de relligione ipsa dissentiebat,quam ita præclarè seruatã vides,vt *nihil nisi tolerabile* tantisper impositum, ne tu quidẽ ipse quamvis Zoilus neges; superstitionum vestrarum hostem hoc loco non defendimus. Alterius illa generis temporisq; quæstio est, & tamen à nobis nullo loco declinatur. Illud verò quàm malignè, quòd quibus verbis Philopater ad tranquillitatem illorum temporum exprimendam vsus erat,& suorum si fortè hominum reciprocum officium commendandum, cum ait *omnia tranquilliore ineessisse cursu*, tu ita peruertis pro tuo solito candore, vt solorum *Recusantium à seditionibus tunc temperãtium* encomium continere, nihil autem Elizabethæ de laude clementiæ suffragari velis. Quasi ille Elizabetham eo loco non alloquatur, & quantâ possit iucunditate in eius aures influat, illam deliniat, illam demulceat, *legatus pro grege* Pseudo-catholico-

rum

rum ſuorum; vt ne dicam, non modò omnia, ſed ne quicquam quidem ſatis pacatum tunc exiſtere potuiſſe, niſi eius admirabili imprimis clementię hoc totum deberetur. Adeòne oblitus es, quod ait Salomon, *Offenſionem ipſam Principum, mortis præſagium eſſe*? Illa igitur & turbines vna ſedabat, & mare tranquillum, & Halcedonia populis pergrata præſtabat. Denique callidus veterator, & artifex nequitiarum ad vnguem formatus, eximit ex reliquâ ſententiâ Philopatri, verba illa quæ apud Epiſcopum cum cæteris leguntur, *nec magna querela audiebantur*. Quod quantæ fuit æquitatis, vel quàm admirabilis cuiuſdam potius & ſine exemplo clementiæ, non modò manus vobis à ſcelere quietas præſtare, ſed linguam etiam à *querelis* cohibere potuiſſe, tam irritabilibus præſertim tamq; efferis? Sed Elizabethæ quidem gloria, non pendet ex veſtro Pontificiorum teſtimonio, quanquam his alijſq; nos multis abundamus, ſi vti liberet, quę ingens fœminæ virtus & potentiſſima veritas vobis vel repugnantibus extorſerunt. Nec grauiſſimus Epiſcopus iccirco hæc attulit, ſicut tu ſomnias, vt ex veſtris centunculis, quaſi iuſtam veſtem, ita ſolidam ei clementiæ concinnaret laudem, ſed duntaxat vt illas Torti calumnias refelleret, initia Regni eius odioſiſſimè carpentis, quæ & ipſi tam lenia fuiſſe prædicatis.

CAP. 78.

AC ne nimis tibi placeas in tergiuerſationibus tuis, faxo illud etiam ex me audias homo vaferrime, quod video te libentiſſimè velle ſubterfugere, & vniuerſa obliuione quadam, ſi fieri poſſet, conterere. Quòd ab Epiſcopo diſſentis, *de temporis ratione, quo triſtiores illæ leges ab Elizabetha latæ ſunt*, quod tu quidem ad *primum ſecundumve eius annum* (neque enim conſtitutum hîc habes quod ſequare, ac tantummodò obniti iuuat Epiſcopo) ille ad *viceſimum tertium* diſertè refert, admonendus es alias eſſe *ſimplicis mulctæ*, alias *iudicij capitalis* leges. Primæ illæ fortaſſe, & longè antè vigebant, factumq; aliquid quod *Maſſificantes*

reprimeret, (quorsum enim infinita licẽtia permitteretur?) alteræ non nisi iusto tempore eruperunt, lenitatem præcidente & ad omnia scueriora vrgente audaciâ vestrâ. Hoc tu tamen ab Episcopo sic explicatum præteris, & nouas alienasq; lites condis. Sed non ideò prætermittendum est si quid tu dissimulas, imò cò altiùs intonandum clariusq; sonandum, quia sponte obsurdescis.

CAP. 79. Pag. 61. & 310. &c. Paral.

DE *Anna* etiam *Bolena*, *Boleniisq;*, *nuptijs*, multa tu locis multis pro solitâ modestiâ. Vrit te cum tuis omnibus Henricus octauus, expulsor bestiæ ex his partibus scilicet. Ego alia in aliud tempus lubenter differo, (nunc enim Regis Serenissimi, & Reuerendi Episcopi tantùm causam ago) vnum illud hic expromam, quod soleo sæpe cogitare, opportunè vt existimo. Cùm Henrici matrimonium cum relictâ fratris sui, religionem ei attulerit in eo diutiùs perseuerandi, quid tandem reprehenditis de *Bolenianis nuptijs*? Matrimonium, inquis, cum Catherina, aut erat legitimum, aut dispensabile saltem per Papam. Sed Henricus furiosior, non sert Papam deliberantem, vxorem ipse abdicat, Papam exterminat. Iure verò, inquam, resilit à nuptijs Henricus, quas tot *sacris conciliis* damnatas esse constabat, vt nihil interim tibi opponam de *lege diuina*. *Deliberationes* item Papales quò spectent scimus.

Sanderus, in *De schismate* per totam.

Ὁ ἓν ἔχων ἀλλοτρίαν γυναῖκα, ἀλλότριος ἐστιν τοῦ Χριστοῦ.

Sed Conciliorum certè ea ratio est; atque imprimis Epaunensis, Can. 30. *Relictam fratris sui, quæ penè soror modo fuit, nemo capiat vxorem. Incestum, concubitum illum, nec vllo coniugij nomine prælendum* vocant. *Dispensationes* ergo *tollunt*; tollunt planissimè. Sensit idem Altisiodorense Concilium, Can. 29. Idem Trullanum non paulò grauius ampliusq;, Can. 54. vel potius longè honestius Patres illi coniugium vetant, duorum nempe germanorum cum totidem germanis. Quantò minùs eandem fœminam duobus fratribus permissuri? Aurelianense 1. can. 10. Aurelianense

3. can.

3. can. 10. vetant expresè, diserte, nominatim. Adde his omnibus antiquius Neocæsarienſe ſanctiſſimum, Can. 2. Τὸν ἐν γάμοις δυοῖν ἀδελφοῖς, &c. qui ipſe noſter caſus eſt. Et tamen decernunt, ἐξωθεῖται μέχρι θανάτου: Grane ſupplicium. Ex quo licet de facinoris naturâ æſtimare. Nec dubito quin æquè illuſtria alia ſuppetant argumenta ex alijs locis. Sed hæc nunc ad manum. Vt meritò Pontifex pœnas dederit, & diuina quædam vindicta videri queat, quæ de Canonum direptore, diſciplinęq; prædone, ſæculari manu ſumpta eſt.

IAM quod refers ex Sandero, de *Epiſcopis abdicatis, quo tempore ad clavum Elizabetha ſubijt*, nonne iuſtas tibi cauſas D. Elienſis ſubiecit? Neque enim aut diadema ei imponere ſuſtinebant, aut de negotijs relligionis rogati monitiq; tractare voluerunt. *Non eſt*, inquis, *iuſta cauſa, quòd à coronatione refugerint.* Anne verò quòd legitima Regina non eſſet? an quòd nefas Epiſcopo non Chriſtianam coronare? Quanquam quantum illud crimen ſi Elizabetham legitimam ſuam Principem abnegarent? Neq; verò hoc ijs in mentem veniſſe crediderim. Atque vt fuerint præfracti & ſubmoroſi, non tamen perdueiles tantos exiſtimem, vt ad ſuum iudicium regni controuerſiam, quę nulla tum erat, reuocarent, ac demortuæ Principis proximam ſanguinis iure hæredem à gubernaculis repellerent. Sciebant Apoſtolos nec Neronibus obnunciaſſe, nec Chriſtum ipſum Dominum ſubeunti Tiberio. Nec verò baptiſmo metiendum eſſe ius regni, nec Chriſti profeſſione, in quorum tamen genere illa neutro claudicaret. De iure ergo Canonico tota quæſtio eſt. *Neque enim per venerabilem*, inquis, *id ijs licuit, de Elect.* caput opinor quoddam iuris veſtri ſic dictum. *Venerabile* profectò argumentum, ſi quod aliud, & dignum cui Beda noſter titulo iam cedat. Quanquam primò de Epiſcopo nulla ibi mentio, ſed de Papa tantum. *Ad Papam* (inquit) *pertinet, ſi dignus, confir-* CAP. 80.

mare consecrare & invngere, si indignus, reijcere, &c. Ecquidnam illis licebit, ciubus natis, & in regno versatis, atque etiamnum versantibus, quicquid Pontifici, & longiùs posito, & aliud quoddam culmen dignitatis obtinenti? Vides quàm aut stultè Ius tuum cites, aut certè Ecclesiasticos ordines turbes, atque omnia inter se inscitè commisceas. Deinde autem in Electum ius hoc à Iure datur, atque id tamen ipsum nescio quàm firmum, in succedentem lege loci, lege naturę, neutiquam competit. Vnde extat inter capita *de electione* vt tu citas. Elizabethæ verò alia fuit conditio, quæ non suffragijs multitudinis, sed naturę beneficio ascendit ad regnum. Doctissimos etiam viros ita aliquando audiui disputantes, Constitutionem illam Pontificiam in Philippum editam, de solius Imperatoris admissione intelligendam, de aliorum autem Regum Regulorumue nequaquàm. Neque enim fine causa (inquiebant) Pontifex in Imperatorem diligentiùs inquirere, fastidiosiùs admittere, in alios non idem sibi ius vsurpare. Quod miror si eruditos illos viros latuerit, quos tu defendendos hoc loco suscepisti, sin fortè non latuit, eò maiore nimirum contumaciæ culpâ laborabant, dignioresq; erant quos Regina plecteret. Illâ enim quid hic dicam quę sequuntur in contextu? *si periurus, si persecutor, si sacrilegus, si hæreticus, &c.* Ergone pudor horum hominum in sanctissimam fœminam, quicquam eiusmodi tunc temporis congerere sustinuisset? Sed si vllum est tempus quo illud valeat, *citra scandalum*, &, *quatenus Ecclesiæ vsibus expedit*, quod quidem vos est cum accuratissimè cauere ac præcipere soletis, næ id hoc tempore seruari oportuit, nec Illustrissimæ Heroinæ animum irritari, propter tenuem Canonis subtilitatem quandam. Parumne disertè Panormitanus in hac materiâ, cap. *Dudum, Omnis humana constitutio cessat cessante causâ*, & similia permulta Iohannes de Turrecremata vester, vbi opus est. Qui etiam ex Leone illud citat in hanc sententiam, *Sicut quædam sunt, quæ nullâ possunt ratione conuelli, ita multa*

Lib. 3. de Eccles. c. 54. & 55.

sunt

ſunt quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conditione ætatum oportet temperari. Hæc ille. Vt cum fluidum hoc modo fuerit poſitivũq; ius, ceſſiſſe næ tantæ occaſioni planè debuerit, nec muſcis irretiendis nata tela cum tam vaſti ponderis elephanto certare.

ALTERAM cauſam *abdicationis Epiſcoporum* aſſignat D. Elienſis, *quòd*, vt erant refractarij, *diſputare de negotijs religionis remuerint.* Hoccine tibi leue aut contemnendum videtur, Reginam vt hæreticam à coronâ repellere, quod in ſe erat, & tamen non examinare quatenus quicq; probandum, vel ſecus, videretur, nec colloquia miſcere, rationemq; fidei ſuæ aliquam reddere? Quod non modò Epiſcopis, ſed & pueris fœminiſq; S. Petrus iniungit in Chriſtum credentibus, & nullius contradictoris ore feriendis. Sed quàm facilè hæreſis crimen obijciatur, etiam ab ijs qui nihil minùs quàm hæreſim, cum vſus fert, demonſtrare valent, docuit S. Paulus verbis ijs quæ ad Elizabetham tum meritiſſimò accommodarim, deum ſuum caſtè purèq; venerantem, etiamſi *ſecundum viam quam iſti hæreſim vocant.* At, & Carbo, inquis, *reſpondit* (is enim eſt *Celeus*) *quamuis imparatus, & iniqua diſputandi lata ſunt conditione Epiſcopis Pontificijs.* De Carbone, vt ſe geſſerit, quàm neruosè reſponderit, & ex tuis verbis colligere facile eſt, qui *eum imparatum reſpondiſſe* dicis, *ac nonnulla diſputâſſe quamvis ex tempore*, quaſi ſapientiùs facturum ſi nihil dixiſſet, planeque ſuperſedeſſet, & reliqui qui à te citantur hoc loco authores idem indicant. Qui mentiar ſi plus laudis Carboni aſcribant, quàm tibi ex Torturæ impugnatione deſponſum eſt, vt *carbo* fias aterrimuſq; omnium hominum de hoc auſo nequiſſimo cenſearis. Quid quòd verbum Sanderus nullum hac de re, vel Riſhtonus, qui inchoata à Sandero pertexuit, in totâ illâ hiſtoriâ ſuâ, Anni, à te notati, 1559. Et tamen non te puduit ad Sanderum nos remittere. Etſi primò eſt inſolens allegare Sanderum, hominem ex menda-

CAP. 81.

1. Pet. 3. 15.

Act. 24. 14.

cijs

cijs totum conflatum, deinde autem nihil ibi, vt dixi, tale reperitur. Oxonienſem quidem diſputationem ſub Mariâ attingit, & neſcio quam collationem à Papa expetitam in coitione Tridentinâ, cui Elizabetha exemplis deterrita noluit aſſentiri: hanc non nominat, non vel leuiſſimè indicat, nihil enim niſi turpe probroſumq; rebus veſtris continere iudicabat. Vis etiam ſcire quæ de eâdem ſcribat Iohannes Stous Chronographus, quem in ſubſidium ſcil. fidei tuæ alterum nobis aduocas? Mentiar ſi vno verbo vobis ſuffragetur, aut quicquam modò inſinuet ad rem quod ſit. *Aprilis* (inquit) *tertio Regina tractatum de religione habendum Weſtmonaſterij indixit, inter nuperos Epiſcopos, & doctos quoſdam viros, ex tranſmarinis partibus huc aduectos.* Hæc ille, nec ſyllabâ plus. Sed piget me impudentiſſimæ vanitatis tuæ Græcule, qui cum omnia conquiras, omnia corroges, nihil tamen vſquam inuenis quod auxilio tibi ſit. Ac quo magis hunc morbum tuum omnibus patefacias, fingis te ſuppetias habere à *Foxio* noſtro, cuius laus eſt in Eccleſijs, cuius memoria in benedictione, vndiq; quidem conſummatiſſimo & maximo viro, ſed & hoſte nugarum veſtrarum acerrimo, & hiſtoriæ ſcriptore ſanè diligentiſſimo. Cuius tu *martyrologium*, quòd à neſcio quo *examinatum* nobis narras, viderit *examinator* ille quid ibi repererit, quod huic tuo ſomnio de diſputatione faueat. Ipſe interim *examinandus* mihi, niſi tu ne nominandum quidem fuiſſe duxiſſes; nunc ſolâ obſcuritate cenſuram depulit. Nec in maiore quidem Chron. ſuo, Ioh. Stous quicquam ad rem, quod hodie primum nactus, dum hæc ſub prælo. Eò breuior. *Culpâ & contemptu Epiſcoporum Pontif. immaturè abruptum tractatum illum* ſignificat. Hoc inter principia. In fine ſic. Ex authenticâ relatione quadam, quæ Regijs impreſſa prælis tunc temporis prodijt, multa *de contumaciâ importunitateq; eorundem* differit. *Solum Feckenamum Abb. Weſtm. quaſi reliquis modeſtiorem, aſſenſum eſſe de libelli lectione, quem exhibuerant, Epiſcopos noluiſſe.* Vide cæt.

Chron. minor. « « « «

Nam

Nam his locus vix erat, plenâ paginâ.

RESTAT vt conditiones huius tractatûs expendantur, quas tu pro ſapientiâ tuâ improbas ſcilicet. Primò quòd Baconus Laicus præfuerit. Tuo ergo iudicio nec Iuſtinus Martyr idoneus moderator huius diſputationis fuiſſet, qui ab ordinibus ſacris vixit alienus. Quid cæteros commemorem, qui Laici & in Synodis operam nauauere, nec iudices ſolùm ſed Reges, Sifibuti, Guntranni, Reccaredi (Conſtantinos enim & Martianos nunc non dico) nc tu omnem Minervam in Monachorum capita, aut verò Ieſuitarum incluſam exiſtimes? Ac cùm vir prudentiſſimus grauiſſimuſq; fuerit *Baconus*, quod declarat etiam dignitas illa, quam deinceps inter ſuos conſecutus eſt, vt nihil dicam de nomine, quo illuſtres Scholaſtici extitere quidam, quem quæſo æquius erat præſidere illi conuentui, & tanquam fluminis curſum ſic diſputationis dirigere? Non enim *magiſtralis* fuit illa moderatio, vt vos loqui ſoletis, ſed *directiua* potiùs & *gubernatiua*, quæ Bacono tunc temporis demandabatur. At fuit etiam *hæreticus*. Quod ex tuo ore verbum eſt virulentiæ atque procaciæ, in illo verò nihil denotat niſi pium & benè affectum circa religionem animum. Sed nimirum tibi nulli tum moderatores placuiſſent, niſi aut ex Ieſuitico Loyoliſtarum ſeminario delecti, aut ad tuum arbitrium vltrò compoſiti. Quanta hæc iniquitas eſt, in eo præſertim, qui alienæ æquitati interim ipſe obtrectet? Niſi medium genus hominum ex luna deducendum, aut ex Epicuri intermundijs citandum fuiſſe putes, quod neque hoc neque illud ſaperet. Atque hæc hactenus ita reſpondi, ac ſi vera eſſent illa quæ tu de Bacono hoc loco diſputas, diſputationis huius *ſolo*, vt ais, *moderatore* ac præſide. Reperio autem & D. Heathum Archiepiſcopum Eboracenſem, hominem in veſtras partes ſatis propenſum, alioſq; complures, eodem munere functos, interlocutoſq; pro arbitratu, Heathum imprimis, & conſediſſe CAP. 81.

cum Bacono, etsi eò potiores essent partes Baconianæ, propterea quòd Commissionis princeps existeret. Quòd conditionem eam vellicas, quâ omnia de scripto recitari iubebantur, nunquam hoc faceres nisi causæ tuę diffideres, nullum vt monumentum tam gravis colloquij extare velles. Audi Demosthenem popularem tuum; *Ego si fas esset, non scripta solùm, sed & sculpta afferrem:* ὁ μὲν γραπτὰ ἀλλὰ γλυπτὰ. Plutarch. Tantâ deliberatione vtendum censuit in forensibus. Et tibi tam pro nihilo sunt res sacræ grauissimæ? *Sed & Scholastica*, inquis, *argumentandi ratio prohibita est.* Cohibita potiùs & restricta fortasse. Non enim puto in vniuersum sublata. Nescio, nihil audiui, sed quicquid erat, id eos spectâsse puto, qui huius conditionis authores erant, ne *nimium altercando veritas amitteretur.* In quo Gregorium Nazianzenum refragantem sibi non habuissent, applaudentem potiùs. Anglicanum autem idioma eò libentiùs vsurpabant, vel vt ab omnibus intelligerentur, (pars maior enim inferioris vt vocant domûs Parlamenti, & tota fermè Nobilitas id expetijsse dicuntur, vt vernaculè omnia, propterea quòd non intelligerent ipsi Latinè,) vel si coniecturis agendũ esset, ratione fortasse habitâ & vestrorũ hominũ, qui adeò interdum peregrini sunt hâc in linguâ, vt nõ modò non disputent Latinè percommodè, sed nec Missam peragant, aut officium recitent, quod sæpe experti sumus. Denique non placent tibi capita ipsa rerum ad disputandum proposita. *Magis enim popularis*, inquis, *hæreticorum fuit causa.* Viden' ergo vt si à Monachis tuis causa semel remoueatur, atque ad aliam audientiam traducatur, spes sit homines non hebetes stultitiam dogmatum vestrorum illicò persensuros? Sed hæc hactenus. Cætera quæ de rebus nostris domesticis garrit, suamq; inficiationem, homo deploratissimus, & actis publicis & luci orbis terrarum opponit, etsi eiusmodi sunt, vt propter solam impudentiam præteriri possent, tamen iccirco nunc omitto atque prætereo, quia viro clarissimo D. Roberto Abbato, verè quidem In Orat. de eâ ipsâ re.

ἀζαλῳ nihil præripere animus eſt, quem ſummo cum iudicio, ſingulari maturitate, & ingenij eloquentiæq; opibus abundantem, in confutatione eius libri verſari intelligo, quem *Apologiam Garnetti* iſte ſcripſit & inſcripſit, quò nihil eſt horum quæ de rebus Anglicanis ſequiùs narrata ab Epiſcopo calumniatur, quod non aptiſſimè referri poſſe videatur. Et tamen, deus bone, quàm inſipida ſunt quædam, quàm friuola, quàm nugatoria? Quæ vereor ne indigna ſint ſummi viri labore. A me igitur, ſed curſim omninò, libanda.

CAP. 83.

BATESIJ literas quibus Greenwellum conſcium coniurationis fuiſſe docet, idq; ſe ex familiaritate inter illum & Catesbeium herum ſuum odoratum eſſe, à ſpe impunitatis profectas videri vult, non à ſincero candidoq;, vt in extremis illis animo. Ita ſuis hominibus detrahit nebulo, adeòq; ijs qui integerrimi ex toto numero habebantur, qualis hic imprimis Bateſius erat, vt notam perduellionis in Greenwelliano nomine hærentem extergeat. 1

Apud vos, inquit, *actuarij non verba modò reorum, ſed motus etiam animorum excipiunt.* Quid ita? Quia *commotum vehementiùs* Garnettum quædam elocutum eſſe tradunt Acta. Hæccine igitur tibi crudelitas, an diligentia videtur noſtrorum hominum, qui omnia tam accuratè ingenuèque referunt, quæ tu importuniſſimum animal depraues? Ego verò demiror, quâ fronte contra ea venire auſus ſis, homo peregrinus, & rerum imperitus, in quibus referēdis, præter nimiam quandam diligentiam, & fidem, & religionem, ne ipſe quidem quicquam admordere potuiſti. Quale hoc eſt quod de *animi perturbatione* hic exagitas. 2

Chirographum Garnetti iam damnati profertur, confeſſionem rerum quarundam continens, quæ ab his ſolito furore negantur. Quid tandem? Reprehenditur hîc iudicij Anglicani mos, *quòd antè damnetur quàm interrogetur reus.* Quaſi non & multæ & accuratæ in Garnettum inter- 3

rogationes quæſtioneſq; inſtitutæ ſint, quæ omnes damnationem eius præceſſerunt, imò equidem tam accuratæ tamque exeretæ, nullæ vnquam vt honorabiliores in hoc regno viſæ ſint, nullæ viſendæ. Sed cùm indomitam impudentiam veſtram pernoſſet Senatus, quâ vſque diffitemini, & tergiuerſamini nullo fine, vel in rebus apertiſſimis ac teſtatiſſimis, omnibus modis occurrendum *cacoethi* veſtro putauit, eliciendumq; à Garneto & poſt damnationem aliquid, quo vobis, ſi fieri poſſet, ora penitùs obſtrueret. Quod meo iudicio eò maiorem vim habere debet, quòd qui fata præſtolantur, & ſpei ſuæ ſuperſunt, magis ingenui & ſimplices & aperti eſſe ſolent.

4 Contradictionis accuſat Epiſcopum de eo, quòd Garnettum vel authorem vel fautorem pulueriæ coniurationis faciat, quem tamen concedit ita de ſe aliquando profeſſum, *quòd non potuerit ipſe, non extimis ſenſibus totoque pectore facinus illud ſi peractum eſſet deteſtari.* Quaſi iſta ſibi repugnent, ſcelus aut animare, aut etiam admittere, ſub ſpe *compenſationis per meum aliquod emolumentum*, vt Garnettus loquebatur, in ſermone cum Catesbeio, & tamen atrocitatem rei factæ deteſtari, atque in tuo ipſius facinore cohorreſcere.

——μίχθησ δὲ τὰ νῦν ἔργα,

ait Heſiodus. Et Euripides ni fallor, Non eandem eſſe faciem rerum euentorumq;

Πῶς γὰρ ἂν λῃστὴς ἐγγένοιτ' ἀμείλιχος.

Quis enim prædo tam barbarus, quis tam audax ſicarius, qui cùm aut templum incenderit, aut hominem trucidârit, non deinceps facti ſui horrore tangatur, ſcq; de eo execretur, quòd ſpe illectus, & cupiditate occæcatus, non tamen abſtinuit deſignare? Idem hic exiſtima. Placet tot innocentes, vel puta noxios, perire? placet tam crudeliter, tam nec humano more, & inopinantes omnes, abſorberi? Placet, ſed tamen aliqua ſunt iura naturæ, concedendumq; vt me conſilij mei quamvis ſerò pœniteat, atq; in tan-

ta

tâ tamq; luctuosâ ciuium strage, damnem potius ipsemet incæpta mea, quàm inauditâ animi efferatione obrigescam. Atq; hæc, si *verè* de se Garnettus, *quòd peractum facinus detestaturus fuisset*. Interea fortè *ficta*, qualia ille permulta, ad suspicionem tanti sceleris quâ laborabat amouendam. Quicquid autem sit, Episcopus qui orationem modò Garnetti retulit, nullius falsitatis argui iure potest.

Preces pro successu meditati maleficij, ex edicto Aquauiuæ Generalis, fusas esse, *ex eo*, inquit, *euidentis mendacij conuincitur, quòd Comes Salisburiensis vt est apud Acta, Garnetto quandoq; dixerit, mirari se quòd ad Aquauiuam de his rebus nullas scripserit. Non enim*, inquit, *hoc latere potuisset Comitem*. Cui nos quidem nec sagacitatis laudem derogamus, nec vllius præterea præclaræ virtutis, nunc etiam extinctum eo numero reponimus, qui sanctissimus celeberrimusq; haberi solet. Vos autem & cum hæc dicitis, cohorrescere interea opinor tanti & tam insoliti admiratione acuminis, quod nec patriæ suæ rebus vnquam defuit, & vestris molimínibus obstitit imprimis. Sed quò ille sapientior, & catior, & tectior, atq; omni senatoriâ laude cumulatior, eò magis veniam dabis reticendi quæ sciat, & quatenus quicq; possit, ex ipso reo eliciendi, suisq; proditorem constringendi indicijs, potiùs quàm intempestiuè quid eorum quæ didicit effutiendi. Nunquamne illud legisti apud Paræmiasten, *Consilia prudentum vt puteum aquarum esse, qui non facilè exhauritur?* Hoc quidem argumentum nullum esse confirmo, *Comes Illustrissimus ex Garneto perfunctatus est*. Ergo *non sciuit*, vel, *Non habuit qui probaret*. At conuincendus erat, inquies, si suppeterent argumenta. Quis? Garnettusne, ab Aquauiua? Ad Garnettum hoc nihil, quid edixerit Aquauiua, qui id & sine Garnetto perfacilè potuisset. Aquauiuam autem conuinci quorsum pertinebat? Iudicium enim non nisi de Garnetto tum fiebat. Ita scire potuit Comes, & tamen causam reuocandi nullam habere. Viden' ergo quantò aliorsit Episco-

pus calumniâ tuâ?

6 Sed in nullo magis ringitur, quàm quòd *zelo religionis cultuſq; Pontificij*, pulverarij ſe ad facinus accinxiſſe dicantur, & *Ieſuitarum*, vel noticia, vel authoritas interveniſſe. Ego verò non miror, *ſi cornu*, vt dici ſolet, *oculum cornu non eruit*, id eſt, ſi Ieſuita Ieſuitam non infamet. Vidimus paulò antè, quid hic ſibi ſumpſerit in Marianâ ſubleuando, itemq; alius alibi in Gignardo, ni fallor, exornando. Præ quibus & Spartacus & Catilina tolerabiles, quorum nemo pietatem amentiæ prætexuit. Sed quòd negat de cauſa aggrediendi facinoris, quam luce clarius eſt Papiſmi zelum miſeris fuiſſe, cur ſaltem non à ſcelere eos Papiſmus reuocauit? Cur diros conatus relligio non prohibuit? Nimirum, vt ille olim, in re non abſimili, ſed longè minùs atroci,

Lucret. ——— *tantum potuit* SVADERE *malorum*,

diſſuadere non potuit, *prauæ relligio, perverſa, impia*, æternùmq; vel hoc nomine *infamis* futura. Sed quid ego hîc actum, quod dicitur, agam, & probem Ieſuitas in mediis coniurationis medullis hæſiſſe, quod & Epiſcopus tam luculenter de compluribus Ieſuitis, *Teſmondo, Garnetto, Gerardo, Oldcorno*, & ſi qui alij ex eâ ſectâ fuere, p. 280 Torturæ, mox etiam everſor Apologiæ pro Garnetto D. Abbatus demonſtrabit, tam ſolidè, tam neruoſè, vt à nemine, niſi ſolo Eudæmon-Iohanne, cum ſuâ *Orci galeâ* id eſt, impudentiarum omnium patrocinio, negari queat. Quòd ſi fortè Epiſcopus tibi ſuſpectus eſt, quanquam nihil niſi ex Actis exactum ille profert, eâq; integritate vir meritò cenſetur, vt mille teſtium inſtar eſſe poſſit, audi quid *Caſaubonus* nuper hac de re ſcripſerit, de Garnetti in pulueriâ coniuratione partibus, Caſaubonus inquam, qui & rem accuratiùs omnem inueſtigauit, nec verò ſatisfacere ſibi aliter potuit, niſi hoc diligentiſſimè ſtudioſiſſimèq; perquiſiuiſſet, & tandem, non ſine cauſâ, homo peregrinus, compertâ veritate, in veſtra immaniſſima impudentia exhor-

horruit. *Cum & Decanus edis Paulinæ D. Iohannes Oueralus, & alij aliquot ſpectatiſſimi vnà adeſſent viri*, qui ſummo hodie loco præſunt Eccleſijs, quæſitum eſt à Garneto, ſi *Eccleſia Romana eum poſt mortis ſupplicium Martyrem declararet, ecquidnam probaret*, & tantum titulum ſe ſuſtinere poſſe crederet? *Ad quod ille ex alto ſuſpirium trahens, humeroſq; adducens*, (iuuat enim viri optimi verbis vti D. Caſauboni qui ſatisfacere ſibi vt dixi non potuit, niſi hęc ex ijs reſciſceret, quos interfuiſſe ſignificatum eſt, repetitaq; & confirmata ſibi ab vnoquoq; illorum audiret) *Martyrem me?* (inquit) *ô qualem Martyrem! Sed neque Eccleſia hoc faciet, & ego deum oro, ne huius vnquam illi in mentem veniat. Equidem ſi pro religione Catholicâ mortem obirem, neque aliud, infelix, ſciniſſem, præter illa quæ per viam Confeſſionis ſciui; poteram fortaſſis honore martyrij non indignus videri, & iudicium Eccleſia promereri. Nunc ego peccatum agnoſco meum, & ſententiam, quæ aduerſus me eſt pronunciata, fateor eſſe iuſtiſſimam. Deinde iterum atque iterum ſuſpiria ingeminans, & pœnitentiæ non ſimulatæ ſigna exhibens*, (quanquam enim hæc apud Caſaubonum totidem verbis extant, tamen digna equidem exiſtimo, quæ non ſemel prodantur, in omnibuſq; omnium extent commentarijs, vt *Puteanus* interim puteat cum Dromone ſuo *Prodromo*,) *Vtinam* (inquit) *quæ facta ſunt poſſem infecta reddere. Vtinam quiuis alius mihi potiùs accidiſſet caſus, quàm vt nomen meum proditionis infamiâ deturparetur; quod tamen peccatum etſi grauiſſimum, per veram pœnitentiam ſpero delendum, & Chriſtum mei miſertum. Ego certè, ſi vel vniuerſum orbem terrarum in poteſtate meâ haberem, vniuerſum lubens darem, vt à proditionis crimine, quod conſcientia mea impreſſum eſt, quodque in elogio meæ condemnationis extabit, purus mori poſſem.* Hæc ille, hæc Garnettus, id eſt, Martyr tuus, quem tu eo nomine in cœlum tollis, & ad primos facilè ordines beatorum aſcribis, quo quidem ille ſe abiectum & damnatum cenſebat, proſtratum & ſqualidum, turpem, conuictumq;, Epiſt. ad Front. Ducæum.

nec

neè nisi insigni Christi misericordiâ releuandum. Quin tu sape aliquando, & nuta istam mentem tuam, muta verò mihi crede Eudæmon-Iohannes, nec tantum aut Iesuitismo tuo tribuito, vt quæ in illo fiunt omnia, cum laude, & cum merito fieri velis, nec *opertaneis confessionum* nimis confidito, etsi alia quædam grauiora vrgent tuos. Recole quid Antoninus ille quem in diuum consecrâstis, de resignato confessionis sigillo scribat, nihil accusans neque vituperans, idq; in minori longè periculo quàm hoc nostrum fuit. *Florentini conantur Aretium incendere. Sed impeditus est tractatus & detectus, ex eo, quòd quidam ex ruinâ corporis confractus, qui vnus erat ex coniuratis, in extremo vitæ constitutus, totam rem & ordinem Sacerdoti reuelauit. Sacerdos verò periculosum sibi ratus rem tam atrocem silere, patefecit Principibus ciuitatis. Et ita, coniuratione oppressâ, res ad irritum recidit, & vrbs cognito Florentinorum aduentu diligentiùs est custodita, vnde illi irrito labore domum redierc.* Antonin. in hist. Anni 1289.

Quidni hanc saltem rationem, secutus est Garnettus, prouidendi periculo tam graui publico, cui nullum Aretinum aut Fesulanum contuleris, nisi quòd reuera fauebat, fauebat inquam, & oculos longâ expectatione caligantes, crudelissimo acerbissimoq; interitûs nostri spectaculo quamprimùm pascere & saturare gestiebat?

7 Alterum exemplum pestilentiæ Creticæ. *Est*, inquit, *apud Acta, Garnettum à Catesbeio interrogatum de nece insontum vnà cum sontibus, primò nihil fraudis suspicatum respondisse, deinde subdubitâsse ne quid monstri foueret animo Catesbeius, qui id quæreret.* Quanquam autem se humanitas Garnetti hic declarat, veniam huic barbariæ tam promptè tribuentis, vt noxij cum innocentibus pariter extinguantur, quasi illud renouet exquisitæ ferocitatis,

Pereant amici dum vnà inimici intercidant,

tamen scire ex te velim, quid tandem in Episcopi relatione reprehendas? *Ille verò* (inquit) *contrà; suspicatum aliquid triste ab eo animo agitari, & tamen respondisse nihilominus ad*

qua-

quæſitum. Quis ferat hoc Fraterculo in Epiſcopum licere? tam perditè excipi tã illuſtrem virum? Quaſi idẽ per omnia, Acta non tradant. Temporum enim puncta, non diſtinguit Epiſcopus, nec eſt quòd diſtinguat, tam ſollicitè quidẽ, vtrũ primò reſponderit ac deinceps dubitârit Garnettus, an primò dubitârit & deinde reſponderit. Quid eſt τὸ κύριον διὰλῦσαι, ſi hoc non eſt? Et dubitâſſe & reſpondiſſe modò dicimus Garnettum, quod ecquinam refellis vir optime? Tum, non omnia quæ in Actis ſunt, ita vera eſſe neceſſe eſt, vt Epiſcopi narratio, ſi ab eo diſſentiat quod in Actis exponitur, ſtatim pro falsâ explodi debeat. Acta enim non indicant quid ſentiendum ſit, ſed tantummodò quid coniurati de ſe confeſſi, qui non rarò falſa, ſæpe etiam pugnantia, dicere conſueuerunt. Non concedo ergo non reſpondiſſe & dubitantem Garnettum, ac quamvis ſuo aliquo ſcrupulo intùs torqueretur, vocis tamen conſenſum Cateſbeianis furoribus quamprimum accommodâſſe, quod id fortaſſe eſt quod Epiſcopus exaggerârat. Vt omittam, quòd cum bis hoc Cateſbeius à Garnetto percunctatus ſit, ſicut habes apud Epiſcopum loco quem citas, tantum abfuit vt Garnettus antè modò reſponderit quàm dubitare inciperet, quaſi neutiquam reſponſurus ſi prævidiſſet, vt tempore interpoſito, & dubitatione iam inveterată, *pleniùs iterum de omnibus conſulenti Cateſbeio, pleniùs ad omnia Garnettus reſponderit*, in campis prope vrbem quibus nomen à Palude, & reſponderit inquam, *tum licere, tum magni meriti rem fore, ſi grandi aliquo bono Catholicorum nec innoxijs parceretur.* Quod ad Garnettum implicandum ſatis eſt. Sed operoſius quàm par erat ad tam humile cavillum. Et ij collapſam Eccleſiæ diſciplinam querantur, qui tam rancidis obiectiunculis Epiſcopum petiti videant, ab imæ claſſis ſacrificulo, nec vlciſcantur tamen?

Turnur. Tort. p. 281. & citatur à Parall. pag. 237.

Simile eſt quod ad eas literas Garnetti reſpondet, quas die Dominico palmarum, ad Patres & fratres quoſdam de-

dit ſuos, ex quibus patet eum iam veritum ne Greenwellus captus eſſet, omniaq; reuelâſſet, ad inventum illud ſuum de ſecreto confeſſionis, tanquam equidem ad aſylum, decurriſſe. Extat exemplum, & videri poteſt apud Epiſcopum. Nihil eſt diſertius hoc indicio Garnettiano. *Neceſſe* (inquit) *fic fuit*, quid? *Greenwellum involuere, de confeſſione comminiſci, alioqui finxiſſem magis formalem fabulam.* Quid ad hæc vir optimus Eudæmon-Iohannes? At *Garnettum* (inquit) *alibi confeſſum ipſi fingitis, ſe nunquam Greenwellum in crimen vocaturum fuiſſe, niſi non modò non captum, ſed extra omne periculum conſtitutum exiſtimâſſet.* Quaſi hæc non Garnetti potiùs inconſtantia ſit quàm Actorum, aut verò Actis non ſit ſatis, continere quę à reis expoſita ſunt, niſi ipſa inter ſe trepidorum hominum, & quidvis propè fingentium, quod expediendis ſibi ſit, dicta cohæreant. Ac parumne Garnettus de ſe teſtatus, *Alioqui finxiſſem magis formalem fabulam?* Non ergo negat de fabulâ, nec curauit quàm verè, dummodo *formaliter*, i. ſcitè ac compoſitè ad ſe excuſandum, quoties à Iudicibus vrgeretur. Quanquam hactenus Garnetto aſſentiri poſſe videor, quòd Greenwellum non accuſaſſet, ſi cum eius periculo id ſe facturum cognôſſet, 1. niſi aut penitus eum elapſum, aut ſi fortè comprehenſus eſſet, ſuâ ſponte ea indicâſſe cuncta ratus foret, quæ ipſe ſine periculo occultare non poſſet. Ita enim calamitatem ei nullam crearet, ea aperiens quæ ipſe iam agnouerat atq; retexerat, non magis quàm ſi extra aleam omnem conſtitutus fuiſſet. Sed & his, & convicijs ijs omiſſis, quibus vndiq; veluti roſis conſpergit Epiſcopũ, triũphatq; & cugurrit in ſtercore ſuo gallus, cum præter meras quiſquilias nihil attulerit ad tanti decôris opus deformandũ, de Garnetti virtutibus pauca ſcilicet audienda ſunt. Dolet enim labefactatã eruditionis eius famã, & *incõparabilis ſanctitatis* cuiuſdã, quam Tortus ei adſcripſerat; quanquã iſti hæc iã quibus volunt ſuo iure aſſerunt, & rurſus quibus volunt adimunt.

Tu

CAP. 84.

Tu verò mathematica eius quoad voles efferto, eumq; Clavij ſucceſſorem in prouincià deſignato. *Theologia, ſi quid habuit, ne ille ſibi habuit*, vt rectè Epiſcopus, ſecumque abſtulit, monumenta quidem nec vocis, nec ſcripti, illuſtriora, reliquit vlla. Neque verò aliter potuit, qui molle illud & voluptuarium vitæ genus ſequeretur, quod ab eo adamatum cultumq; omnes ſanctiſſimè norunt, qui quicquam norunt. An tu ne ea quidem legiſti, aut ab Anglis tuis accepiſti, quorum etiam commercio gloriari ſoles, quæ Presbyteri ſæculares in ſchiſmate conſtituti, de eo memoriæ prodiderunt? Quòd & curru vehi, & habitu non Eccleſiaſtico amiciri ſolitus ſit, & pecuniæ tantum percipere ex annuis reditibus, quantum ego hîc non dicam, ne fingere videar, ad aliquot ſexcentena ſi verè narrant, Regem denique ſe alterum inter ſuos oſtentare. Audiui equidem qui dicerent, congenulari ei ad menſam ſedenti ſolitum eſſe, quàm verè neſcio, ſed in magnis certè delicijs ſplendoreq; eo vixit, qui non ferè cum reconditis ſtudijs coniunctus eſt, nec perſecutionem compatitur, niſi fortè Anglicanam. Atque accepi illud etiam, cum nihil minùs cogitarem, quàm fore aliquandò, vt iſta literis proderem, accepi tamen (Deum teſtem appello) ex ore duorum ſummorum Regni Senatorum, qui nunc vtrique diem obierunt, Garnettum tam tenerè ſibi habendum fuiſſe, cum primò cuſtodiæ mandaretur, ac ſi puer eſſet *bimulus, tremulâ matris dormiens in vlnâ*, vt ait ille, aut ſi quid infirmius eſt, enervatiuſue; nec *Socratico libello*, ſed potionibus ſcitè mixtis, & iuſculo bellißimo, & cocetis apparatiſſimis, ſæpiùs in die neceſſariò ſuſtentandum refouendumq;, ne aut metu aeque ignauiâ, aut, quod potiùs reor, inſolentiâ rerum aduerſarum, antè etiam quàm in iudicium adduceretur, occumberet. Porro corpus eius ferunt, qui mortuum contemplati ſunt, adeo nulla ſeueritatis impreſſa ſigna habuiſſe, vt Iouiniani diſcipulum inter primos agnoſceres, anne Sardanapali potiùs, capis & perdicibus apprime far-

tum, ſolidum, vt ait ille, & ſucci plenum, idq; illâ in ætate, tantumq; abeſt ne *continentiâ corneum*, vt loquitur Tertullianus, vt & eſcis lectiſſimis, & vino generoſiſſimo, & omni curaturâ imprimis excultum, ad eum habitum, qui exquiſitiſſimarum Venerum vix eſſe ſolet. In his ego delicijs, in hoc lætore, non dico Chriſtum dominum, cui tu eum ſimilem facis, non Martyrem quem inter primos Garnettum celebras, non deniq; Theologum, ſed vel planè ſemidoctum, aut omnino intelligere, aut me reperire poſſe confidam? Nam quòd virum honoratiſſimum, Comitem Northamptonienſem, Garnettianarum dotum teſtem adducis, eſt illius quidem ad Garnettum plena elegantiæ & eruditionis oratio, ſed quæ eum potiùs non invidum, vel planè perhumanum, alieni meriti æſtimatorem declaret, quàm Garnettum in Theologiæ laude præſtantem. Indolem ei tribuit, quam nos non negamus, modeſtiâ, quam tibi dolet ad hypocriſim poſt deflexam, doctrinam etiam, quâ prædicari eum & magnificari vidit inter ſuos. Denique neſcio quo modo exiſtit, vt quò quiſque vir clarior eſt, & in quolibet ornamentorum genere ſpectatior, eò procliuius eam laudem cum altero communicet, cuius ad ipſum propriè pertinet principatus. Quod in hoc quidem eruditiſſimo Comite vſu-venit. Sed quid ago? quò feror? Nam & hæc, vt dixi, pars ab alijs excoletur, & in tantâ varietate incidenda ſunt media, ne nimis ſerò ad extrema veniamus.

CAP. 85. IIII

Defenſio D Elienſis *de auctorum citatione*, contra calumnias Parall. pag. 269. & ſuccedentibus.

NEQVE tamen omittam, ne eam quidem partem, quæ proximè inſtituitur à quadruplatore noſtro, *de mendacijs* vt ſolens loquitur, & nimirum ſuo iam more, *circa citationem authorum*. Neganti Torto Catholicum eſſe quempiam, qui Regum deponendorum poteſtatem Pontifici attributam inficiaretur, Epiſcopus nominatim non paucos enumerârat, *Almainum*, *Pariſienſem*, *Maiorem*, atq; alios

alios, de quibus operæpretium est attendere quinam diluat dealbator iste. Neque verò eos penitùs ad classem nostram accensuerat Rev. Episcopus, sed inter eos reliquosq; dixerat, *non satis conuenire* (ipsius verba sunt, quæ notari sanè cupio, eoq; magis, quòd ea peruersa iamdudum non parum, ab hoc *calumniarũ patre* intelligo) *de Papa temporali in omnes potestate*. De Occamo porrò & Waltramo, & alijs quibusdam præuiderat D. Episcopus, vt est oculatus, quâ tandem ratione se tutaturi essent, schisma viz. ijs, & nescio quas alienas ab Ecclesiâ suâ partes, obiectaturi. Quod quanquam non probat, neque probandam omninò censet, vt pro suo arbitratu infirment iudicia grauissimorum virorum, ad schismaticosq; & hæreticos importunè aggregent, duntaxat vt de illorum existimatione delibent, quibus alioqui arbitris omninò pereundum sibi fuisset, tamen iste putidus non aliter accipit, quàm si ex suo ingenio vir doctissimus ita cauisset, in quo illorum tantummodò delicias perstringere voluit, vel potiùs desperatissimam tergiuersationem notare. Sed ijs si placet remotis, quos quocunq; colore reijcere ac repudiare sibi posse videtur, siquidem μόνοι πρὸς σοφιστὴν ἀγωνίζονται, vt est apud Aristotelem, de ijs intueamur, qui extra omnem exceptionem atque aleam versantur. Primi sunt *Almainus*, *Parisiensis*, *Maior*. Quorum posterior quisq; tantò vehementior est, in concidendo hoc portento potestatis Pontificiæ, etsi Eudæmon-Iohannes *mercatorem* illum imitatus, qui insaniens omnia esse sua clamabat, hos quoque pro se cunctos stare somniat. In eo etiam meritò mihi reprehendendus, quòd caput malè annotet, *quintum* pro *octauo*, *quæstionis secundæ*, *de potestate Laicâ*, qui Episcopum paulò anteà de omissâ locorum annotatione perstrinxerat. Quasi non præstet omittere, quàm ludificari lectorem. Sed ad Almainum. Distinguit primò Almainus (non recedam enim à ijs verbis, quæ iste conquisitissima, ex eo, in librum suum inserit, & quibus vnis ille maximè Pontifici indulget) inter *crimen spiri-*

Pag. 13. Tortura.

Rhetorice.

tuale & crimen ciuile. De *ciuili* saltem negat, pertinere ad Pontificem deponere Regem, quantumcunque noxium. *Propter crimen ciuile & politicum* (inquit) *non spectat ad Papam Imperatorem deponere, sed ad eos ad quos spectat ordinare, hoc est, ad communitatem ciuilem, vel ad eos qui communitatis vices gerunt.* Ecce igitur non parum de eâ *candâ* recisum, *quâ stellas se de orbe suo detracturam minitatur*, Reges de solio. Isti enim pro modestiâ suâ geminum nobis Regem depingere solent, aut *lupum* quem appellant, id est hæresi grassantem, aut *arietem*, in regiminis ratione pernicioſum. Neque dubitant vtrumq; ita subdi Pontifici, vi verborum illorum, *pasce oues meas*, vt & recludere possit, & à grege separare, atque in summâ, de Imperij gubernaculis detrudere. In quo, ab Almaino, verbis ijs revincuntur, quæ iste ex eo recitat, & in librum suum refert, etiam tum, cum vult ostendere, Almainum nihil diuersum à Catholicis suis sentire, circa Pontificiam potestatem Regum exauctorandorum. Quanquam quod ait Almainus, *Regem à communitate deponi posse*, non intelligo quid officere causæ nostræ debeat, cum à Crete ipso luculentissimè iam antè refutatum sit, quo loco, dissimulato *Mariana* nomine, sententiam eius verbis ijs exagitat, quibus ita delectatur, vt iterum repetat, atque, hinc tradueta, in *Responsione ad Anticottonum* suâ perambitiosè insulciat, quasi digna quæ ab omnibus cognoscantur. Neque tamen id quod caput est, Almainus hoc in loco quicquam suum definit, sed *dicit Doctor*, inquit, quisquis ille sit (Occamum interpretatur Eudæmon-Iohannes, & interpretetur ille quidem) quasi si vlla deponendi Imperatoris facultas Pontifici concedatur ab Almaino, id in aliorum iudicium quàm in suum referri malit, qui dogma hoc tanquam *viperinum sanguinem* horruerit. At verò quæ contra depositionem hanc argumentatur, ea prorsus ex nativo eius liquidoq; fluunt ingenio, non in Doctoris nescio cuius authoritatem resolvuntur, vt munitissima ex omni parte sit Episcopi sententia, quâ Almai-

Princeps, in Reges, quàuis extrema animaduertens, NVLLVM IVS. pag. 335. Parall. &c.

mainum in ijs numerat, qui Pontificiæ huic licentiæ *minùs fauent*. Quanquam videor & Occamum, ego, pro eâ indulgentiâ, qua afficior in popularem noſtrum, non immeritò fortè ex eo numero excernere poſſe, qui *Depoſitionem* tuentur. In libro primo certè Dialogi, Tract. 2. part. 3. c. 18. ventilaturus quæſtionem hanc, & alia quædam dicit, & hoc quod iam ponam, cui etiam eò magis confidere putandus eſt, quia vltimo loco dicit. *Aliter dicitur* (inquit, Reſponſione tertiâ) *quòd Zacharias Papa deponendo Regem Francorum, miſit falcem ſuam in meſſem alienam, poteſtatem vſurpando ſibi ex officio nullatenus competentem. Quod & alij ſummi Pontifices in præiudicium Laicorum facere dinoſcuntur. Teſte glo. qua, extra de foro competen. Ca. ſi quis Clericus, ait: Papa, ſine ſint negligentes, ſcilicet Laici, in exhibendo iuſticiam Clericis, ſine non, quotidie concedit literas Clericis, contra Laicos, ſuper quacunq; quæſtione, & ita vſurpat in iſdictionem aliorum &c.* Neque verò ſi ἀναφορικῶς loquatur Occamus, ideò minùs nobiſcum ſenſiſſe iudicandus eſt, cùm & vltimæ cogitationes ſoleant eſſe fundatiſſimæ, qualis hæc eſt eius, quam iam retuli, & ea iniquitas fuerit temporum illorum, vt ſententiam ſuam liberè non ſit auſus expromere. Quod toto illo Dialogorum quidem libro apparet imprimis. Vbi Sceptici inſtar, & omnia ventilat, & nihil fermè conſtituit. Sententia tamen iudicium; eius, ſic per rimulas eluceſcit. Imò niſi res ſic ſe haberet, niſi Occamus inquam noſter eſſet (vtrinq; noſter) cur *ſchiſmate* infamis? quod dictum ab Epiſcopo, Eudæmon-Iohannes non eſt auſus hîc reprehendere, probat potiùs, & Bellarminus tanquam Auguſtus alter, *orbis terræ cenſum agens*, in Proœmio Antibarclaij ſui, vbi omnes omnium nationum Monarchomachos producit congregatq;, Occami inter Anglos mentionem nullam facit. Nonne fatetur ei *nec partem eſſe, nec ſortem*, in hoc negocio?

Atque eiuſdem conditionis eſt & ſecundum illud, & tertium; quod ex Almaino hoc quoque loco recitat Andreas.

Semper

Semper enim præfigitur, *Dicit Doctor. Papa potest deponere in duobus casibus.* Quis hoc dicit? *Doctor.* Item, *Papa potest transferre imperium casualiter.* Quis dicit? *Doctor.* Cui opponas genuinam Almaini sententiam, non expressam forsitan, sed tamen certè insinuatam, nec obscuris indiciis, nisi me fallit diuinatio mea, colligendam. Quippe libentiùs requiescit in authoritate *Parisiensis*, qui tic breuiter, *Propter nullum crimen, sine spirituale, sine ciuile, spectat ad Papam Imperatorem deponere, nisi per accidens.* De quo mox. At sic etiam Imperator potest Papam deponere, vt ibidem sequitur, puta, *si Papa vtatur potestate suâ in detrimentum reip.* &c. Quod nescio an iucundè ad vos Iesuitas accidat, vel *per accidens* quidem. Neque tamen audiendus est ille *Doctor* quisquis est, qui ob hæresim gentis, Imperium remouere posse Pontificem autumat, alioq; transferre, si ex animo *Doctor* hæc. Quasi *gentis* delicta in Imperatorem expetant, quod contra fieri plerunq; amat.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Nisi faueat Imperator, nisi fortè applaudat, qui ab illo casus non exprimitur. *Casualis* autem depositio illa (quam ipse *regularem* non esse fatetur, quo vno verbo satis iugulat) vt in defectu magistratuum aliorum, ad quos hoc pertinet, cumq; deest (vt loquitur) *congregatio populi*, Pontifex Imperatorem protervientem coerceat, qualis tandem est? Quasi nos hominem esse Pontificem negemus, vt in nescio quâ solitudine generis humani, quæ otiosè confingitur ab hoc innominato *Doctore*, cùm barbaries & feritas omnia occupârunt, publicis vtcũnq; malis succurrat, eaq; faciat quæ præter ipsum nemo iam est qui fecerit, facienda tamen, ne cuncta ruant. Almainus tamen non aliter *maleficam* hanc *potestatem* Pontifici vendicat, ne Occamus quidem, de quibus hactenus.

CAP. 86. ALTER est ex hoc Catalogo, Iohannes Parisiensis, qui cùm neget *iuridicè* deponere posse Papam, & *vi sententiæ*,

vt

vt ſe ipſe explicat, longiùs etiam quàm Almainus recedit à tramite veſtro. Porrò apparet eum non fundare depoſitiones Pontificias, in verbis ijs, *Quicquid ligaueris*, Matth. 16. quod tu tamen perconfidenter Catholicis tuis omnibus paulò poſt tribuis, vt *poteſtatem relaxandi* (itemq; igitur & puniendi) quam in Pontifice agnoſcunt, ſuper hunc vnum diſertiſſimum ſcripturæ locum collocent. Quid enim tam *iuridicum*, quàm quod authoritate verborum illorum, *Quodcunq; ſolueris*, vel, *Quodcunq; ligaueris*, fundatum eſt? Illius autem ſanè frigida *depoſitio* quam concedit, & indigna vt mihi videtur nomine tam ſeuero. Vocat ipſe, quaſi ſubmetuens, *depoſitionem per accidens*, quam tum vult eſſe, cum tam denſis excommunicationibus in Imperatorem fulminatur, vt nec ei cum alijs, nec alijs cum ipſo, commercia agitare liceat. Quaſi vlla excommunicatio tanti eſſet, vt ad eam depoſitio *neceſſariò* ſequeretur. Quâ de re, copioſè ante me alij dixerunt, neq; deeſſet oratio, ſi in eam materiem ingredi vellem. Iulianus certè Imperator, cum non ſimplici excommunicatione, ſed illâ vel diriſſimâ percuſſus eſſet, quæ votorum & ſuffragiorum communione priuat, *non dico vt quis oret pro eo*, non modò tamen depoſitus non eſt à multitudine Chriſtianâ, ſed promptiſſimis illorum obſequijs gauiſus ad extremum. Ita minimè metuenda eſt hæc *Pariſiana* depoſitio, (ne fieri quidem potuit vt *Pariſijs* mulctaremur, quos olim quàm fideliſſimos experiri ſolemus hac in cauſâ) neq; auctor ille non pertinet ad Regum fautores, & Pontificiæ indomitæ tyrannidis hoſtes. Aliquid tamen dixit, ne penitùs ab eâ fæce diſſentire videretur, in quâ non pauci tunc temporis demerſi iacebant, vt quiſq; ſuæ ætatis characterem referre ſolet. ſed oratione vtcunq; titubans, rei certè ſummâ noſter eſt. Neq; illa nos perturbant, quòd fieri poſſe cenſet, *vt Pontifex excommunicationibus cogat ſubditos ad deponendum Imperatorem. Excommunicatio* hoc *nulla cogit*, ſicut antè reſpondi, vt Imperator deponatur. Ac

pag. 18. Paral.

multò minùs *à subditis*, quod ne tu quidem opinor concoquis, licèt durus. Ita nihil Parisiensis Pontifici largitur potestatis ad deponendum, nisi aut quod nemini metuendum est, aut ipso iure nullum, reliquo iudicij flumine auctoritatisq; grauissimo planè vos obruit.

CAP. 87.

RESTAT *Maior*, qui minimè omnium vester est, ac tuà quoq; confessione, circumscribit *ante cæteros* Pontificiam potestatem. Non recitabo hic ad longum verba eius, cui enim bono? Totis paginis contra vos militat. Tu autem, qui Episcopum de locis authorum non ad gustum notatis tam petulanter insectaris, cur ipse Maiorem hoc loco perperam notas? In 4. Sent. & nescio quam Quæstionem, *nonamne, an tertiam*, satis ambiguè nobis, ne dicam falsò, commemoras. Sed Typographus non putauit quisquilias tuas tanti, vt in ijs provulgandis accuratiùs elaboraret. An tua hæc malitiæ potiùs culpa est, & affectatæ quædam latebræ, vt nos abducas à Maiore, quia illum ad te adducere non potes? In quo cum gregalibus tùis præclarè exquas. Neq; enim iam Maiorem in Maiore reperimus. *Expurgârunt* opinor locum ex in quartum Sententiarum, qui nisi alibi extaret, ne inveniri quidem hodie in illius scriptis posset. Tandem inter Gersoniana opera comparuit, estq; in Quartum Sentent. distinct. 24. quæst. 3. Quid ibi? Vocat *mathematicum imperium Papæ in temporalibus. Ait, multos devotos Reges à Pontificibus maximis Canonizatos, nunquam Romanos Pontifices supra se in temporalibus admisisse, & in hoc mortuos esse. Quod signum est* (inquit) *Romanos Pontifices non habere dominium omnium in temporalibus.* Item, *potestas terrena & potestas spiritualis, sunt duæ potestates non subordinatæ, quarum neutra dependet ab altera.* Quid est? Satisne tibi commouisse videor cornua bestiæ, id est vsurpatæ & arrogatæ potestatis vestræ in Principes? Sed adde iam. *Petrus aut successor eius, in institutione Christi, non habet dominium in temporalibus, sed solum in illis, quæ Prin-*

Cur locum aut librum non adducit Sal-tem vt Bellarmino recte dare conuincerer? &c. Parall. p. 274.

cipes ſæculi illi BENIGNE, ET GRATIS, *& contulerunt & conferunt.* Item, *ſi aliqui Reges cum populo ſe tradiderunt Romanis Pontificibus, vt fertur de Anglis, nihil ad nos. Non tamen opinor quòd Angli vllo modo permitterent Pontificem deſtituere ſuum Regem, & alium conſtituere.* Rectè conijcis de ingenijs noſtrorum hominum, qui modò non ſpuriè Angli ſunt, acutiſſime Maior. Quorſum autem? *Nunquam enim aliquem Romanum Pontificem hoc facere permiſerunt.* Catholici tamen & Angli, nec Papiſtis diffitentibus: maiores ſaltem noſtri, tot iam antè ſæculis; vt videas quò Torti tui hallucinatio reciderit, Andrea Cydonie, de *omnibus Catholicis communi conſenſu dogma hoc de Pontificiâ omnipotentiâ tradentibus.* Quanquam quid mirum, ſi Maior à colluvie illâ diſſentiat, qui in extremo quæſtionis eius, & Paludanum & Turrecrematenſem adulatione Pontificis vltra iuſtum evectos, *hæreſeos* diſertè notat, quisquis eſt? *Sed hoc quod ipſi tenent* (Paludanus & Turrecremata) *hæreſim in fide cenſet facultas noſtra*; non τὸ ἄτοπον iam, ſed *facultas tota.* Ita niſi aliquis *diſſentiret* è grege Catholicorum tuorum, aliquando *in hæreſim conſenſerint* vniuerſi. Sed veniamus ad illa verba, quæ citas ex Maiore.

Maximus Pontifex non habet dominium temporale ſuper Reges. Reſpondes ridiculo illo diſtinctionis medicamento, de dominio *directo* & *indirecto.* Quod à nobis alio iam loco exploſum, hoc loco nihil conſequitur, niſi vt ſuâ vel ſtultitiâ vel importunitate rideatur. Ac cùm omnia feceris, omnibuſq; te ſpiris anguis obtorſeris, hoc ſolum ex eo elicis, quòd *& ſuadendo, & conſulendo*, multa poſſit Pontifex, vel, vt fortiſſimè dicat, *prouocando* in eos qui fidem labefactant, & eccleſiam peſſundant. Quod, quò magis te pudeat egeſtatis tuæ, nemo noſtrum nec Pontifici, nec alij cuiquam Præſuli Chriſtiano negauit, aut negaturus eſt, ne pio quidem priuatoq; viro, vt conſilio & ſententiâ opituletur eccleſijs, nec lenitatis ſolùm partibus, ſed interdum e-

tiam ſeueritatis acrimoniæq; perſequendis, dummodò tamen ne ſubditos in ſuum Principem inſtiget, quod ne vnibrâ quidem tenus, aut poſitum eſt, aut ſomniatum, hoc loco, à Maiore. De *poteſtate deponendi*, de iure *priuandi, ligandi, ſoluendiq;* quomodò à vobis exponi ſolet, non neſcio quâ *induſtriâ* ad pericula euitanda, aut calamitatem propulſandam, non *gratiâ*, non *authoritate*, quærebatur. Tuus verò tantus ſtupor eſt, ſiue neceſſitatem potiùs dixerim, omnia audendi in hoc arcto, vt quo altiùs te induis in textum Maioris, eò maioribus, magiſq; mortiferis vulneribus te cruentes. Addis enim ex eo poſtremò, quòd cum duo ſint enſes quos obtinet Pontifex, quorum ille *ſpiritualis* eſt, & *actu* poſſidetur, alter *materialis* & *habitu* tantùm, *habere habitu eſt rogare poſſe Principes terrenos ac ſeculares, vt ſubſidio ſibi ſint.* Rectè quidem. Nam vt acutè Maior, *Non capitur hîc habitus vt capitur ab Ariſtotele ſecundo Ethicorum.* Non habet in poteſtate ſuâ, ſed ſuadere poteſt, conſulere, rogare, vt ij exerant quibus cõmiſſus eſt. *Ex aduocato* igitur aut *cõſiliario*, poſt *iudicem* ac *magiſtratũ*, *ſupplicẽ atque petitorem* iam Papam habemus, non enim dicam *mendicum*, etſi datur ille ſplendidus apud Homerum mendicus, qui & panem petat, aut pannos, in Odyſſeâ,

Parall. part. 7.

——— ὐκ ἔγχος ἐδ' ὑπὲς ἀλφήλων.

Sed Papa ἔγχος. A quibus autem niſi terrenis ijs ipſis Principibus, quos tu fodiendos trucidandoſq; ei gladio præbere geſtis? Sed gladium *illi* authoritas diuina commiſit, quem humana nulla temeritas poteſt excutere. Rectè igitur in eo faciunt, quòd gladio vſuri ad Imperatorem adeunt, ab eoq; illum expetunt, niſi quòd alia quædam arma ſtudiose eos deceant, 2. Cor. 10. 4.

Parall. vbi pri. 1.

At ſi licet (inquis) *Pontifici accendere ad bellum, cum Rege gerendum, cum certiſſimum ſit neminem ad bellum iniuſtum incitari poſſe, neceſſariò ſequitur iuſtam eſſe belli gerendi cauſam, ſi quis Pontificis rogatu bellum alicui intulerit. Cui & illud conſequens, vt qui aduerſus contumaces bellum geſſerit,*

in eum eiq; subditos, resq; eorum, iure optimo agere possit quicquid bellum iustum gerenti ius fasq; est, &c. Hæc tu, ex scalmo nauem ædificans, vel cum Polypo potiùs, artus tuos præ fame rodens. Quasi Maior his suis verbis, belli inflammandi potestatem det Papæ, regnorumq; committendorum, vt non *Iouem* solùm sed & *Martem* iam *Capitolinum* habeamus, cum nihil ille, nisi supposito iustam & legitimam subesse belli causam, ad eam persequendam incitare Pontificem permittat quos videtur, non autem simplici hortatu suo, iustam & legitimam facere posse pronuntiet, ac si ab illo penderent auspicia tubarum. At hoc quidem, vt antè dixi, etiam cuiuis priuato plebeioque licet in causâ iustâ, (& exemplum vide apud Theodoret. l. 5. hist. c. 27. vbi Theodosius ad Iohannem quendam Aegypti monachum mittit, sciscitatum *εἰ πολεμεῖν τοῖς ὑπάρχοις*, cùm in Eugenium pararet,) licet inquam, dummodò nihil de pietate in patriam detrahatur, aut de *naturâ* illâ *legeantiâ*, vt vocant Leguleij nostri, quam ne Oceanus quidem extinxerit, vt scitè Lucretius, *omnibus vndis.*

Tertull. contra Psych.

Licentia alia.

SVCCEDVNT alij. Zarabellam tibi vindicas quod in *Sol. Mat. concedit* sub ambiguo, *aut Papæ aut Principibus potestatem deponendi quandoque Regis, vtiq; si de Principum voluntate accusetur.* Quæsieras paulò antè, *Videturne tibi disertè satis ac sine circuitione proposita quæstio?* Propositam fortassè, vt in eo tibi gratificer, sed certè vides quàm dubitanter soluta. *Aut Papa aut Principes*, inquit, hæret igitur. Quasi omninò nihil Papæ cum hoc foro esse mallet, quo Reges exauctorantur. Ego verò non intelligo quæ sit illa solutio *Sol. Mat.* ipsiusne Cardinalis, an alicuius *Mateologi.* Fortassèq; ex alienâ sententiâ respondet, vt paulò post, *Receptum est*, vel, vt Almainus iam antè, *Dicit Doctor.* Quicquid sit, nisi Principes Regem suum priùs accusârint, torpere patitur hanc Papæ potestatem haud invitus. A vobis igitur non fiat nisi in extremâ tegulâ. Omitto alia quæ

CAP. 88. Parall. p. 279.

ex Zabarellâ vrgeri possent, quia propero.

Miserè hactenus, sed miseriùs in consequentibus Paralleliστes. Antonium à Rosellis, qui alter erat ex eo numero quem Rev. Episcopus Torto obiecerat, *Catholicorum*, vt loquuntur, *à depositione dissidentium*, negat sese hactenus videre potuisse. Interim pro *splendido mendacio* illud habet, quod quale sit, ne vestigio quidem à se indagatum confitetur. Quòd si loqueris ex animo, si anquirens operamq; dans reperire hactenus non potuisti quem dicis, potes deinceps apud Goldastum in eo libro videre, quem *Monarchiam S. Romani Imperij* inscripsit, siue *Tractatum de iurisdictione Imperiali* &c. annoq; 1612. edidit. Fallor ego, aut Antonium hunc non modò non contemnes, sed etiam gratias mihi ages, qui tibi demonstrârim, vbi quasi conueniri possit, scriptor copiosus, & abundans, atque ornatus, subtilis tamen & argutus, vt nec Theologis vestris nominatissimis hac in arenâ concedat. Quæris à me, quid statuat? part. primâ. cap. 25. & sequent. *Negat gladium Ecclesiæ*, iubet *clauibus esse contentam*, negat *Christum exercuisse dominium ciuile in humanis*, *alioqui*, inquit, *& Iudam suum temporaliter coercuisset, furem, proditorem, itemq; sacrilegum.* Concludit, *Imperium habere à deo immediatè suas iurisdictiones, & proipso a nemine dependere.* cap. 29. Imò, *Plus*, inquit, *videtur posse libere dici*, quæ vide quæso te & aliquando sape, mi Eudæmon-Iohannes, ac vel *censuram* illam time, *cui Clericos subijcit*, ipsumq; adeò te, nisi à sæcularibus manum hanc deinceps abstines temerariam, nisi ad res coronæ parcior aspires. Nam *quatenus Clerici se negocijs hisce* ADMISCENT, *subditi* (inquit) *sunt & ipsi terreno Imperatori, idq; ad coercendum, vtut aliàs liberi.* Sequitur alius.

CAP. 89. Parall. p. 282. ALBERICVM à Rosate, quem nec ipsum consuluit, tantisper sibi in pretio futurum esse respondet, *quoad nihil secus dicit.* Poteratne apertiùs amentiam suam prodere? *Secus* viz. quàm parasiti isti dictitant, qui Regum ceruici-

bus

bus Papam imponunt. *Poteſtates eſſe diſtinctas, Regiam & Pontificiam*, quòd Albericum alicubi affirmare ait, quæro, æquusne animi audiat? Quid enim illi, niſi *vtriuſq; poteſtatis huius apicem* in Pontifice collocant? Nos non magis temporalia Pontifici ſubiicimus, quàm Regem arripientem quæ miniſterii peculiaria ſunt ferre poſſumus, in alienâq; ditione exultantem. Quare verò, niſi propterea quòd *poteſtates diſtinctæ* ſunt, & vtraque ſuo iure, ſuo foro gaudet?

At etiamſi diſtinctæ ſunt, tamen *maior Papalis. Spiritus quippe carne præſtantior.* Hæret quidem hæc adhuc ſcabies nonnullorum ingeniis, nec rarò etiam ncotericorum monumenta fædat, vt minùs mirum ſit ſi Albericum quandoque aſperſerit. An quòd nihil *de ſpiritu* hauriunt Reges? an quòd nihil *ſpirituale* eorum fori eſt? Sed et quæ Chriſtus *ex corde* pullulare ait, ea illorum legibus cenſuriſque diſtringuntur, *ebrietas, furtum, homicidium* &c. & viciſſim hæreſim, quam *ſpirituale* peccatum faciunt Theologi, S. Paulus ad *carnis* vicia refert. Ita vterque, vtrinque, homo, Regi ſubiectus eſt, cum vtrâq; quaſi turmâ corruptelarum, quas ſecum trahit. Nec id ego primus obſeruo, ſed S. ipſe Auguſtinus iamdudum huic obiectiunculæ cervices hoc modo fregit, cùm ad Donatiſtarum nænias reſponderet eas, quas hodie Ieſuitæ tam ſtudioſè redintegrant. Eſtne quid aliud? *Sigebertum* expungit *Chronicorum ſcriptorem*, quòd locum inter *ſcholaſticos* nullum habeat. At Tortus de Catholicis ſcriptoribus poſtulârat, *Proferat adverſarius vel vnum Catholicum*, teſte & teipſo pag. 228. parall. tui. An verò quia *ſcholaſticus* non eſt, nec *Catholicus* quidem? Sicut ille de Rege ſereniſſimo paulò antè, Non eſt Catholicus, ac proindè nec Chriſtianus quidem. Tam fælix conſequentiarum compactor eſt Cardinalis. Quanquam potuit & Sigebertus non alienus eſſe à ſcholâ, etiamſi in Chronicis prodendis libentiùs ſe exerceret. Sapienter ille quidem. Videbat enim in illis memoriam temporum extaturam, quicum ſcholarum garrulitas nullo modo compa-

Galat. 5.

randa

randa est. Tu tamen de Sigeberto non aliter satisfacis, quem negare non potes infensissimum huic dogmati de Regum depositione, admiratum etiam quod nunquam factum esset, nunquam nec auditum, id eo demum sæculo tentari cæptum, vt Pontifex Imperatori de imperio occurseret.

Ad annum 1038.

CAP. 90. Parall. pag. 282. &c.

IAM verò Dantem quo argumento contemnis? Est omninò vel ridicula vel miseranda tua tergiuersatio Eudæmon-Iohannes, qui tot hastilibus tuorum confixus, adhuc palpites, & in annulos recurras. *Dantes & alia multa peccat in Theologicis*, (credo verò quibus vestras superstitiones vellicat, quæ ne poetis quidem ipsis tolerabiles semper visæ, qui tamen præ alijs figmento pascuntur) *& ingenij bonitate fretus, de ijs rebus disputat quas minimè norat.* Quale illud fortè, quod execratur, à nescio cuius ore auditum, & vulgò tunc iactari cæptum, *Ecclesia traditiones esse fidei fundamentum.* Hæccine sunt ea quæ Dantes non intellexit? Quorum immanitas vel optabilem iure stuporem nobis faciat, ne tam diris portentis mens & conscientia funestentur. Ac quàm rectè Aligherius? *Conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Quæque cætera sub initium grauissimè contexit, quasi tuum furorem longè antè præsagiens. Illud tantùm hoc loco deest, non Catholicum fuisse Dantem, quod tu dicere non es ausus, quod tamen nisi dicas, Bellarminiano postulato, itemq; Episcopiscopo, satisfactum esse negare non debes, ne potes quidem.

De Monarchia.

Marsilius Patavinus assentator Ludouici Bauari. Credo verò quòd Canonistæ solent esse Papæ, aut quòd hodie Iesuitæ, nec exiguo illi numero, sed propè iam infiniti, canes vel Actæonem ipsum tandem dilaceraturi, & nisi me fallit animus, nobili alicui ac diuino venatori (Schioppius vt rumpatur) traditurі, qui spolia quæ per ambitionem ei falsò circumdederunt, glorioſè diripiat, ipsumq; confodiat.

at. *Eberhardus*, *cæteri*, eodem modo deſpiciuntur, quidlibet deniq; ſatis eſt ad eleuandam exiſtimationem eius ſcriptoris, cuius reſiſtere te ſententiæ non poſſe perſpicis. Quanquam hi eò ſceleratiùs à te ludibrio habentur, quòd non aliquâ ſuâ culpâ, ſed duntaxat eo iudicio, quod de cæteris factum eſt, repudiantur. Nam nec ſemel recitas, nedum acriter expendis, nec tamen cauſam aliquam affers, niſi quòd loci non ſunt aſcripti, quin perpetuo tuo labore pervidere potueris.

VENIO tandem ad locum præ cæteris memorabilem, de expoſitione verborum illorum Matth. 16. *Tibi dabo claues.* Quæritur an hæc promiſſio impleta ſit ijs verbis, Ioh. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Vt quia peccata tantummodò hoc loco nominantur, atque ad ea remiſſionis actus terminatur, intelligamus quàm ſolida ſit illa Cardinalis doctrina, quâ *Clauium* virtute, etiam *iuramenta*, etiam *vota*, laxari vult. *Dixerat Tortus ex verbis illis domini, Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, Catholicos omnes colligere ad Pontificis maximi authoritatem pertinere, non ſolùm poteſtatem abſolvendi à peccatis, ſed etiam à pœnis, cenſuris, legibus, votis, atque iuramentis, quando id expediat ad gloriam dei atque animarum ſalutem.* Agnoſcis verba tua, ſed perge porrò. *Id Tortorem mirum quàm torſerit. Itaque probare conatur ex Catholicorum ſententiâ ſaltem aliquorum, &c.* Admiratio impudentiæ ſortè torſit Epiſcopum, labor non admodùm, quo quod ille de Catholicis omnibus pronuntiârat, Epiſcopus de non paucis longè aliter ſe habere demonſtrat. *Ergo poſtquam ex Patribus multa diſputauit.* An tibi ergò Patres non videntur Catholici, aut alienam hanc diſputationem à patrum authoritate eſſe exiſtimas, vt Catholicorum ſententia quæ fuerit appareat? Omninò ita præteris, ac ſi ſolos hodiernos eſſe Catholicos arbitreris, aut certè recentiuſculè natos homines, ad eaq; quæ ex Patribus diſputauit Epiſ-

CAP. 91.

Pag. 283. Parall.

copus, ac *multa* quidem, vti ipse nos admones, planè mutus es. Cur nihil de *Hadriano*, non proletario authore, sed & ipso Pontifice, qui Matthæi illum locum haud oscitanter pensitans, ita disertè, *Idem habetur Ioh.* 20? An effugium te subleuat quo ita temperas, *Nisi docuerit id omne quod dominus promisit Matth.* 16. *impletum esse apud Iohannem, sine dubio mendax est?* Assueuimus iamdudum his Catadupis conviciorum tuorum, & audiendi assiduitate callum obduximus. De convicio omittatur, res ipsa exquiratur. Quid est *idem habetur*, nisi omne quod ibi promissum erat hic impleri? Neq; verò portionalis in Christo domino fides, temerè confingenda tibi fuerat, quasi grauatè quod in se susceperat præstare soleat; aut non posset, aut verò nollet, in solidum dependere. Quid enim hæ morz sibi volunt, quid cunctatio, quid partes, nisi quòd Papam dum amplificas, non curas quanto probro Seruatorem exponas? Elienses verò & Anselmum, & Theophylactum, & Druthmarum etiam, qui omnes, quę eo loco Petro promissa sunt, omnibus Apostolis collata esse tradunt, & collata post resurrectionem, verbis ijs apud Iohannem, *Quorum peccata remiseritis, &c.* Torto allegârat. Vt appareat quàm te *torserit* tam luculenta eius dissertatio, qui solum Hadrianum ex eo numero seligis, quem paululùm suggilles, reliquos stolidissimâ tua distinctione involuis, de *totali* & *partiali* exhibitione promissi, quæ tamen, vt dixi, distinctio ab ijs ipsis convellitur.

Sed, *fraudem in Hadriano facit Episcopus, qui non notat Quæstionem.* Christe sancte, vt tu omnia, nequam homo, detorques ad calumniam! Si nec librum notâsset, *fraudine* tu hoc tribueres? Cur non *vestra* potiùs *scientia* id datum putares, quos in Pontifice suo hospites esse non erat verisimile? Sed librum notat, Commentario nempe in quartum Sentent. & *de clavibus* vniuersè. Vides argumentum. Vt perfacile deinceps fuerit ad quæstionem peruenire, ab amni ad mare, quod aiunt; vtque omittam, quòd cum sæpius

his

his similia Hadrianus in disputatione illâ inculcet, non videbatur vna particula præ cæteris commendanda, sed ad integros lector fontes invitandus. Audiamus Hadrianum. *Has duas claues notat Augustinus*, (claues scil. Matth. 16. promissas) *& post eum glossa Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c.* Verùm, *non dicit Hadrianus claues eo loco datas esse.* Ain' tu? Quid igitur illa sibi volunt, *Notat has claues & Augustinus & Glossa in Iohan. 20. Quorum remiseritis?* Aliudne quàm claues has in remittendis peccatis virtutem suam exerere, vt & altera sententia paulò post indicat, quam ex eodem Hadriano laudat Episcopus, sed à te dissimulatur, quia distortionibus tuis non patuit, *Clauem ministerij dari omnibus sacerdotibus, quibus datur in ordinatione spiritus S. vt quorum remiserint, &c.* quòdq; insuper, *Apostolis, Iohannis illo loco, tradita sint claues à Christo Domino redimito? Docet* (inquis) *in quorum scriptura verborum explanatione glossa clauium meminerit.* Quasi primò Hadrianus Concordantias concinnârit, vt notaret quo loco glossa clauium meminisset, nisi ad idoneum scripturę locum accommodaretur mentio illa clauium à Glossa. Vel, quasi Glossa alieno loco claues inculcatura fuisse videatur, nihilque ad rei summam pertinente. Fortuitò credo Glossa ad Iohan. 20. clauium meminerat, non quòd alijs cum authoribus, claues alibi promissas, eo loco repręsentatas esse crederet. Sed, *Augustinus ne meminit quidem clauium in illo loco.* Nec id dicit Hadrianus, nec intelligi à nobis cupit. Augustinum in commentario illius loci sic exponere, sed sparsim in tractatibus, si fortè, ita contendere illa duo loca inter se, vt quod altero promissum est, altero exhibitum esse intelligatur. Nec si fortè id diceret, & falsò diceret Hadrianus, nobis præstanda esset culpa Pontificis, sed vos authore vestro teneremini.

Ad Scotum quod attinet, quem vlùmum pro Scholasticis citat Episcopus, quiq; ita scribit loco notato, *Sed contra Matth. 16. promittitur Petro & sacerdotibus, Tibi dabo* In 4. distinct. 19. qu. 1.

claues; Ioh. 20. impletur illud promissum, dicente Christo, Quorum remiseritis, &c. qui æstus tuus, quæ tenebræ, deum immortalem? Dicis, *Scotum nihil statuere totâ illâ in quæstione, nihil affirmare, ac rationes dubitandi tantùm in vtramq; partem proponere.* Nec piget te authoritatem Scholastici non infimi labefactare, vt Zenonium illum pugnum quoquo pacto declines. Aut enim nihil vllâ in quæstione statuit Scotus, per totum librum suum, aut in hac statuit, quantum vsquam solet. Neque enim diuersam ingreditur methodum, sed & obijcit primò, & deinde quod veritati vicinius est definit, ac nescio quas agnascentes liteculas discutit, postremò in contrarium obiecta perimit. Nonne hoc hic facit? Nonne eandem per omnia rationem sequitur toto illo libro suo, & reliquis propè operibus vniuersis? At vt hoc ita esse concedamus, quod longè aliter habet vt iam docui, Scotum nihil admodùm determinare in illo loco, sed vagum disputandi duntaxat genus quoddam sequi, potestne tamen vir subtilis, & doctus, vt Scotus, in bene longo contextu rationum ad vtrumlibet, non aliquas saltem eiusmodi propositiones admiscere, quarum veritas explorata sit, & conclusionis superimpositæ molem sustineat? Ecquas igitur tales esse probabilius putemus, quàm quas non ponit solùm sed repetit, nec eo contentus, tertiâ etiam vice tanquam indubitatas regerit, easq; nullo loco reprobans, ad ipsarum iudicium omne reliqui discursûs examen revocat? At tale est hoc de quo agimus imprimis. Ter enim hoc Scotus non longo intervallo repetit, ter reponit, nec vnquam reijcit, nec verbo tenus refellit, sed tanquam certum ac euidens vbique assumit, *Ioan. 20. data claues Apostolis, quæ Matth. 16. promissa fuerunt.* Non enim solùm in illo *sed contra*, semel ponit tanquam basim suam (bases enim iure appellem quæ à Scholasticis in *sed contra* includi solent, vt obiter tibi memoriam harum rerum refricem, quæ nuper quasi evanuisse desuetudine videtur) verumetiam in *tertio*, iterum, tertiòq; refert, repetit

tit, redintegrat, *Clauium potestas non est data, nisi vsque post resurrectionem, Ioh. 20. dicente Christo, Quorum remiseritis.* Et iterum ibidem prope finem, *Christus in eodem verbo Ioh. 20, contulit ambas claues Ecclesiæ.* Quid disertius? Nec si alteram coniunctam rationem refutet, de comparatione potestatum ad ligandum soluendumq;, & ad conficiendum Christi corpus, idcò primam improbare censendus est, vt tu ariolaris. Honestum est enim & topicis aliquando syllogismis vti ad verum probandum, nec vt omnia sint apodictica palmariaq; quærendum, vt ait Canus vester. Quanquam illud quoque tu falsò, quòd negare Scotum ais, potestatem soluendi ligandiq; simul tradi cum potestate conficiendi corporis Christi. Aut enim in medio rem totam relinquit, nihil definiens, aut censet potiùs vtramque simul commendari. Verba ipsa adscribam, quæ habentur in 3. quæ te convincant. *De potestate ordinatâ, siue de facto, committitur vtrumq; cuilibet sacerdoti Ecclesiastico adminus completè ordinato (simul* scilicet, audi enim) *Quod pro tanto dico, quòd si prius tempore datur sibi authoritas celebrandi quàm absoluendi, non est perfectè ordinatus quantum ad vtramq; authoritatem, si primo facto omitteretur secundum. Sed an præcisè simul tempore vtraq; potestas detur, Non assero.* Hæc ille. Tu vt ἀπάγξαι cum tuis impostoris, πλαγίων maxime.

RESTANT bina columina Collegij Iesuitici, *Vasquius & Comitolus.* Breui perstringam. Negas de Vasquio, illum, *deum in diabolo adorari sine peccato posse*, dicere, &, *virum optimum atque doctissimum* (eiusmodi Vasquius tibi videtur) mendacio *hominis impudentis* maculari iniquè fers. Non postulabo te, hoc loco, eodem ipso crimine contumeliarum æque virulentiæ in virum clarissimum, vel eò potiùs grauiore quòd Episcopalem dignitatem sib pedibus proteris, & nullum eminentiæ tantæ honorem habes, μάλιστα ἀμνημονῶν, vel ἧττον ἔρρειν ἢ ἐμμένειν, vt loquuntur Patres. CAP. 93. Parall. p. 191.

de quo quidem Canonibus pœnas dares. Res huc redit de commento Vasquiano. Non *diabolum*, sed tamen *radium* in quo diabolus delitescit, & quem diabolus sensibus præstigiaturus objcit, adorari pro deo vero (*affectus enim adorantis in deum fertur*, inquit Vasquius) prorsus sine peccato posse concedis, concedit Vasquius. Quod quid aliud est, quàm Iulianus pro se olim dixisset, (vt rectè Episcopus) *non lapidem, sed deum, se, in lapide colere*? Qui tamen Iulianus ita vobis displicet, vt in quo quid offenditis, eum statim ad *Iulianos* contrudatis. Imò quid aliud est, quàm in diabolo deum adorari? Tenui enim, planè tenui discrimine ista vertuntur, vtrumne deum in diabolo, an in *splendore diabolico*, vel in *spectro diabolico*, adorari à te fingas, eòque magis quòd cùm diabolus non solùm *objciat* splendorem illum, sed interdum etiam *assumat* sibiq; *vniat*, quale illud est quod tu hoc loco ex Apostolo meministi, de *Satana transfigurante se in angelum lucis*, in quocunque certè *lucido*, in quocunque *corusco*, atque adeò in ipso *diabolo*, deum adorari posse sine peccato, fatearis necesse est. Vt videas quò reciderint ineptæ illæ blasphemiæ vestræ, an blasphemæ potiùs ineptiæ, quibus posthabitâ regulâ relligionum à deo datâ, omnia temerè ad cultum vocatis, & diuinam Maiestatem cum fictili creaturâ impiè permiscentes, vel si fas dicere incrustantes, non in *spiritu & veritate*, quæ lex erat adorationis à Christo domino sancita, sed in splendore ac præstigio, nequiter colitis. Hæccine est illa lux inaccessibilis, de quâ Apostolus, quòque omninò aspirandum erat à cultum deo deferentibus, aut ficcine impletur, *Gloriam meam alteri non dabo*?

Quanquam non ratio solùm & scriptura, sed iudicium Theologorum vestrorum Vasquium redarguit, vt meritò pijs omnibus odio sit. Audi Thomam in 3 Sent. dist. 19. (citatur à Turrecremata tuo, de summâ Ecclesiæ lib. 4. part. 1. c. 14.) *Non potest diabolus in specie Christi apparere*, (audin'? ne Christi quidem, etsi omnium luminosissimi, qui & stellas

ſtellas geſtat in manu, qui ipſe ſtella eſt matutina, qui cœlum ſolemq; fulgore præſtinguit) *ſine peccato adorari.* Excipit, *Niſi ſit condatio actu explicata*, puta, *Ego te adoro ſi Chriſtus es.* Quæ apud Vaſquium nec actu nec habitu occurrit, verbis ijs quæ à te ponuntur. Rationem expetis? an Thomæ & ſine ratione crediturus es? Habe verò & rationem. A praxi virginis, quæ non ſtatim admiſit ne cœleſtem quidem nuntium, ſed reputauit apud ſe, *qualis iſta ſalutatio?* Ne te pigeat in tali caſu, antequam procidas aut adores, mirantem expendere, *qualis iſta coruſcatio?* haud temerè & *diabolum* cultu dignari. De Vaſquio hæc.

COMITOLVS me ad ſe vocat, in quo claudam. Non enim placet de Bellarmino pluribus nunc diſputare, quo iure ad Cardinalatum poſt votum aſcenderit. Si tam renuens quàm tu dicis, ad eum gradum promotus eſt, miror vnde faſtus ille cum Rege ſe exæquantis, & ne vno quidem apiculo cedentis ſuo. Hæccine modeſti hominis indicia ſunt, aut obſcuritatem ac latebras tam ſtudiosè amplexi, vt *ſacroſancto imperio* eruendus ex ijs fuerit, atque in ſummo lychnucho collocandus? An fortè ea indoles *oſtri veſtri* eſt, vt humilitatem eripiat etiam humili ſuam, arrogantiam & ſpiritus punctio ipſo affiet? Legi equidem de pallio, non niſi ex * certis pecudibus, & certo loco paſtis, atque in eum vſum curatis, conficiendum eſſe: tantæ nugæ ſunt. Sed illud Archiepiſcopale eſt; de lanâ quam Cardinales gerunt, ouillane an caprina ſit, ſanè neſcio. Sed quòd dixi de Bellarmino, tam modeſto in refutando, tam inſolenti in gerendo, Cardinalatu, meminerisne quid Iohannes ille Conſtantinopolitanus Epiſcopus, de quo ita Gregorius, *Miror quòd tu, qui, ad Epiſcopatum ne veniret, fugere volebas, adeptum eum tam ſuperbè exerceas, ac ſi ambitioſo deſyderio eò concurriſſes.* Idem de Cardinali iure pronuncies. Ad Comitolum reuertor. *Negat, quòd Paulus ſui iuris eſſe negauerit, de ijs qui foris ſunt iudicare* (tua verba ſunt) *continuò id de*

CAP. 94. Patall. p. 292.

* Sanctimoniales monaſterij S. Agnetis offerunt quotannis agnos duos albos ſuper altare illius Eccleſiæ in Feſto S. Agnetis, dū in Miſſâ citatur *Agnus Dei.* Qui agni recipiuntur à duobus Canonicis Eccleſ. Lateran. & in paſcua mittuntur vſq; ad tempus tõdendi eas, vt ex earum lanâ &c. S. Car. Eccl. Rom. l. 1. p. 112.
* Lib. 4. c. 38.

Petro

Petro etiam effici. Quid si enim Petro, quòd supremam gereret Ecclesiæ præfecturam, aliquid in hoc genere concessisset deus, quod Paulo denegâsset &c? Nec pudet te mendacitatis viro clarissimo dicam impingere, qui has in Comitolo deriserit ineptias, quæ & verbis Comitoli, & confessione adeò tuâ, luce clariùs patent. Atenim *hoc argumento (inquit Episcopius) Comitolus imperium Papæ profert in Reges infideles, quòd Paulus non Petrus ea verba dixerit, Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* Et profert sanè, sed non tanquam *astruens*, verùm quod pari loco est, *obiectionem repellens*, quæ à Pauli verbis ad minuendum hoc ius cuiuscunq; Apostoli in Reges infideles duci posset. Nisi nulla tibi ἀναπαυστικὴ esse probatio videtur, nulla nisi θετικὴ disputandi methodus; quod scholæ exibilant. Quòd si rectè Comitolus ita respondisset argumento, *Non Petri sed Pauli hæc verba sunt*, non sequeretur eodem loco, *Eos autem qui foris* DEVS *iudicat*, sed, *Eos autem qui foris sunt* PETRVS *iudicat*, vel PAPA certè. Videsne? Ad *deum* S. Paulus sine ambage transfert, quod sibi detrahit, non ad *Pontificem*. Ac quò clariùs intelligas, quàm futile sit hoc totum, quod *vir imprimis doctus & eruditus Comitolus*, collega tuus, hoc loco exacuit, quasi aliud Petro, aliud Paulo liceret, in iurisdictione Ecclesiasticâ, angustioresq; multò huius, quàm illius fines fuerint, sequar semel morem tuum, & absoluam hanc partem veteri quadam observatione meâ, prærogatiuarum S. Pauli, præ Apostolo Petro, huc inferendâ, quatenus ex Epistolis vtriusque colligi potuit, indicibus certè non contemnendis. Sic igitur olim eâ de re scripsi, hortatu magni illius æternùmq; memorandi Richardi Bancrofti Archiepiscopi Cantuariensis, Domini mei singularis. Cuius interitum hic deflerem, nisi præclari successoris meminissem. Qui, vt aliud nihil dicam, ne assentari videar, nullam certè ex tanto viro partem intermori passus est. Quod eò libentiùs etiam prædico, quia facilè intelligo, ex petulantiâ tuâ, quâ in vtrumq; paulò antè vsus es, quàm acrem tibi dolo-

Verba Parall.

rem

rem illorum honor inuratur.

* *

QVID si Petrus illud dixisset, quod est ad Rom. c. 1. v. 5. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obedientiam fidei in omnibus gentibus &c?* Nonne *gratia* infallibilitas fuisset, *Apostolatus* potestas, *in omnibus gentibus* vniuersalitas, *ad obedientiam fidei*, fructus horum omnium, interpretatione Iesuitarum? Quæ isti ita propriè ad Petrum restrinxerunt, vt ad eum solum cum successoribus suis, pertinere velle videantur. *Ego Græcis ac Barbaris debitor, stultis pariter & insipientibus*, Rom. 1. 14. Quod in Petro traheretur ad eminentem quandam vniuersalitatẽ, in Paulo nihil ponit supra reliquos Apostolos. Sed leuia sunt hæc. Quid illa quæ alibi? *Vt sapiens architectus fundamentum posui. Architectus* nomen certissimi primatûs. *Instantia mea quotidiana, cura omnium Ecclesiarum. Mea* nempe specialiter, & ex *potestate ordinariâ*, si Petrus hoc dixisset, nunc ex *delegatâ* tantùm, & communiter cum cæteris, quanquam est certè quiddam peculiare in hac oratione S. Pauli. Ac cum dicit *quotidiana*, si Petrus dixisset, construeretur hoc sensu, quòd non esset astricta ad durationem modici temporis, sed ab illo traderetur & ad *successores*. Adde eodèm, tanquam vniuersalis viri verba, *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* 2. Cor. 11. 29. Ad hæc, *Etiamsi abundantiùs gloriarer de potestate nostrâ, quam Dominus nobis dedit, ad ædificationem, & non ad destructionem, non tamen erubescerem. Abundantiùs* nempè, quàm cæteri omnes Apostoli, dicerent Iesuitæ, si Petrus hæc de suâ potestate gloriatus esset. *Legati sumus pro Christo*, 2. Cor. 5. 20. dicerent ipsissimum Christi *vicarium. Laborani plus omnibus*, torqueretur in eandem fine dubio sententiam. *Hæc dico ego, non Dominus*, potestatem cõdendi leges Pontifici vendicaret. *Congregatis vobiscum vnâ cum meo spiritu*, 1. Cor. 5. 4. probaret nullam excommunicationem ratam esse, nisi quatenus authoritatem haberet à Papa. *Non curo*

CAP. 95.

1. Cor. 3. 10.
2. Cor. 11. 28.

2. Cor. 12. 8.

1. Cor. 6. 12.

Rex Iacobus in Apolog. ſua pro Lit. Fidel.

indicari ab humano die, idem eſſet quod cantatur *à cuculis Sinneſſanis* (vt *Phœnix* ille loquitur orbis terræ) *Prima ſedes à nemine indicatur.* Nec aliud illa ſonarent, 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis homo omnia diiudicat, ipſe à nemine indicatur.* Imò equidem hoc iam à nonnullis eò pertractum memini. Adde

1. Tim. 2. 7. cætera. *Ego gentium magiſter in fide & veritate*, i. omnes *populi*, dicerent Ieſuitæ (nam ſic *Gentes* interpretamur, ſecundum illud Pſalmi, *Laudate eum omnes gentes*) à meo ore doctrinâq; pendebunt, & conſequenter etiam *ſucceſſorum meorum*, quod attinet ad *fidem. De quibus autem ſcripſiſtis mihi*, nempe de matrimonio, & diuortio 1. Cor. 7. 1. reſcriptorum Pontificiorum fundamentum ſtatueretur.

Gal. 1. 8. *Si quis aliud vobis annuntiet, quamuis Angelus de cœlo, anathema eſto*, poteſtatem Pontificis & in Angelos oſtendiſſet. Quam quidam Canoniſtæ ei ſeriò vendicârunt. *Arma noſtra ſpiritualia ſunt, ad diſturbandum omne ὕψωμα, &*

2. Cor. 10. 4, 5, 6, 7. *quicquid erigitur aut attollitur contra Chriſtum:* poteſtatem *indirectam* Pontificis aſſeruiſſet, deponendi Reges hæreticos, in ordine ad ſpiritualia. Et conſequenter, illud *tradere ad interitum carnis*, fuiſſet tollere etiam morte, ſi opus,

1. Cor. 10. 23. temporali Iam, *Omnia mihi licent*, certiſſimę eſſent nundinæ diſpenſationum &c. quibus Romæ cuncta ex antiquo venalia.

Nonne ſum Apoſtolus, nonne ſum liber, nonne &c? Quantæ hæc authoritatis videretur oratio, ſi a S. Petro profecta eſſet? *Si alij poteſtatem in vos participant, nonne magis nos?* 1. Cor. 9. 12. *Non exiſtimo me inferiorem eſſe ne ſummis quidem Apoſtolis*, τοῖς λίαν ὑπερλίαν, 2. Cor. 11. 5. *In quo quis confidit, ego magis confido.* 2. Cor. 11. 21. *Hebræi ſunt? & ego: Iſraelitæ? & ego: ſemen Abrahæ? & ego: miniſtri Chriſti?* ὑπὲρ ἐγώ *plus ego*; quaſi ſi caput eſſet omnium miniſtrorũ Chriſti.

Diluenda eſt hoc loco obiectio Bellarmini. Ait Paulum hæc ſic dicere, & exaggerare authoritatem ſuam contra Pſeudoapoſtolos. Sed videtis vt ſe exæquet, ac modò etiam non anteponat ipſis Apoſtolis. *Non puto me inferiorem*

eſſe,

esse, ne summis quidem Apostolis. Item, *Ministri Christi sunt, Ego plus.* At pseudoapostoli non erant ministri Christi.

Porro ἡγούμενος λόγου vocatur in Actis à S. Lucâ. Act. 14. 11. Quo verbo principatus ipse Christi in ecclesiam, declaratur apud Matthæum, 2. 6. Sed *nomen* (inquiunt) *Petro mutatum est in signum excellentiæ:* quasi non & Paulo, Act. 13. 9. Nec *raro* deinceps eo nomine vocatur, vt Bellarminus respondet de *Boanergis*, sed toto Epistolarum vitæq; suæ cursu. Et Petrus quidem vidit *vas de cælo demissum* Act. 10. 11. Hic *vas electionis* ipse fuit ab initio Act. 9. 15. & deinde etiam *in tertium cælum receptus.* 2. Cor. 12. 3. Adjciatur tanquam ad cumulum, quia scribimus hæc tumultuariè, & vt redeunt in memoriam, illud ad Philip. 1. 17. ἐγὼ εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κείμαι, quasi cum illo Evangelium simul aut concideret aut staret.

Quibus omnibus consideratis, non valdè fortassè vituperaveris iudicium maiorum nostrorum, qui Paulum in dexterâ parte, Petrum in sinistrâ, bullæ Pontificiæ sculpere soliti sunt, vt notat Aquinas Comment. ad Gal. lect. 1. simulq; causam eius rei reddit, aliam præter quas nos hîc complexi sumus, quam apud eum lectores videre possunt.

Nam quòd Paulum eò minorem volunt, quia *Gentibus* prædicauit, Petrum superiorem quia *Iudæis*, quibus nempe *Christus* ipse paulò antè *in persona sua*; videte quid respondeam. Primò Paulus eò maior est, quia prædicatio in Gentibus constans futura erat, à Iudæis autem quantocyùs subtrahenda. Act. 28. 28. Et Petrus quidem successit in alienum laborem, id quod minùs glorioſum est, 1. Cor. 10. 16. & Ioh. 4. 37. 38. item Rom. 15. 20. vel non plus fecit prædicando Iudæis post Christi mortem, quàm licebat discipulis adhuc stante tabernaculo, & velo nondum dirupto, & antequam evangelium de patibulo coruscaret. Nam illis licebat prædicare Iudæis, dummodò *ne exirent in vias Gentium, &c.* Pauli verò, & provincia lati-

Rhemens. in Annot. & Bellar. & alij.

Vide Hier. in Ep. ad Dard.

or omninò fuit, quam ipſius Chriſti (quantula enim Iudæi portio gentium?) & ſi Chriſti prouinciam cum Pauli coniunxeris, *totum orbem* ſic complexus eris. Nonne hæc potiùs ſigna ſunt *vniuerſalis* præfecturæ?

Quid cum Cepham reprehendit, & quamvis ſpacio interpoſito, nullâ pœnitentiâ ducitur facti ſui? Gal. 2. 11. Reprehendere certè & arguere, eſt ſignum ſuperioritatis. 1. Tim. 5. 19. quicquid Bellarminus de *reuerentiali correptione* nugatur & excuſat. Tum, fortiora ſunt illa verba, *In os ei reſtiti*, & *quia κατεγνωσμένος ἦν*, damnabilis erat, quàm vt de leui vellicatione accipienda videantur. Quod autem dicit, *ſuperiorem reprehendi poſſe à ſuo minore, ac proinde Petrum hîc à Paulo*, in contrarium eſt gloſſa illa iuris Canonici, *Si Papa mille animas poſt ſe trahat ad inferos, nemo tamen ei dicat, Cur ſic facis?*

Ex vnâ hortatiunculâ S. Petri ad Clericos, de grege paſcendo, Coſterus anthoritatem eius in Clerum probat. At quid hoc ad ea quæ apud Paulum occurrunt, eiuſdem generis infinita? Totæ enim Epiſtolæ eius, refertæ ſunt præceptis, Clericos peculiariter concernentibus. De *viduis*, de *Diaconis*, de *Epiſcopis*, *&c.* de *ætate* eorum, de *vxoribus*, de *liberis*, de *moribus*, de *ſtipendio Eccleſiaſtico*, de [a] *argumento concionum*, de [b] *diuinis officijs*, de *impoſitione manuum*, de *ſilentio indicendo peruerſis prædicatoribus*, & ad *lucrum*, non ad *verum*, ſermones ſuos dirigentibus, de *accuſatione Preſbyteri*, de *numero teſtium*, de *conuentione hæreticorum*, de cæteris rebus talibus immenſam orationem expromit. Porrò *conſtituit Epiſcopos*, & *conſtituendi poteſtatem* alijs tradit, *Propter hoc reliqui te Creta, Tit.* 1. 5. Deinque *Lucam*, *Marcum*, *Tychicum*, *Trophimum*, *Artemam*, *Eraſtum*, *Epaphroditum*, & quem non? ex omnibus mundi partibus, tanquam verus Pontifex, ad ſe citat. &c.

Ad Tim. & Tit.

a Tit 3. 1. & 2. 15. & 1. Tim. 6. 17.

b 1. Tim. 2. 1, 2, &c.

Hæc paulò præter morem, ſed te ſecutus, vt dixi, cuius frequens pervolutatio, contagio quodam inficit non vi-

gilantem

gilantem lectorem, duntaxat vt *Comitoli* acumen retundatur, *viri imprimis docti & eruditi*, vt tu vis.

ASSERTIONIS TORTVRÆ TORTI,

Pars quarta de Inconſequentijs.

CAP. 1.

I

VBI *Contumelia* & *Mendacio* lectorē ſuum hactenus exatiâſſet, tandē guttam aſpergit, & de condimentis Dialecticis, *dæmonium hominis* Eudæmon-Iohannes. *De Dialecticis* tertius ei locus inſtitutus eſt. In quibus mirum quantam ſcientiam ſibi miſer vendicet, cęteros præ ſe omnes, & clariſſimum ipſum Dominum atque Antiſtitem Elienſem ita deſpiciat, vt ea *ne à limine quidem ſalutâſſe* arguat. Quanquam autem *omnis ingenij arrogantia turpis eſt*, & huius artificij facultatisq; nominatim, quam vſque adeò attenuat S. Baſilius, vt non dubitet & cum *canibus* communicare, qui feram indagantes, cum biuium attigerint, quaſi ponere videntur, aut hâc aut illâc prętiiſſe feram, & deinde è diuerticulis altero repudiato, de altero concludere, illâc iuiſſe, illâc perſequendum eſſe, quò & vadunt: tamen Clariſſimus Elienſis, ita *Torto*, & *con-Tortis* ſuis minimè cedat in hac palæſtrâ, ſiquidem dignum eſſe exiſtimaret, quo de contenderet, vt plus primâ adoleſcentiâ ſuâ harum rerum reliquiſſe atque abieciſſe ſe facilè probet, quàm illi extremâ ſenectute adepti ſint. Qui ſeuerius concertauit, quàm illi confligunt, explorauit acriùs, quā illi ſolent dimicare, in gymnaſio formidabilior fuit, quàm illi in hoſtico. Plus authorum autem confecit; quàm cęteri vel fando audierunt, maiorem meruit honorem apud ſuos, quàm alij aut ſperare ſolent aut cupiſ-

Ita puerilitèr laborat, vix vt à limine Dialecticæ &c. Parall. p. 1. 2. In Hexam.

cupiſcere. Cuius iniens ætas, quæ & infirmior eſſe ſolet, non alieno magiſterio, ſed ſuopte iudicio tuta fuit: nec verò longo vſu, ſed primâ ſui periclitatione atque ſpecimine, nec dubijs eventibus, ſed certiſſimâ victoriâ, nec ſtipendio ſed triumpho ſurrexit ad gloriam. In huius hominis dialecticâ, videamus quid tandem culpent hi *Momi* noſtri.

Etſi egregia eſt inſcitia, hoc loco, Torti Cardinalis, qui totum caput de *Diſparatis* expungit ex Logicâ ſuâ, quaſi nullum bonum argumentum inde duci poſſet. *Non magis hæc probant* (inquit) *quàm quæ à Diſparatis argumenta duci ſolent.* Quaſi nimirum faceſſere iubeat illum deinceps locum, & de *Calendario Topico* Diſparatorum nomen omne penitùs aboleat, ſicut ſanctorum *ex eccleſiaſtico* ſolent Pontifices, pro ſuâ libidine. Cùm ergò apud Apoſtolum illa duo ſic opponuntur, *Non ex lege, ſed ex fide, non ex ſeminibus, ſed ex ſemine, non ex Leui, ſed ex Iudâ,* & infinita ſimilia, vel cùm Dominus ipſe ſic arguit apud Iohannem, *Oſſa & caro ſum, non ergo ſpiritus,* vel ſi quid eſt eiuſdem generis, mirũ ni hic homo vicio concluſa hæc eſſe putet omnia, quia à *Diſparatis* videlicet argumentatio tracta eſt. Et quia Regnum & Sacerdotium non ſunt Contraria, ſed tantùm Diſparata, (pudebit enim eos credo *hoſtilitatem* inter hæc duo iam ſerere) malè poſthac probabimus Pontifici non eſſe traditam rerum ſummam, ex eo quòd Regibus commendatam docemus, quia hæc à *Diſparatis* probatio ducitur. Nonne pudet tam veteranum in Iſraele ſuo Nicodemum, tam turpia ignorantiæ ſuæ documenta edere, idque in eâ arte, in quâ alios vt *tyrones* inſectatur? Quam adeò non callet, prout videri vult, vt ſpecioſiſſimum vnum membrum eius pulcherrimumq; delumbet, argumentationem à *Diſparatis* omnem damnet.

Ad Rom.
Ad Gal.
Ad Hebr.

Sed dicet fortaſsè, *ſe alienam à quæſtione probationem reprehendiſſe, eamq; duntaxat notare voluiſſe, argumenti à Diſparatis ducti nomine.* Quod primò eſt perabſurdum, neſcire

quid

quid ſibi velit argumentum à *Diſparatis*, quod longè aliud profectò ſonat apud cordatos Dialecticos, eorumq; officinam, non modò non dedecorat, ſed etiam exornat. Deinde verò, ſi concederemus de ſenſu vocabuli, tamen illa reprehenſio non cadit in Apologiam, quæ adeò à quæſtione non aberrat, dum Regibus obedientiam omnem ciuilem vendicat, vt veſtras ineptiſſimas, quibus Iuramentum fidelitatis fatigare ſoliti eſtis, cauillationes diſſipet. Nam ſi ciuilis obedientia debetur Regibus, & ad extremum vſque debetur, ijs, quos in eo gradu deus ſemel collocauit, id quod Apologia diuinitùs conficit: nullâ ergò Pontificis, aut Eccleſiaſticæ cuiuſcunque ſub cœlo poteſtatis, nec excommunicatione reſoluitur, nec interdictione reſcinditur, quò minùs conſtanter exhibeatur à ſubditis; qui vnicus in Iuramento Fidelitatis ſcrupulus vobis moleſtus ſolebat occurrere. Ita nec actũ egit Apologia, & præclarè defendit illum Iuramenti locum, contra veſtram inaniſſimam exceptionem.

Sed Eudæmon-Iohannes non fert, vt alienæ Dialecticæ inſectator, dicatur in Elenchum ipſe incidiſſe. Quem autem Elenchum? *Petitionem principij*, vel, *aſſumptionem controuerſi pro confeſſo*. Quod tamen ab Elienſi meritiſſimò illi obijcitur, & à rationibus eius propulſari nullo modo poteſt, qui eiuſdem ſophiſmatis alium arceſſiuerat. Audite ſi placet verba Torti. *Format varia argumenta ex Scripturis, Conciliis, & Patribus, quibus probet deberi Regibus obedientiam ciuilem. Quod quia in Breuibus, & Epiſtolâ non negatur, argumenta non magis concludunt, quàm ea quæ in Dialecticis duci dicuntur à Diſparatis.* Ecquidnam illa animadvertiſtis? *Quod quia in Breuibus & Epiſtolâ non negatur.* Non negari illud dicit, quod niſi negaretur, nec Breuia, nec Epiſtola, argumentum vllum haberent, quo de tractarent. Cùm enim vtraque in Iuramentum Fidelitatis invehantur, idq; hilo longiùs nomine ſuo non porrigatur, id eſt, ſolam fidelitatem ciuilem aſtruat, ſi illam non infirmum

Parall. p. 101. ex Torto.

debi-

debilemq; redderent, ambo argumenti vacua concíderent. Sentit quidem fidelitatem seruari posse, & tamen accedente Pontificis tonitruo ab eâ facillimè absiliri. Quasi fidelitas non ampliùs fidelitas foret, quàm ad eius incertissimam ac superbissimam voluntatem atque nutum exigeretur. Quantò satiùs ostendisset, si *à Principij petitione* sibi cauere voluisset, ciuilem obedientiam cum fidei iuratione posse consistere, cum abnegatione seruitij, cum coniuratione in Principem, cum societate earum partium, quæ incitante Pontifice, contra eum aut posteros eius, coeunt armatæ? His enim ni fallor partibus contraria isti *Infidelitas* in Iuramento definitur. Quòd nisi hæc ille inciuilia atque immania facinora, cum ciuilitate ac fidelitate conciliare se posse speret, nouâ suâ atque admirandâ vel Politice vel Logice, frustrà clarissimo Episcopo oblatratur, eius ipsius criminis illum alliganti, de *Petitione principij*, quo Regem ipsum inuictissimum, atque omnis rationis & consequentiæ intelligentissimum, ipse paulò antè postulârat. Quin tu recole sodes verba tua, & in hoc ipso libro, homo dementissime, quibus id in summâ concedis insciens, quod oratione tamen vsque tam præfractè inficiaris. Nam cum duas propositiones nobis procudisses, pro tuâ diuinâ ἀναλύσεως peritiâ, quibus totam Apologiam niti vis, quarum minor sic concipitur, *At obedientia quam Rex & iuramentum exigunt, est obedientia ciuilis*, nonne fateris & quidem sæpiùs, nihil ibi eâ de re, ne dicis quidem causâ, à Torto disputatum, cum tamen ex eo *tota controuersia* pendeat? *Nihil plane* (inquis) *de assumpto dicit Tortus eo loco*. de quo tamen controuersia omnis est. Et rursus, *Mmoris ne mentio quidem fit à Torto*. Quò minùs autem dicit in causâ controuersâ, eò plus assumit, & quò negligentiùs disputat, de eo quod non concedit, eò fidentiùs incurrit, seque inuoluit, in odiosam illam Principij petitionem. Præsertim cùm tam connexæ sint hæ duæ enuntiationes, vt alterius iudicium alteram secum necessariò rapiat. Nisi fortè ita deliras, vt in so-

Parall. p 305

Ibid. 306.

lis

lis *propoſitionibus* ſyllogiſmorũ, non item in *aſſumptionibus*, peccatum illud peccari poſſe putes, quod *petitionẽ principij* vocant Logici. Credo quia *propoſitio* inter *principia eſt* ratiocinationis, *aſſumptio ſubſequitur*. Digna ſapiẽtiâ tuâ opinio, ſed vide ne te pueri *Analyticũ* derideant, cum hac nouâ inſtitutione tuâ, & *Paralyticum* potiùs mentis cenſeant.

ALTER *Torti* Elenchus fuit, quòd duas iurandi formulas pueriliter confudit, & Henriciani illius invidiam, in hanc Iacobi, omni ope deriuare nixus eſt, cùm tamen non modò & ſtylo & authore varient, & longo temporis quo prodierunt intervallo, ſed omninò vix aliâ de cauſâ, hæc poſterior introducta ſit, Clementiſſimi ac Sereniſſimi auſpicijs Iacobi noſtri, quàm vt prioris illius triſticiam atque auſteritatem mitigaret. Vt vel ſumma Cardinalis tarditas fuerit, non percipere diſcrimen inter has duas formulas, vel ſingularis certè malitia, cuius nec ille ſemper expers eſt, diuinam in ſereniſſimo Rege moderationem aliorſum interpretari. Adeò arctè vobis adhæret, veſtriſq; partibus, quod de Malcho Epiſcopus, *ſano* homine & *ſcauo*, quod de pueris Rex optimus ac Sereniſſimus aſſuerat, in foro fremebundis, & nec luctu ad dolorem, nec ad lætitiam cantu inclinandis. Et miraris ſi commotior ſit hoc loco D. Elienſis? *Ecquis vnquam argumentum vidit magis obtorto collo? Rex Henricus octauus Iuramentum inſtituit, quo voluit agnoſci ſummus gubernator in negotijs relligionis: Ergo fides Catholica Iuramento iſto abnegatur, quod nuper compoſuit Rex Iacobus, quò incolumitati ſuæ proſpiceret*, & quæ cætera ſequuntur apud diuinum illum virum. Cuius tu accuſationem inflammatam, & ignitam, quâ tandem aquulâ reſtinguis? *Magnopere verendum eſſe, ne conſultò ab aduerſarijs ſic obſcuriùs conceptum ſit, vt minùs cautos falleret*, p. 307. Atque iterum eâdem paginâ, *Magnopere verendum eſſe, ne cum hactenus Henricianũ illud minùs ſucceſſerit, poſterius hoc inſtituerit Rex Iacobus, vt ſimplices in fraudem induceret.* CAP. 2.

Tam idonei cenſores ſunt Regiarum actionum, Cardinalis, cum Sacellano ſuo, id eſt, mulio aliquis frænos ante ſenatum tenens, de ijs quæ intùs agitantur à Patribus. Sed benè habet quòd implicata ſtupore audacia eſt. Quorum vtrum emineat in hac cenſurâ *tortuoſitatis*, non facilè dicas. *Henriciani* certè Iuramenti ſucceſſus, hactenus vobis potiùs quàm nobis pigendus fuit. Idque ſtatus Eccleſiæ noſtræ ſatis declarat, quâ (Nemeſis me non audiat) rara hodiè per orbem terrarum florentior. Vobis deſolatio & vaſtitas imminebant, niſi aliquâ obnunciâſſetis de *Iuramento Regis Iacobi*. In quo, quia pedem (vt ille) non poteſtis, crepidam ſollicitè cavillamini & roditis. Rex autem Iacobus, ſi ſibi, & conſilijs ſuis ſeruire voluiſſet, in Iuramento informando, potiùs quàm conſcientijs ſuorum parcere, non remiſſiùs conceptum ad illaqueandos ſimplices, ſed vel fortiùs expreſſum ad prodendos ſimulatores, & clandeſtinos hoſtes ſuos quamprimum vlciſcendos, proponere atque vrgere debuiſſet. Meminiſti quæ occaſio fuerit huius Iuramenti, quàm atrox, quàm ſanguinaria, quàm æternùm vobis veſtræq; ſectæ infamis. Sed clarum eſt, quò Sereniſſimi Regis animus iam inde ab initio ſpectârit, vt ſalutem videlicet ſuam Regnique; ſui, cum illibatâ tranquillitate conſcientiarum omnium, nec ſolùm piarum, ſed etiâ Papiſticarum, tueretur. Vt bis iam ridiculi ſitis, ne dicam odioſi, & tu & Cardinalis tuus, cum illo veſtro *Magnopere verendum*, qui primò tam perſpicua & aperta non cernitis, deinde etiam de externis, atque adeò de Regijs, (duo cellæ homunciones) negotijs, pronuntiare auſi, tam iuſta, tam caſta, tam innocentia concerpitis. Infinitum eſſet omnia perſequi hoc loco, & Cretenſem hominem more ſuo tractare, etſi conceditur id quidem vulgari proverbio. Illud videte. *Iuramentum hoc eodem cum priore illo deſinit:* Elegans imprimis loquendi ratio. *Regis Excommunicandi poteſtas in eo negatur*: ſubtilis animadverſio conſequentiarum. *Verendum ne ad ſimplices capiendos*

tendat:

tendat: digna cordato homine coniectura. Nã quid illud ego arguam, quod tamen plenum eſt ſtoliditatis, fraudem captatam in Iuramento concipiendo, *quo multa continentur adverſantia fidei*? pag. 305. Ita ſi fallendi animo conceptum eſt, non deerat hominibus noſtris is captus, vt ab impietatibus ſalterẽ tam multis ſibi cauerent; ſi tam multæ impietates in eo ſparſæ reperiuntur, non eſt fallendi animo inſtitutum.

SED Tortus, ne in eo quidem vituperandus, quòd *crudè & indiſtinctè quædam ponat*, (non eſt enim de quo dicas *Crudior fuit*) *quòd leges comparationis nullus obſeruet.* De ſucceſſione Pontificis in ſede ſuâ, Iacobi item Regis in Regno ſuo agebatur, parine evidentiâ vtroſque hos Maioribus ſuis ritè ſuffectos eſſe conſtet, & quod conſequens eſt, parine *fide* vtrumq; credendum ſit. Tortus, omiſſo Paulo quinto, quia periculoſam ſibi illam ſcrutationem fore perſpexerat, reſpondet de Pontificum ordine generatim. In quo rectè, & verè, ab Epiſcopo reprehenditur, quicquid hic Eudæmon-Iohannes ſtomachetur. Rex enim hodiernum Pontificem notârat, de vniuerſo ordine ne ἅπαξ quidem. Cui nos quidem ordini, de ſucceſſione ſuâ, ſi ea illos delectat, nihil inuidemus, vt immeritò eo nomine hîc à Ieſuitâ traducamur. *Apoſtolicam* verò iuriſdictionem ſi negamus, id nimirũ negamus, quod priſci illi nunquã ſibi arrogârunt. Eſt verò non prætereundũ, ex *Romano Pontifice* ſimpliciter ſic poſito, Ieſuitam hominem, integram ſeriem ordinemq; totum Pontificum Romanorum extruere potuiſſe. Quò faciliùs poſthac dabunt, *Antichriſtum* ſuum non vnum mortalem eſſe, ſed fortè multos. Poſſunt enim & ex vno multos elicere cum volunt. Et perſuaſurum te ſperâſti, homo effrænatiſſime, non aliam cum *Paulo quinto*, quàm cum antiquioribus illis Pontificibus, nos hodie litem exercere? Quaſi illorum diuinam patientiam ac modeſtiam, locis omnibus non mirenur, quã non pauci eo-

CAP. 3. pag. 302. Parall.

rum, Imperatoribus, & ad mortem vſque dicto audientes fuerunt, quamuis Ethnicis, quamuis profanis. Quam tamen quò magis in illis probamus, eò vehementiùs deformem atque enormem veſtrum faſtum, quo nuper arietâſtis in Principes terræ, ipſi reuera nihil aliud quàm terræ filij, execrari cogimur. *Paulus* (inquam) *quintus* tam diſſidet à priuis illis *vrbis Epiſcopis*, quàm *quintus Euangeliſta* componi non poteſt cum illis quatuor quos hactenus venerati ſumus, anathemate mihi feriendus, etiamſi de cœlo ipſo deſcenderet. Non igitur Tortus ab *aduerſario ſuo terminos hos comparationis accepit*, vt tu garris & mentiris Eudæmon-Iohannes, vel ſi accepit, acceptos diſparauit. Tortus, inquâ, diſtorſit inter accipiendum, vt ille neſcio quis, aſininis auribus, omnia commutauit inter contrectandum.

Nam quòd Pontificis ſucceſſionem credi vis *fide*, Regis *morali certitudine* tantùm, neſcio cui id cordato probaturus ſis. De Pico, & Alphonſo, quorum enucleatis iudicijs hunc tuum errorem Epiſcopus profligârat, ne hîſcendo quidem reſpondere auſus. *Non tenemur fide Catholicâ credere Leonem aut Clementem eſſe Petri ſucceſſorem, quia non tenemur eâ fide credere illos canonicè electos &c.* Duriora ſunt illa, quàm vt poſſis concoquere, impudens licet. Alto ſilentio tranſilire maluiſti. Quòd ſi rectè Theologi naturam fidei nobis delineârunt, quòd ſit ἧ ὑπεκκειμένον ἔλεγχος, quædam ſunt, quæ non modò *inerrituda* ſua prohibet, ſed etiam *euidentia*, ſub *fidem* cadere. Non ſolùm enim quæ oculis, aut ſenſibus vſurpantur, verumetiam quæ tam perſpicuâ ratione cognoſcuntur, vt diiudicari ſine errore & poſſint & ſoleant, ab ijs qui ſanitatis modò aliquid habent, ὑπεκκείμενα ſolent interpretari Theologi. Vnde fortè non eſt fides de ſucceſſione Regis Iacobi, ſed neque de ſucceſſione Pauli quinti. Diuerſâ tamen de cauſâ vtrumque: quòd & Regum ſucceſſio, iure naturæ, in nimis propè magnâ euidentiâ verſatur, & contrà de Pontificibus, cæca, & perplexa, atque ambigua, eſſe ſoleant omnia. De Comi-

tijs

tijs enim, non Elienſis modò, ſed Cicero ille tuus, quem oſcularis tam cupidè, quem efflictim peris, teſtatur quàm turbulenta erraticaq; ſint, ſed nulla turbulentiora quàm veſtra *Papalia*, quæ interdum etiam, vt illa Damaſi, ſanguine redundárunt. Natalium autem integritas, eſt illa quidem primò fide coniugum pudicitiâq; munita, deinde etiam tanta exiſtit honeſtas nuptiarum, vt etiamſi quid occultè peccatum ſit, proles tamen legibus genuina cenſeatur. Ita longè ſemper exactior Regiæ quàm Pontificiæ ſucceſſionis noticia. Sed hæc hactenus. De illuſtriſſimâ heroinâ, & immortalis memoriæ Principe, ac Dominâ, Elizabethâ, quam obiter violandam hoc loco duxiſti, eò faciliùs patior (etſi vix patior) propterea quòd illam ſua diuina virtus, & ſpectata nobilitas, ab omnibus impurorum rabularum conuicijs, vel me tacente, facilè vindicant. Sanderianum hoc maledictum eſſe quis neſcit? nec maiore quod ſciam authoritate fultum. A quo ſi quæras vnde acceperit, non alium ferè citat quàm ſuum *Polum*, prorſus ſicut Bellarminus ſolet *Cocléum*. Sunt quædam mutuæ officinæ ex quibus promant hi homines: & Græcus mercator retinuit illud patrium, Δάνειον μετὰ τόκου ἀπολήψεσθαι. Quanquã autem Sanderus pœnas iamdudum pertulit furoris ſui, diuinâ proculdubiò manu repetitas, dum miſer in Hibernicis motibus montibuſq; illis occumbit, & aut fame conſumptus, aut frigore enectus, certè erro & profugus, atque à Comitibus ſuis orbus ac diſtractus, virulentam illam animam ſuam multis ſupplicijs addictam profundit, tamen vt olim Neſtorius, poſt grauiſſimos linguæ blaſphemæ cruciatus, *Atqui nec ſic* (inquit) *perſuaſum eſt, Mariam virginem θεοτόκον dicere*, ſic vos, cuius exitum ſine horrore non cogitatis, in exemplo tamen permanetis.

Pro Muræ-nâ.

Pater is eſt quem nuptiæ demonſtrant.

Cedrenus.

SEQVITVR de *Contradictorijs Iuramenti Fidelitatis*. Quas non rectè formatas ab Epiſcopo eſſe ait. Hic verò

CAP. 4. Paralip. p. 110.

verò iumentum *Sileno* titubat. Tortum enim contra Episcopum defendere debuit, *elenchos* ad auriculas ei satis scitè appingentem, non illum postulare ἀδιαλήπτως. Non certè adhuc. Vult enim videri hæc duo distinguere, Tortumne *liberet*, an Episcopum *impediat*; & orditur posteriorem hanc telam suam araneus, non ante pag. 326. *Crudè* igitur hoc quoque, & acerbè, & intempestiuè. Quare porrò pergamus, & videamus, vt Tortum pupum suum defensitet, reseruatis in idoneum locum *contradictorijs*. De *fiduciâ meritorum*, digna imprimis consideratio occurrit. Vbi non placet ei quòd *temerè fieri* dicit Episcopus, *id in quo à tutissimo sponte demigratur*. Et adducit similitudinem, qui nulla sibi infestior. Vt *qui firmiore nauigio nauigare recusans, ad minùs firmum se adiungeret, non* (inquit) *temerarius esset, quia & in hoc satis commodè nauigatur*. Vult dicere; Fieri potest vt & ille salvus incolumisq; ad portum appellat, non minùs quàm qui *Regio myoparone* vehitur. Quid enim si nulli hostes, nulla tempestas, serena omnia candidaque? Sed tamen cum vtriusq; optio esset in manu, nisi illud secutus est quod firmissimũ videbatur, & contra omnes aduersos casus tutissimum, næ iste temerè fortunæ periculum fecit. *Peccata enim* (vt ait ille) *non rerum eventibus, sed vicio hominum imprudentiâq; metienda sunt*. Nisi hoc quoque vt Stoicum reijciendum existimes, quamvis à Tulliolo tuo profectum, tu qui *Stoicum* vellicas *axioma* in Episcopo. Hauris enim libentiùs opinor ab Epicuro. Sed videamus quid sit, quod non facit ad gustum. *Quod tutius, quod tutissimum est, id in rebus animæ semper & cuique faciendum*. Quid ego audio? *Nonne debemus tutissimâ eâ viâ incedere, quæ ducit ad cœlum, sed perplexam & confragosam consectari, cùm nulla ferè via tam tuta sit ex omnibus, tamq; secura, quæ scandalo careat, quam hostis non obsideat, non pirata circumfremat? *Si præcepti res sit* (inquit) *non si consilij*. Quasi consilium, non præceptum sit, vitare superbiam, superbiam, inquam, & ex bonis actibus

redun-

* *In rebus dubijs & incertis, maximè si summum inde periculum sit commune, non vtilitatem vnius omnibus hominibus nisi insipienti & temerario interdicti est* Nicianus Winzetus in Flagell. Sectar. Et citatur à Barclaio contra Monarchomachos. l. 4. c. 6.

redundantem. Bellarminus enim vitandæ nominatim ſuperbiæ remedium hoc præſcripſerat, vt auerteretur animus à fiduciâ meritorum noſtrorum, quam ſciebat ſupplantatriculam eſſe ſalutaris modeſtiæ, heu nimis infidioſam, & in ſolâ Chriſti miſericordiâ conquieſceret. Sed videte acumen. *Hac ergo ratione, & nauta ac ſtabularij, & reliquum id genus hominum, vnius operis,* (vt ait ille) *faceſſant ab inſtituto ſuo, ſi ſeruari velint, quia vitam ſequuntur plurimis tentationum periculis expoſitam.* Quaſi primò arbitraria ſint inſtituta vitæ, quæ conſtat diuinitùs potiùs decerni. Manendum enim cuique eſt in eâ ſtatione, & tanquam vigilâ, in quâ eum Dominus collocauit. Deinde, quaſi vlla vocatio ſit, non expoſita tentationibus, ne tu te Ieſuitam, aut verò vel Cardinalem ipſum, putes eximium. Atque haud ſcio, an quò eminentiori quiſque loco locatus ſit, eò grauioribus diaboli appetatur inſidijs. Vnde etiam Seruatorem in pinnâ adortus eſt, idque non temerè, ſed de induſtriâ. Quid multa? Ἐν μέσῳ ταγίδων διαϐαίνειν (ait ille) καὶ ἐν ἐπάλξεων πύλαις περιπατεῖν. Quantò ſatius hæc commentareris, in ocio, atque in vmbra tua, Eudæmon-Iohannes, quàm Logicis terendis infælici Domino operam nauares? Vides enim quàm ineptè inſtantias legoris, ad Reuerendiſſimi Epiſcopi ſententiam infringendam. Quanquam aliud eſt damnare vniuerſum inſtitutum, aliud à præpoſterâ meritorum fiducià mentem abducere. Quod non ſolùm tutò fit, imò *tutiſſimè* vt ait ille, ſed & alias detrimentum ſecum nullum trahit, quod vniuerſa vitæ commutatio facilè affert, & dedecus effugit, ſummàq; & ſolidâ cumulat gloriâ. *Tamen* (inquit) *ſi tutiſſimum ſemper omne faciendum, ergo & in lege dei dies integros noctesq; meditandum, quia beatitudo illi facto à Dauide adſcribitur.* Tu verò vix videris dieculam ſtuduiſſe in hac lege diuinâ, nedum noctes integras lucubrâſſe, qui non intelligis hoc *conſilij* loco non dari à propheta, ſed omnibus Chriſtianis ſub *præcepto* iniungi. Qui quidem noctes atque dies plus 1. Cor. 7.

minus omnes versantur in illo sacro studio, quia nunquam à proposito sancto deficiunt, nunquam pietatis cursum intermittunt, & quanquam distinentur sæpe alijs negotijs, non extinguunt tamen illam curam sub pectore viuentem atque lucentem, sed ita *ipsi dormiunt, vt cor vigilet*, omniaque in illum finem referunt. Sed profectò tanta est tarditas magni Patris inter Iesuitas, vt non modò non assequatur quid per noctem & diem diuinus Dauid sibi eo loco voluerit, (non enim temporis spacia, at habitum animi iudicijq; constantiam) sed meditari in lege dei, putat, credo, esse operari *horis* suis *Canonicis*, quod si nunquam intermitteretur, ne ferendum quidem sibi autumat. Itaque communem piorum omnium conditionem ibi descriptam à se reijcit, & nescio quibus propriam facit. Illud verò in promptu refutationem habet, vt mirer tam negligenter à te positum, quòd *tutius* esse ais, in deum atque in diuina semper intendere, quàm cum vxore curas partiri. Præstabilius credo, dicere velles, non *tutius*, nisi fortè de eo genere tutioris loquare, quod * naturam excedit, quod facultatem superat, quod extra sphæram est. Nos autem de ijs loquimur, quæ cadunt in vitam, quæque diuina gratia cuivis homini fecit possibilia. Quale est à meritorum fiducia refugere, non semper item cælebem degere. Quo in casu rectè emitur conscientiæ integritas, & fuga corruptelarum, intermissione beatę illius contemplationis, quod in *meritorum despicientia* locum non habet.

* Hieron. de custod. Virg. ad Eust. & Chrysost. sæpe.

Ad extremum præstigiaris etiam inoperto capite. Diuinissimè Episcopus ex Bellarmini concessis: *Si vtile est non respicere merita propria, nec respicienda quidem sunt: cur enim, quod inutile est facis, facias?* Respondes, *Non si quid non vtile, id statim inutile est. Non iuuat fortè, sed non obest.* Adeste paulisper Patres Societatis. Et in hoc cæteri vultum corrugâsis? Sed vis dicere, ô væcors, non si quid non vtile, statim noxium, statim pestiferum. An tu *inutile* non vocas, nisi id quod nocet? Nonne satis est si vsum aliquem

non

non afferat, ſi nihil iuuet? Quanquam Chriſtus * πᾶν ἄρχον remouet à ſuis, nec ῥῆμα ſolùm, ſed χρῆμα ſine dubio. Et Apoſtolus vult omnia ad *edificationem* referri, id eſt, ad aliquem certè quidem in vitâ vſum. Porrò *vtile* aut *non vtile* quidq; eſt, id autem quid aliud quàm *invtile*? Ita rectè ſequitur Epiſcopi argumentum. Nam & *vtile, non vtile*, contradictoria ſunt formali fateor ratione, & *vtile invtile* virtuali ſaltem. Sicut *videns non videns* formaliter contradicentia ſunt, ſed *non videns* cùm ad hominem definitè reſtringitur, æquiualet cæco, & priuationem denotat. *Vbiq;* certè *negat* hoc quod dicis *invtile, vnde abeſt vtile*, quod inſtituto ſummi viri ſatis erat. Mirum verò non veniſſe huic homini in mentem, dum litem hanc verſat de *vtili* & *invtili*, aut illud Seruatoris de eijciendo in tenebras *invtilis* ſeruo, quod horrorem incuteret, aut alterum ſaltem mitius, *Cùm omnia perfeceritis, ſeruos invtiles vos dicite*, quod ad contemptum meritorum ſatis per ſe inuitaret.

* *Aut pertæſi eſt, aut ſtoliditas tota vita mea. Aut infenſibilis, aut demens ſit. Sed quid hæc ſpero? vnde ſi eſt inſenſibilis eſt? eſt demens. Antol. in Medic.*

DE proximo quid ego dicam, vtrum rectè Bellarminus *negârit concurſum moralem* deo in *malis*, moxq; rurſus *attribuerit* eodem capite, cùm primò hæc ſit magna orationis penuria, intra tam paucas lineas ad tantas anguſtias redigi, vt repetere cogaris quod paulò antè dediſti, idque tum cùm conſideratiſſimè loqui videreris & diſtinctiſſimè: deinde autem & concedat aſſertor Torti, id in quo Epiſcopus hanc cauſam terminârat, *non magis aptè locutum* amicum ſuum eo loco, quàm ſi *aſinum eſſe animal* primò negaſſet, deinde verò & animal, ſed *rudibile*, non *ribibile* poſuiſſet. Nonne meritò hic exclamem cum acutiſſimo Elienſi, *Si ita loqui liceat, quis ſibi vnquam contradicet?* Ita Tortus vt ſibi viam ex his furcis aperiat, omnibus contradicendi veniam facit, mulieroſos illos Principes ſplendidè imitatus, qui inceſtum ſuum texere publico, & ex flagitio legem fecere. Apud Iuſtin.

CAP. 5.

CAP. 6.

NEC maiorum vitium eſt pretijve quod ſequitur, de *propriâ & minùs propriâ ſucceſſione Epiſcoporum in Apoſtolos.* Quod Eudæmon-Iohannes ſic adamat, & admiratur, vt ſucceſſionem deinceps *genus* quoddam faciat, cuius duæ ſint *ſpecies, propria & non propria.* Quaſi, pari fælicitate res omnes in mundo, diſtinguere non poſſem, & extra mundum fortaſſe. Erit enim fortè non propriè ibi, aliquid non proprium, vt in loco non proprio. Sed vt qui ſemel à torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera, vt ait ille, amplexantur; ſic hi fluctuantes vndecunq; ſe alleuant, vndecunq; ſuſtentant. Quantò ſatius erat locutum paulò cautiùs ab initio, quàm in hos ſcopulos, naufragum & vndiq; effugere parantem, tam turpiter illidi? Atque exiſtimo Cardinalem, niſi à ſereniſſimo Rege præoccupata fuiſſent, & hæc ſine dubio ſuâ ſponte *recogniturum.* Nunc mavult celari quàm ſanari, tegi quàm tolli, præpoſterâ verecundiâ. Tantum poteſt *exporrecta ad delinquendum frons, ad pœnitendum contracta,* vt ait Tertullianus.

De pœnit.

——— *Nihil eſt furioſius* illo
Deprenſo,
——— *iram atque animos à crimine ſumit.*

Reſpiciendum autem ſine dubio, ad id quod Bellarminus tum maxime agebat, cum Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores faceret. Quod ſi ſenſu tam diluto intelligendum erat, vt paulò poſt confitendum eſſet nec *ſuccedere* quidem, reſq; tota componenda per *proprie & improprie*, ſicut apum aiunt bella modici pulueris iniectu ſedari, nonne videmus quò priores illæ probationes reciderint, & quàm nihil fidendum ſit Apoſtolorum ſucceſſioni, cum iactatur maximè; tum quàm miſerum Epiſcopi nacti ſint defenſorem, ſed præ omnibus quàm iocularem Theologia tractatorem, qui ludit locis ſicut pueri talis, cunctaq; ad arbitriũ ſuum demutat? Cuius rei præclara extat imago apud Elienſem, hoc ipſo loco, reſultatq; ex Cardinalis ipſius ſententijs. Dicas calculorum te ſpeciem videre, qui modò

Tortur. Tort. pag. 246.

plu-

plurimum, modò perparum omninò valent, prout numeratori viſum eſt. Sed παρὲς μαγιλάς & ad hæc omnia eſt Eudæmon-Iohannes. Verbum quod opponeret non habebat.

Illud hîc, opinor, reſtat *de proprio & improprio*, quod ſibi tam ſubtiliter exacuiſſe videtur, *non omne non proprium improprium* eſſe. Et audimus ex eo iterum *de contrarijs & contradictorijs* ἴωλον acroama. Coccyx, qui hanc vnam nouit cantilenam. Niſi oſtendere fortè voluit, concordes genios eſſe germanorum fraterculorum, & ſe cum Feuardentio ſuo præclarè conſpirare, altero clamoſi huius nidi pullo, qui inuehitur in Calvinum, eumq; tantummodò non ad inferos amandat, quòd *improprias* quaſdam Chriſti *locutiones* in Evangelijs agnoſcat, annotetq;. *Quis* (inquit) *Rabſaces, Holofernes, Senacharib, Nicanor, Iulianus, frequentiores adverſus poteſtatem dei viventis contumelias eructauit, quàm iſte adverſus illius Sapientiam genitam euomit?* Quid ita tandem candentior homo quam candidior Feuardenti? *Non ſemel, aut tertiò, ſed duodecies ſcribere hanc dei incarnatam ſapientiam locutam eſſe impropriè?* Et tamen quicquid luctere, non propriè omnia in Scripturis, ne à Chriſto quidem Domino deiq; filio. Nec eſt quòd blaſphemiæ notam pertimeſcat is, qui hoc dicit: illi potiùs à Remmiâ lege periculum eſt, ſiue Memmiam dicere placet, qui aut Calvinum, aut Hieronymum, aut alium quemvis hoc annotantem, reum facere geſtit blaſphemiæ. Ac videte licentiam, quam ſibi ſumunt. Bellarmino licet dicere id, quod propriè dictum, non habet veritatem, quale eſt Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, ſcripturæ impropriè loqui non conceditur. Quanquam illæ, vt demittant ſe ad captum ſimplicium, Cardinalis palpo impoſiturus lectoribus ſuis. Sed intereſt aliquid inter *non proprie*, & *improprie*. Ita eſt, ſemper hîc erro. Vt temerè ἀκυρολογίας deinceps obſeruent Grammatici, & in optimis authoribus, Hieronymus etiam ſuppar quiddam in ipſis ſcripturis. Dignæ ſanè largiori flagellatione offuciæ, ſed

Dialog. 4. de filio dei Incarnat.

Comment. in Epiſt. Paul.

iam ad alias eius nænias properandum est. Recusatio ista tantùm & stridor, & spuma fuit, ejiciendi mox Eudæmon-Iohannis.

CAP. 7. Parall. p. 325.

VLTIMVM est *de fide Iudæ*. In quo omittit Cardinalem defendere Compater suus, credo quia immedicabilem eam plagam esse perspexerat, noua quædam in Elienſem arma convertit. *Non quæro* (inquit) *quàm solidè id nunc probes, Iudam nec ab initio credidisse. Possem ostendere in eo quoq; ineptire te, sed in præsentiâ de dialecticâ tuâ disputo.* Et retegit mysterium. *Pugnantes enim propositiones non ea sunt, quæ ambæ veræ noù sunt, sed ea demùm pugnantes sunt, quæ ita comparatæ, vt nec sint, nec potuerint vnquam esse ambæ veræ.* Quod primò falsum est, pace dixerim magni huius Dialectorum magistri. Nam *solem esse liquidum, equum non hinnire*, propositiones sunt quæ nunquam simul veræ esse potuerunt, nec simul inquam, nec seorsim. Et tamen non sunt contradictoriæ, quia contradictio est *cùm idem affirmatur & negatur*. Hic autem grandis diuersitas est enunciabilium. Sed redeamus, si placet, ad fidem Iudæ. *Quomodocunq;* (inquit) *illud se habeat, tamen non est contradictio, Credidit non credidit, quia vtrumq; verum esse potuit.* Credo equidem sicut illud de Clemente octauo, *Voluit, non voluit, Regi Iacobo*. In quo Eudæmon-Iohannes promptissimè occurreret, cum suo myrotheçio, & Logicam doctus, perfidiam Papæ tempore ipsò purgaret. Sed quod attinet ad Iudam, non intelligere mihi videtur, hoc, quatenus veritati, & scripturæ contradicit, tam invictè demonstratum esse à subtilissimo Elienſi, *Iudam nunquam credidisse*, nullum vt examen deinceps pertineſcat. Quòd autem & domesticâ quadam contradictione laborare Bellarminus videbatur, modò fidelem, modò reprobum Iudam ponens, dictum esse ex opinione Theologorum quorundam, quos causam non habet Eudæmon-Iohannes cur despiciat, qui spiritum regenerationis, & fi-

dem

dem semel habitam, excuti non posse, magis consentaneum Scripturis existimant. Quod quidem si obtineant, actum est, nihil certius quàm *contradictionem esse, Credidisse Iudam, deinceps non credidisse.* Non potuerunt enim ambo tunc esse vera, vt spiritum fidei & habuerit & amiserit, quo *obsignari* etiam dicimur *in diem salutis.* Porrò & alijs illi locis innituntur non paucis, vt optimè eum docere potuit Cardinalis, qui hanc omnem causam splendidissimè tractauit, & ne reliquos nominem, Iohannis illi vni non sine causa confidunt. *Si fuissent ex nobis, non exissent ex nobis,* & quæ sequuntur. In quo, verè dicam, vix probatur mihi responsio Illustrissimi, Iohannem de ijs loqui, cum dicit *ex nobis,* qui per prædestinationem pertinent ad regnum cæleste, non per præsentem iusticiam atque fidem. Eòque magis quòd is negare soleat Iohannem prædestinationis suæ conscium fuisse, vnà cum cæteris Christianis. Vt non potuerit dicere *ex nobis,* de *prædestinatis* loquens, in quo videlicet numero, esset, necne, nesciebat. Hæc hactenus.

Iam, ne mirum videatur, Bellarminum contradictionis à Rege postulari, qui etiam alijs grauioribus huius generis peccatis, eum, si libêret, onerare potuisset, vnum adnotabo, post tantum authorem, ipsemet homuncio, quod obseruàsse mihi haud ita pridem inter legendum videor, non procul ab eo loco, qui quintâ contradictione continetur. Vt enim Boaz cum Ruthæ bene vellet, iussit messores non omnia conficere, sed spicas quasdam & de industriâ omittere, quas colligeret ipsa: Sic Regem Sereniſſimum, & omni præstantissimum heroicâ virtute, feciſſe video perstudiosè, vt suum honorem, cum aliorum diligentiâ qualicunque coniungeret. Libro quinto de gratiâ, & lib. arb. c. 10. Paragrapho *Tertium argumentum*, &c. *Libenter fateamur* (inquit Bellar.) *omnes homines esse in statu peccati, & inutiles ad opera facienda quæ deo placeant, nisi prius per dei gratiâ reconcilientur & iustificentur.* Audin' quid libenter fateatur

Apud Aug. contra Iul. Pelag.

Cardinalis? Audin' & quàm largiter iam ab eo ſperemus? Sed vide an *hæc beſtia ſeipſam non comedat*, vt olim in Auguſtinum ſcitè luſit Iulianus, ſcitè inquam, etſi ſatis impiè, id eſt, vide ne confeſſionem ſuam ipſe retexat, & à tam benigno fonte manantem. Poſt non multas paginas, atque adeò lineas libri eiuſdem, eiuſdem capitis, (ſi tamen idem *caput* eſt ex quo ſcaturiunt tam contraria) paragrapho, *Quartum decimum argumentum, &c.* reſponſurus ad illud, Sine fide impoſſibile eſt placere deo, *Opera* (inquit) *facta ex bono naturæ* (vnde fides viz. abeſt, ac proinde nec iuſtificatio nec reconciliatio ſubeſt vlla) *bona ſunt, & deo placent. Politianum* hunc tu poſthac an *Placentinum* Lector ciuem dixeris? Qui, vt neſcio cui placeat, ſibi ipſi reclamitat, figit, refigit decreta ſua, decreta inquam, de rebus maximis, & placere, non placere deo, opera dicens, quæ à naturâ ſolâ fiunt ſine præſidijs gratiæ, id tantum curat, vt vel populo ſuo, vel Papæ placeat certè. Qui, vt vmbra olim quindecim gradibus retroceſſiſſe fertur, in ſolario Achaz, conualeſcente Ezechiâ, ſic quod modò in *tertio paragrapho* aſtruxerat, ſub ipſum *decimum quintum* fædè prodit, relabitur, recidit, ab eo quaſi cardine pulcherrimæ aſſertionis, quò tantâ cum laude paulò antè prorepſerat, vt intermorienti ſommio ſuo de naturæ viribus vitam propaget. Quo etiam loco non ſatisfaciet, ſi fortè reſponderit, placere *ad effugium culpæ*, ad qualemcunque approbationem, non ad *meritum gratiæ gloriæve*. Nam præterquam quòd nihil eſt quod non ſarciatur diſtinctione, habenda erat ratio homini certè accurato, & imprimis alienum ſtylum carpenti, tantæ vel perſpicuitatis, vel conſtantiæ in ſcribendo, vt ne in tam directam contradictionem, tamq; manifeſtariam erumperet, vel verbo tenus. Sed ille vi valentiſſimæ veritatis oppreſſus, *non placere deo opera non renatorum*, dixit primò, mox furtim alludens ad rationem loquendi ſcholæ Pelagianicæ, libentèr immiſcuit de conſueto fermento, putatq; ſe *ſubtilitate* depulſurum infamiam. In quo

cor-

cordatis omnibus ludibrio eſt. Verùm alij hæc viderint, nos pergamus. Iam enim extrema ferè huius ſtadij contiginus.

Attexit huic loco homo nequiſſimus coronidem quandam (nefas enim deſinere abſque *maledicto*) & in medijs *Logicis* reminiſcitur adhuc *Contumeliarum*. Conſtantiſſimum virum accuſat, *mutati circa religionem animi*. Vt quem *Stoicum* paulò antè ipſe depinxerat, nec dubium quin propter incredibilem grauitatem atque conſtantiam, cum nunc *anemonen* repentè faciat, & fidem mutâſſe credamus illum, qui vix vultum vnquam. Sed cùm tantam eruditionis iudicijque ſupellectilem in diuino viro cerneret, eamq; ante hoc tempus penitùs incluſam atque abſconditam meminiſſet, ſerò admodùm, nec niſi graui occaſione, tandem in lucem productam, cauſam imaginatur ingenio ſuo dignam. Mihi verò aut Alberti illud in mentem veniebat, quod de Thomâ Aquinate adhuc iuuene & diſcipulo ſuo dixiſſe fertur, *Bos hic mutus, olim ſonum dabit, & totum terræ orbem concuſſurum*, aut illud Martialis de Carpophoro,

I nunc, & lentas corripe turba moras.

Antoninus.

TORTVS quantum poſſit in nectendis ſophiſmatis, & quàm multis ex eâ palæſtrâ ſtipatus palmis redeat, hactenus vidimus. Sed difficilis deinceps prouincia incumbit, Reuerendiſſimi Elienſis exiſtimationem aſſerere, & non *penitùs imperitum* cum Dialectices demonſtrare. *Qui ſi leges contradictoriarum, vel ſeruet vel teneat, (vide quò progrediatur cor* Ieſuitæ*) viciſſe eum in deplorata etiam cauſa concedet.* Ain' tu? Et quid igitur impedit, quò minùs hunc vnum locum callere putetur, quem ex reliquis diſciplinis omnibus nihil fugit?

CAP. 8. 11

Verba Parall p. 310.

ὅτι Πλάτων

Πλάτων βίβλια ἔκαιε,

vt

vt Calypſo, opinor, in Odyſſea. Iuramentum videlicet in partes partiturus, iiſq; ſingulis contradictorias ſuas oppoſiturus, egit liberiùs, verba mutauit, quantitates tacuit, non omnia ad formulam. Non eſt enim qui laboret câ inopiâ orationis, vt primò *moraliter concurrere* dicat eum ipſum, quem paulò pòſt *moraliter concurrere negaturus ſit*, quod in Torti tui laudibus paulò antè conſpeximus. Adduci tamen non poſſum, vt hoc viro doctiſſimo, inſcienti, atque ignoranti accidiſſe putem, quod tu ſic inſequeris, de legibus contradictionis ab eo non ſeruatis, ſed aut copiâ ornamentorum atque orationis abundanti, aut minutias contemnenti, & *inane*, vt ait ille, *à ſolido* ſecernenti. Vt enim odioſum eſt artem commentari, & omnes ſubtilitates perdiligenter effingere, quam Magorum ſuperſtitionem eſſe aiunt, quando cum dæmonibus res eſt, ne ſi tantulum titubauerint, illicò diſcerpantur: Sic ille vir maximus, & altiorum cogitationum quàm anguſtiæ tuæ mentis ſuſpicere poſſunt, nedum capere, rem ipſam complexus eſt, à nugis abhorruit, nec vel te, Alaſtor, vltorem reformidauit. Eſt verò operæpretium intueri quid reprehendat. Omnes Epiſcopi contradictorias arrodit. Primò primam.

1 *Pontifex nullam habet authoritatem Principes vllo modo deponendi.*

Pontifex poteſt deponere Principes.

Quid enim opus tam verbosè, *Pontifex aliquam auctoritatem habet Principes in caſu deponendi?* Nonne idem valent? nonne eodèm recidunt? Hæc credo vel barbaris illis ridicula videbantur, tantum abeſt vt huic, quod nunc eſt, faſtidio ſatisfaciant. Ac ſpero equidem, & propoſitum eſt, libro tuo contradicere, Parallelum *denormare*, non tamen quaſi pedem in veſtigijs tuis ponentem, aut verbum verbo referientem. An igitur minùs diligenter officio functus videbor? Sed adde alteram.

2 *Pontifex nullam habet authoritatem de regnis diſponendi.*

Pontifex poteſt diſponere de regnis.

Quam eiuſdem vicij accuſat cum priore : *quia*, inquit, *indefinita vniuerſali opponitur.* Quaſi pueris dictata Epiſcopus occineret, quibus omnia minima manſa in os ingerenda ſunt, non lectoribus eâ conſtantiâ ac maturitate præditis, vt facilè per ſe ſuppleant quantitatem propoſitionum, præſertim quantum ſatis eſt ad iuſtam contradictionem nuper auditæ enunciationis. Quòd ſi ſtomachum mihi commoueris homini occupato, & in alia multa intento, triduo efficiam, vt indefinitæ hę propoſitiones tuæ merè adulterinæ, atque ab arte alienæ, iudicentur, cùm nemo quid enunciare apud animum ſuum poſſit, quin ſub aliquâ quantitate id concipi oporteat, quamuis fortè oratione, ſi res ſic ferat, non exprimatur. Reuera igitur pari quantitate ſunt ambæ, etſi illa exertiùs, hæc ſpiſſiùs, vniuerſalitatem præ ſe ferat. Quanquam quid ſi ſpecialis vtraque exiſtat? Placet enim pauliſper exercere acumen tuum. Quicquid certè ſit de *vniuerſalitate* iuriſdictionis Pontificiæ, (quam ſcimus quàm certatim ei aſſeratis Ieſuitæ) ſi intelligis per *Pontificem* perſonam PAVLI QVINTI, tam erit ſpecialis, quàm ſi de *Sorte* aut *Clinia* inſtituta fuiſſet.

Indefinita propoſitio vix arte digna.

Tertia ſic eſt. *Pontifex nullam habet authoritatem poteſtatemve concedendi facultatem Principi vlli extraneo ad inuadendum Regnum.* 3

Contrà, *Poteſt Pontifex extraneo cuicunq; inuadendi licentiam dare.*

Hic verò etiam grauiùs offenſum vis. *Quòd vniuerſalis affirmatiua vniuerſali negatiuæ oppoſita ſit. Quid ſi enim non cuicunq;, ſed certo homini, concedere id poſſit Pontifex?* Non audes ergo dicere, non poſſe omnibus, ſed quæris quid ſi certo cuidam homini poſſit? Quaſi certa quædam natio eſſet eorum, qui vt Petro Pontifex, ſic Pontificis authoritate ſuccederent in eorum Regna, quos ille exauctorâſſet. Magnum verò moderationis Pontificiæ ſpecimen, non *cuiuis* homini, ſed tantùm *certo definitoq;* concedere, alieni

Regni inuadendi poteſtatem. Et habent nimirum Reges, quòd ſe magnoperè conſolentur, quòd Pontifex non pro arbitrio, ſed methodo videlicet quadam, aut *percuſſores* immittat, aut *ſucceſſores* conſtituat. Vt autem, ſi lex, bona eorum qui rei capitalis damnati ſunt, fiſco adiudicat, licet Regi pro arbitratu ſub ea in quoſuis diſpenſare: ſic, credo, ſi externo vlli Principi attribuere poteſt Regna Pontifex, * poteſt etiam cui vult. Neque verò contradictio ad *Tataretos* exigenda, ſed ad veſtræ importunitatis ſenſum informanda fuit Epiſcopo. Quanquam odioſa ſatis eſt illa ſpecies, etiamſi nuda ponatur, vt fruſtrà tu deformitatem eius velare quæras, *Poteſt Pontifex dare veniam certo homini alieni Regni diripiendi. Certus* inquam hic *homo*, ſatis deforme ſpeculum eſt tyrannidis veſtræ, etſi totam turbam gregemque non admiſeris. Quid enim eſt ſceleris, quod certus homo non admittat, præſertim à Pontifice lectus & auctoratus? quod incendium & ab exiguâ ſcintillâ non dandum? Niſi fortè, non reperturum putas, apud quem illud valeat, *Adora me & dabo tibi?* Ad extremum, ſi per invidiam dictum putas hoc *cuicunq;*, recole quantùm aliàs vobis fauerit Epiſcopus, qui in cæteris contradictorijs ſuis, non modò non exaggerat, ſed etiam extenuat, quæ vos contra Iuramentum impiè ſentitis. Ac nominatim in quartâ, quam ideò prætermittis: vbi cùm ita Iuramentum, *Papa nullam habet poteſtatem vllo modo concedendi facultatem ſubditis, vt arma in Regem capiant*, contradictoria ſic eſt, *Papa poteſt armare*, & de reliquâ latitudine nulla mentio.

6 Sed ſextam etiam, & ſeptimam, atque octauam, vellicas. Quid enim tam ſanctum eſt, cui tu non Theoninum? Quo autem colore deus bone? Vt intelligamus quantum liceat peſtilentiæ & malitiæ. Quia, cùm propria enunciatio nulla eſſet, ſed tantùm promiſſio, illa autem reſoluenda eſſet vtcunq; in propoſitionem, ita contradictum eſt promiſſioni ab Epiſcopo, *Poteſt Pontifex interdicere, ne Regem defendant ſubditi.* Et dicis illud *poteſt* interpoſitum ab Epiſcopo.

Quaſi

* *Conſtantia per Ecclesiam ſententiam de Imperij ſede dicto, legibus diuina communiuntur in eius locum ſucceſſiſſe QVEM CVMQVE Eccleſia ſurrogare voluiſſet.* Auctor *anonymus Tortura Torti.* A quo tamen Cardinalis in Antibarbaro diſſentit. Tanta pax eſt vide pag. 138.

Quaſi aliquid apponendum neceſſariò non fuerit, vt promiſſoria reſolueretur in enunciatiuam. Maximè, cum illud *licet* tuùm interponas ipſe, nec enim aliter orationem conſtare poſſe vides: & tamen plus eſt *licet* quàm *poteſt*. Licet enim ei qui & iure poteſt. Niſi *interdicendi* poteſtatem ibi commemoratam iniquè ſers, quaſi quicquam hanc promiſſionem vincere poſſet, niſi interdictio Pontificis de fide datâ non præſtandâ. Neque ſinis vt contradictoriæ illæ propoſitiones vocentur, quarum vtraq; poteſt eſſe falſa. In quo te Logicâ deſtitutum probas, cuius antiſtes videri vis. *Non* enim *omnis contradictio diuidit verum à falſo*, & poteſt pars vtraque ſimul eſſe falſa, non ſimul vera.

Sed Regem in contradictoria *ſumis* (inquis) *largiùs* quàm in Iuramento. Ne id quidem. Repete ſi placet verba Iuramenti. *Defendam Regem, contra conſpirationes quaſcunque, etiam colore vel ratione ſententiæ alicuius vel declarationis* (Pontificiæ) *initas*. Cui contradicitur ſic.

Poteſt Pontifex interdicere, ne Regem defendant ſubditi.

Regem audis in Iuramento, audis & in contradictione. De *iniſto*, de *legitimo*, nulla mentio vtrobiuis. Quid tandem te malè habet? Nam laciniæ illæ *de ſententiâ & declaratione* reſectæ ſunt, vt tædio parceretur, non vt ſuggillaretur innocentia veſtra. Si enim poteſt Pontifex, *ſuò colore ſententiæ*, interdicere ſubditis, ne Regem defendant, poteſt ergò Pontifex interdicere ſubditis, ne Regem defendant. Quo certè nihil ampliùs dicit Epiſcopus: rem enim notat, caſum caſuſue veſtros non admodùm curat. Porrò facile eſt baculum, vt aiunt, ad canem cædendum irato apprehendere, & perfacile Pontifici, ad Regem deponendum in quo aliquid offendit, concinnare ſententiam, colorem obtendere. Nos autem, qui & Regio iuri fauemus, omni humanâ cenſurâ ſuperiori, ſicut veſter ille non ſine cauſâ dixit Agapetus, & probè nouimus quouſq; *excommunicationis* poteſtas ſe extendat, quæ vt fulmen aiunt ferrum

In Epiſtolam ad Iuſtinian. Imper.

intactâ vaginâ, sic animam corpore bonisq; salvis perimit, non minùs execramur subditum ab officio *sub colore* resilientem, aut Pontificem *sententiâ & interdictione* grassantem, quàm si nullo tali aditu rectâ in maleficium vterq; tueret, aut ille perfidiæ, aut iste præsumptionis, in mulctando Principe non sibi subiecto. Vt nihil sit nequius neque nugacius hoc Græculo, qui cùm de re omnium grauissimâ quæstio agitetur, de iure Principum, & potestate teli Ecclesiastici vel acerrimi, lusitat in verbis, syllabas aucupatur, & magno conatu, velut ille pulicum vestigia dimetiens apud Aristophanem, homo curiosus, sic de legibus contradictoriarum non *logicaliter* seruatis, tragœdias dat.

In Nubibus.

Sed octauam atque vltimam videamus. Fatetur enim se in *septimâ* nihil habere quod reprehendat, à superioribus diuersum.

7

Octaua sic est. *Hæretica & damnabilis est propositio, quòd Principes per Papam excommunicati vel privati, possint per suos subditos, vel alios quoscunq; , deponi vel occidi.* Et contradicitur sic.

8

Potest Pontifex instillare opinionem hanc, Principes à subditis deponi posse aut occidi.

Possit certè, annon possit, hodie à Iesuitis non indiligenter instillatur. Testis est Marianæ institutio. Quæ vt granum frumenti, in idoneum solum cadens, votis vel auariſſimi respondit agricolæ. Quanquam ille ne sententiam quidem expectat. Audet & Pontificem languentem antevertere. Sed redeo ad *octauam* contradictionem. Est verò mirabile, considerare quid hîc displiceat Aristarcho nostro. *Primò quòd prædicatum prioris enunciationis penitùs sublatum sit. Deinde quòd id adiectum, quod nusquam extat in Inuamento.* Quasi pro altero omisso, alterum æquiualens repositum non sit. Porrò iterum tibi narro, nequissimum animal, nec curæ fuisse Episcopo, id est, viro grauissimo, ad voculas attendere, atque ad

λεξεις

λέξεις hiare, totos dies oſcitantem, qui mos eſſe ſolet gentis veſtræ, nec verò penuriæ tantum ab oratione, vt non etiam variare & pingere delectaret, certis quaſi inſignibus ſingula illuſtrantem, à ſenſu tamen ipſo nuſquam recedentem. Sed audite ſi placet *Seraphicum* commentum. *Non omne non hæreticum inſtillare fas*, verbi gratia, *Iacobum non iure ſuccedere in Regnum Angliæ: non eſt*, inquit, *hoc hæreticum, nec tamen populis promiſcuè inſtillandum. Non ergo hæc æquivalent, propoſitio non hæretica, & tutò inſtillanda.* Vix eſt quin exclamem, Dijte perdant quadruplatorem primarium. Sed abſit, vt alienâ intemperantiâ, quamvis magnâ, moderatio noſtra obruatur. Tam ſolerter autem nequam eſt, vt *theſin* cum *hypotheſi* vltrò confundat, cunctáq; faciat, vt aliquam diuino viro labem creet. In rebus enim dogmatum, quicquid non eſt hæreticum, nihil impedit quin inſtillari tutò queat: & contrà, quæ cum populis communicare nefas, ea ſuſpicionem hæreſeos de ſe præbent. Quo nomine Bellarmini idololatria malè audit, quâ vult ille quidem imagines adorari, idq; *cultu latriæ*, vt ipſe ait, & tamen *non vult hoc populum in concione doceri*. Quaſi ipſa hæc opinio ſe proferri erubeſcat. Regis autem Sereniſſimi ſucceſſio in Regnum, non eſt res dogmatis, quæ à diuinâ reuelatione authoritatem capiat, ſed tamen tam *euidens euidentiâ humanâ* (vt ne hic quidem paulò antè negare potuit Cacodæmon) nullam vti maiorem illuſtrioremq; deſideres. Ita Principum mactatio, vel per colorem ſententiæ, vel aliter, prout ab illis licita eſſe defenditur, ſi non eſt *hæretica, tutò inſtillatur*, imò ſanè *vtiliter atq; ſalubriter*, (& immeritò vel conflagrauit Marianæ liber Lutetianis illis flammis, vel tua coticula elimatur tam diligenter hoc ipſo in Parallelo tuo Eudæmon-Iohannes:) Regis autem ſucceſſio, etiamſi ſine *hæreſi*, non tamē ſine *flagitio ſingulari* abnegatur, ac proinde illa opinio quæ Regi detrahit, populis *non niſi impie inſtillari* poteſt.

Controu. de pot. indirecta. c. 22.

Ex ore Tortili ſub pæd. Parail.

Vltimum vicium annumerat iſtiud. Quòd cùm in Iura- 9

mento mentio sit de *Principibus, non nisi excommunicatis, aut etiam depositis, laniena tradendis*, contradictio *Principes* indefinitè complectitur, nullâ sententiæ cuiuscunque mentione. Sed sæpiùs iam recoxit nobis hanc Cramben. Et tamen haud alio nomine lacessit Episcopum, quàm quòd vt Cramben effugeret, & satietati occurreret, orationem sic scitè compendisecit de industriâ. Quis enim nesciat quales Principes impunè trucidandos esse contradictio perhibeat, cùm Iuramentum explicans paulò antè audisset, aut adire certè atque audire potuisset? Sed illi non est satis, ingeminare ad rauim, & furorem suum furere, nisi cunctos non pariter secum furentes, insaniæ insimulet. Cùm autem omnes Principes excommunicari possint, omnes enim se turpiter gerere, vel quod satis est huic rei, non satis certè concinnè ad animum Pontificis, qui autem excommunicari, & priuari, qui priuari, & proscribi, (dant enim aduersarij certos quasi nexus esse consequentiarum harum, & procliuem ab altero ad alterum lapsum) quis quæso est Principum, qui ab illis iam, vel deponi, vel occidi non possit, aut quid habent quod in *Episcopi contradictoria* reprehendant? Non enim dicit *omnes Principes, & sine prætextu*, sed quòd facilè esset prætextu omnes involuere, communem hanc *Principum* conditionem esse fecit, nec tamen *omnes* addidit, quod meritò potuit, sed & parcè notauit, nec vltrà progressus est, quàm illorum barbaries, re tandem ferente, ipsos duceret.

CAP. 9. QVOTIES ieiuna hæc & straminea cauillationum mearum reputo, quibus *infelix iste Iohannes* diuini viri monumentum impetit, non intelligo quid sibi propositum habere potuerit, nisi vt hostem, quem vincere se nullo modo posse videbat, paulisper tamen sic quasi distringeret. Et habet in exemplo Regem Ponti Mithridatem, qui vt vim Romanorum incitatam & insequentem, à suo capite cerui-

cibus;

cibusq; averteret, neſcio quid euanidæ ſpargi gazæ iuſſit, quod illos colligentes retarderet. Alioqui quis credat tam præpoſterum eſſe animal, tam obflexum, tam *ex-Tortum*,

Repandi-roſtrum incurui-ceruicum pecus,

vt ait Accius, qui pueriles illas lites quas nuper attigimus, *de indefinitis & vniuerſalibus*, diuino immortalíq; ingenio intenderet, ipsâ ſui opinione, & tacitâ grauitate facillimè repulſuro, etiamſi noſter defendendi labor ceſſaret? Sed id magis etiam elucebit, ex ijs quæ ſequuntur. Quæ quia multa, & perabſurda ab eo coaceruantur, ſupra omne exemplum, omnemq; fidem, ideò per *Saturam*, vt dici ſolet, tranſigemus, & nudâ demonſtratione nequitiarum huius hominis, ſi tamen hominis, contenti erimus.

Cauillatur in eo primùm, quòd de *fide* explanaturus, quæ Iuramento ſancitur, ſic arguat. *Non eſt Catholica, qua quidem Regi ſpondetur, Politica ergo.* Et ait æquiuocationem eſſe in verbo *fides*, clariſſimumq; virum ſophiſmatis arceſſit. Quaſi cùm *fides* vocabulum eſſet ambiguum Latinis, ille de induſtriâ non ſic euoluerit, vt omnis hallucinatio tolleretur. Sed attribuit etiam eidem hunc paralogiſmum, *Aliqua fides quæ non eſt Catholica, politica eſt: At fides quæ Regi promittitur in Iuramento, non eſt Catholica, politica ergo.* Quod Epiſcopo tam moleſtum videlicet accidet, quàm Ioui quæ Poetæ de eo fabulantur, cùm bouem, & Satyrum, & quid non monſtri, arbitratu ſuo eum fingunt, Ac deinceps etiam ſæpiùs ſyllogiſmos ei tribuit, non quales confecit, ſed quales ipſi placet. Quaſi in eius poteſtate eſſet, alieni ingenij præſtantiam eripere, & ſuas ſordes cui vellet affricare. Nec meminit Apoſtolicum illud, καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθὼς φασί τινες ἡμᾶς συνοφλίσθαι. Deniq; philoſophatur mirandum in modum. *Eſt aliqua fides præter Catholicam, & Politicam, ergo vana eſt argumentatio Epiſcopi. Nam & Turcica eſt, & Ariana*, & quas ei videlicet viſum eſt eodèm aggregare. *Simoniana* imprimis, id eſt, fortè *Ro-*

Seneca.

Rom. 3. 8.

mana.

mea. Nam nos quidem nulla nisi *Christiana* delectat, etsi ille de *Lutheranâ* & *Zuingliana* quoque gannit. Tam facilè illud obtriuit, penituſq; deleuit, quod de *vnâ fide, vno Domino, vno baptiſmate*, Apoſtolus edixerat, ne variis relligionum ludibrijs diſtraheremur, & potiùs quàm acquieſcat probationibus ſummi viri, quæuis forma perfidiæ eſt illi fides. Quiſquamne hæc credat tam peruersè ab eo agi, tam malitiosè incriſpari, niſi liber extaret, niſi magnis indiciis teneretur?

CAP. 10. Parall. p. 327.

IN ſuauiſſimâ, & amæniſſimâ, omniſq; & ingenij & iudicij refertiſſimâ diſputatione D. Elienſis, cõtra Pontificias diſpenſationes pag. 55, & ſequentibus, Torturæ, ſeligit etiam aliqua, in quibus lacerandis paulò liberiùs genuinum exerceat. Iam ſæpe queſti ſumus, de partiariâ hac ſuggillatione, & quòd non auſit venire contra integram tractationem, ne vnam quidem. Dicas eum leonem irritare ſubulâ. Sed cùm nihil ſit non pulchrum, & præclarum in toto libro, tum hæc vna diſputatio, quam paulò antè indicaui, de diſpenſationibus Pontificijs, omnem in ſe genium mihi complexa videtur, eſtque tam non docta ſolùm, ſed delicata etiam & feſtiua, vt ſine incredibili delectatione, ne ab ipſis quidem aduerſarijs legi poſſe exiſtimem. Et tamen, vt arreptitij & in eos iaculantur, quorum dulciſſimis interim cantibus circumſonant; ſic iſte quædam habet hoc loco quæ violet, quæ mentiar ſi vllo alio nomine notanda ſunt, niſi fortè ingenij plus penè quàm humani, & in ſummâ ſubtiliſſimæ eruditionis copiâ, argutiarum tamen non minorum.

Primò multis incuſat, quòd Epiſcopus quaſi de *Relatione* illorum duorum dixerat, *ligare & ſoluere*, ac fingit eum ita inſtituiſſe rationem, vt *quia Pontifex Iuramenta non poteſt ligare, ideò ne ſoluat quidem*. Quod nunquam ſic poſitum eſt à diuino viro, ſed à tuâ malitiâ & captionibus inverſum Eudæmon-Iohannes, vt quia iuſti nihil ſuberat

quod

quod cauillarere, ideò ipſe tibi aliquid morficandum formares Marte tuo. Non enim tibi docendus erat Epiſcopus, quâ tanquam Categoriâ, aut quo loco Topico hæc duo cenſerentur, *ligare* & *ſoluere*, quæ clarum eſt ad Adverſa pertinere, nec ab eo vnquam negatum eſt, poſſe quempiam ſoluere, niſi quod poſſit ligare, quanquam hoc quoq; forenſi fortè ſenſu verum eſt, ſi modò dextrè explicetur, ſed de verbis Evangelij lis omnis erat, *Quodcunq; ligaueris*, & *Quodcunq; ſolueris*. Quod *ſolueris*, Tortus ad relaxationem, & legum, & iuramentorum neſcio quorum, auidè traxerat. Epiſcopus autem, cum expenderet, vicinitatem eſſe inter hæc duo *ſoluere* & *ligare*, quæ & vnâ Chriſti Domini oratione coniungebantur, & eiuſdem hominis credebantur poteſtati, nec dubium quin cognatâ quadam interpretatione atque ſenſu definirentur, ad ea quæ de *ligatione* paulò antè tradiderat, iudicium loci reuocauit. Vt quia ſtultum eſt dicere, *legum ligandarum* ius Pontifici factum eſſe ijs verbis, *Quodcunque ligaueris*, cùm leges omni tempore vi ſuâ valuerint, ita vt nomen ipſum tractum putetur *à ligando*, itemq; iuramenta, item & vota, proinde etiam inſanum meritò habeatur, ſoluendi poteſtate Eccleſiæ commiſsâ per illa verba *quæcunq; ſolueris*, legum, & votorum, aut etiam iuramentorum ſoluendorum, ac evacuandorum, commiſſam arbitrari. Video hoc dum breuiter volui dicere, dictum à me eſſe paulò obſcuriùs, ſed experiar, & dicam, ſi potero, planiùs. Ligationem inquam iam docuerat, planumq; fecerat, non eſſe legum, non votorum, non iuramentorum, cùm tamen, in verbis Domini, *æqualitas* quædam eſſe deberet inter hæc duo, *ligare & ſoluere*, vel vt barbari tiu loquuntur, *conuertentia*. Concludit ergò & ſolutionem non eſſe horum, ſed vtrumque potiùs ad reatum conſcientiarum pertinere, qui modò aſtringitur, modò relaxatur, prout hominum vel peccata vel pœnitentiæ expoſcunt, & Miniſtro dei viſum eſt. Recognoſce ſi placet verba ipſa quouis electro clariora, *Cer-*

Tortus Tort. pag. 33.

tè quæ paulo antè à nobis pertractata est potestas ligandi, ad excommunicationem modo & Censuras sese extendit Ecclesiæ. Oportet autem vt relatini sint inter se mutuò actus hi duo ligandi & solvendi, vt non latiùs patere debeat hîc soluendi potestas, quàm illic ligandi; reciproci sunt, hoc autem relatorum natura postulat. Ligatur quis? arcetur cœlo: soluitur? ad cœlum vnde arcebatur priùs per peccati contumaciam, denuò admittitur. Ibi verò non ligauit leges vel iuramenta, ne hîc quidem soluat igitur. Ecquid fortè meministi huius clausulæ apud Episcopum? quæ te quamuis muta monere debuit, ne tam funesto mendacio tantum virum insequerere, nec luculentissimum vnum locum præstigijs tuis obrueres, nec verò tam inuisis artibus exercendis, spem animamq; tuam hosti proderes. Ac pudet te iam spero ineptiarum illarum, quibus reliqua pagina tua conferta est, dum & arguis multis verbis de naturâ *relatiuorum*, & subijcis exemplum speculationis mirificæ, & numeras errores argumentationis illius, quę nusquam nisi ex capite tuo prodijt. Episcopus enim nihil minùs quàm frigido illo principio innixus est, in quo tota tua substructio tam insana versatur, de ingenio *Relatiuorum*; sed Christi orationem imprimis explanauit, & sensum *congenerem* duorum terminorum *relatiuum* vocauit, quibus etiam *reciprocationem* quandam meritò adiunxit, propterea quòd & ad eandem authoritatem pertinerent, & circa eadem fine dubio subiecta versarentur. Quod adeò non abhorret ab vsu loquendi, vel optimorum auctorum, vt Aristoteles ἀντίστροφον τῇ διαλεκτικῇ τὴν ῥητορικὴν esse pronunciârit, primis ipsis verbis nobilissimi operis Rhetoricorum. Causamq; eam addit, quæ itidem hîc Episcopi proposito inseruiebat, *quòd amba circa eadem subiecta se habeant.* Nec pugnas illas extimuit, quas tu de reciprocatione & relatione pugnas, nec pueriles tricationes, contra dictum constantissimum, moratus est.

Quanquam autem hæc ita se habeant, prout à me iam explicatum est, tamen si luberet mihi sigillatim illa tua re-

fellere,

fellere, quæ declamas in imaginarium Epiſcopi argumentum, materia certè ſatis benigna, vapulareſq; vel in tuo ipſius puluere. Contradictionem tibi reperiſſe videris in Epiſcopo, quòd fateatur *peccata à Pontifice ſolui poſſe, quæ tamen*, inquis, *non ligauit*. Quaſi Pontifex, ſi in genuinis eſſet Eccleſiæ miniſtris, peccata non *ligaret*, quatenus in contumaces ſententiam proferret, eoſque ab ingreſſu regni cœlorum ſuſpenderet. Etſi enim & ſe homines peccatis ſuis illigant, vt ait ille, *Impius funibus peccatorum ſuorum* Prou.5.22. &c. tamen eſt etiam alligatio quædam miniſtris attributa, vt illa culpę, hæc ſententiæ eſſe videatur. Tum quod addis de Principe mutante teſtamenta, quæ nunquam condidit; at leges eæ quibus valent teſtamenta mortuorum ratáq; ſunt, authoritatem à Principe ſuam mutuari ſolent: vt hoc iam nihil ſit aliud, niſi Regem in legibus ſuis diſpenſare, id eſt, ea quæ ligauit ſoluere poſſe. Quòd autem & deum dicis ſoluere peccata, quæ nunquam ligauit, ſed ipſi potiùs peccatores ſeſe illis aſtrinxerunt, quid quæſo eſt ſoluere peccata in deo, niſi iuſtam iram meritamq; remittere, quid contrà ligare, niſi non pro innoxio (vt ait lex) habere? Ita Exod.20. impium & peccatorem, quem iuſticia ligauerat, id eſt, debitis pœnis ſupplicijſq; addixerat, clementia viciſſim præclarè ſoluit, id eſt, indemnem atque integrum abire ſinit.

NAM quòd illud etiam exagitandum tã acriter cenſuiſti, CAP. II. & ad logica criteria tua reuocandum, quod diuinus orator politiſſimis facetijs ſuis pellexerat, *Nihil opus eſſe Brennis iuræ vetantibus, ſi poteſtas diſpenſandi ſit in Pontifice*, & quæ cætera ſequuntur in eximio illo loco, apud eximium illum virum; næ tu neſcire videris, laudi datum eſſe L. Craſſo, De Orat.1. quòd in iudicio Curiano, maximam partem leporibus confecerit: in quo tamen Epiſcopus cum eo non exæquauit, ſed ne nullã varietate reficeret Lectorem, modicè locis aliquot interſperſit, ac præſertim in tam ridiculâ causâ quàm hæc veſtra eſt,

Omne tulit punctum, dum miſcuit vtile dulci.

Tu autem tam ruſticus inuentus es, & nimirum ille ipſe *Agreſtis* ad vivum, de quo Rex Sereniſſimus in Apologiâ conqueritur, qui non modò non internoſceres inter iocum & ſerium, aut illud damnares, quod & tota mortalitas quàm latè comprobat, & mos ſcholarum ſancit imprimis, vt aliquid aliquando gratiæ venuſtatiq; detur, ſed vt quouis *Luperco hirſutior* appareres, redigis hoc totum ad formam ſyllogiſticam, & bis ſub incudem tuam fingis anxiè ac diffingis: vbi miſerè anhelantem te, ſed certè ridiculè, lectoribus relinquo, novum Pyracmona cum immanibus ferramentis tuis, vſque ſpectandum, & vſque ridendum. Paralli. 330. & 331.

Quanquam illud in his ludicris ineſt ſerij, vt ſcias ſummum virum, nuſquam à grauitate ſuâ diſcedere potuiſſe, ne cupientem quidem, quòd cum Papæ in more poſitum ſit, tali iuramento obſtrictos abſoluere, idque adeò quotidiè nihil hæſitans faciat, mirandum meritò viſum eſt, quid opus Breuibus, quid interdictione, vel primâ, vel ſecundâ, vti ea ne fierent, quæ etiam cum fiunt, ita facilè expunguntur, vt ſi nunquam omninò facta fuiſſent? Nam ſi labor eſſet Pontifici hac poteſtate ſuâ vti, & ſi non vſitatè *ſolueret captos, nexos extricaret*, meritò adhiberi Breuia poterant, vt homines à iurando deterrerent, ne quid ad moleſtias ſaltem illius adderetur, cui *totum Eccleſiarum onus* incumbit. Sed cùm Breuia perſonarent longè latèq;, & nimirum non ſine offensâ Regis maximi innoteſcerent, cuius animum irritari è re Pontificis non erat, cur quæſo huic periculo ſe potiùs committeret, quàm alteram diſpenſandi magis facilem tutamq; rationem ſequeretur, ſiquidem ei confideret?

CAP. 12. PAG. 66. famigeratæ Torturæ ſuæ, ſolidiſſimo argumento contenderat Epiſcopus, Pontificem poteſtatem nullam habere ad diſpenſandum in Iuramento Fidelitatis

nomi-

nominatim. Et quia verba ſunt luculenta, placet aſcribere. *Poteſtas ſoluendi non negatur. Poteſtate ſtante, incongrua hæc materia dicitur, ſuper quam poteſtas cadat. Et verus hic quæſtionis ſtatus; non an poſſit iuramenta ſoluere, ſed an poſſit hoc.* Tum poſt pauca interiecta: *Dicam verò etiam cur non poſſit ab hoc, quia magnâ ex parte aſſertorium eſt. Siquidem ex toto promiſſorium eſſet, materia eius, cùius ſit aliquid futurum, variari poſſet, & in eventu reddi illicita. Atqui hoc iam maiori ex parte aſſertorium eſt. Quatuor habet partes, quarum tres aſſertoriæ ſunt, quarta modò promiſſoria. De præſenti eſt: Iuro quod Papa nec per ſe, nec per alium &c.* "
poteſtatem vel authoritatem habeat Regem deponendi. Item, "
Iuro quòd in corde abhorreo tanquam impiam hanc doctrinam. "
Item, Credo quòd nec Papa, nec alius quicunque poteſtatem habet, me ab hoc iuramẽto abſoluendi. Aſſerit vt audis per omnia. "
De præſenti eſt. Aſſertorij autẽ materia in neceſſitatem tranſit, & eſt immutabilis. Aquinas.

Hactenus Epiſcopus. Quo quid *nervoſius* lector deſideres? Nam non libet nunc quidem de *elegãtiâ* dicere. Et accuſatur tamẽ ab *Aculeone* noſtro imperfectę logicæ, quòd non omnes Iuramenti partes ſint aſſertoriæ, ille autem, ac ſi omnes aſſertorię eſſent, Pontificem diſpenſare contra integrum Iuramentum poſſe neget. Quid facias hoc animali ſic crepante logicas ſuas, & vsque tamen ijſdem in vepribus hærente, quarum ſe purgatorem alijs gloriatur? Nam primò ſatis erat ne Pontifex diſpenſaret, etſi vna quæuis minima iuramenti particula aſſertoria eſſet. Non enim poſſet diſpenſare contra vllam aſſertionem, ac proinde nec contra totum illud iuramentum, cuius pars vna quæpiam aſſertione contineretur. Nonne verò hæc ipſa cauſa eſt, cur iuramento obnuntient, cur reclamitent, non quin multa contineat in ſe ſatis bona, vt dicunt, ſed quia quædam videlicet ijs non placeant, quorum gratiâ & cætera condemnanda viſa ſunt? Tam turpiter offendunt & in eo quod ipſi arguunt, atque in ſuo viſco perplexi hærent. Hæc igitur, vt dixi, prima, ſatis iuſta 1

2 causa, ne Pontifex dispensaret. Sed adde etiam aliam, quòd assertoriarum maior est numerus, & tanto maior. Diuiso enim iuramento in quatuor partes, Promissoria vna, Assertoriæ tres redundabunt. Atque hoc Episcopus, pro suo acumine imprimis expendit, eique vel maximè confisus est, cùm negaret Pontificem dispensandi facultatem vllam habere, in hoc quidem iuramento. Vt ne tertio loco dicam, & de promissoria, qualis illa sit, quæ sola iam Pontifici concutienda restat, de *fide & obedientiâ Regi præstandâ*, quam vos si dissolui dispensatione posse speretis, quidni etiam mundi machinam, eâdem operâ, dispensando, vt ait ille, soluatis? Portarum certè inferni erit illam conuellere, quam tam firmis præsidijs dominus muniuit, non eius, quæ se tutam esse, dominico promisso, & contra inferorum portas, gloriari solet. Nonne verò negatis & pernegatis alibi, vos in fidem subditorum, & obedientiam erga Principes, iniquiores esse, qui tamen vt hic exemplo vestro refellimini? Cum dispensationem vobis vendicantes contra iuramentum fidelitatis, hanc solam ex omnibus particulam habetis, cui illum, quem deponere nullo modo vultis, dispensationis arietem intorqueatis. Ita disertè profitemini, vos hostes esse iuratos fidelitatis iurandæ, obedientiæ profitendæ. *En iecur dialectica, en* cor fidelitatis & obedientiæ politicæ. Sed sequentia videamus.

3

Ecquid videt ô rectus Dialectice qui vna syllaba argumentatio tua sit? Parall. p. 332.

CAP. 13. Parall. p. 332.

EPISCOPVS pag. 153. Torturæ, quærenti Cardinali, vbi Pontifex in Breui suo sereniſſimi Regis subditos prohibuerit, quò minùs de obedientiâ suâ erga eum profiterentur, tam multa, tam clara, tam perspicua obiecerat, *admoneo, exigo, & strictè præcipio, vt penitùs à iuramento iurando caueatis*, vt puderet eum deinceps in profluente aquam quærere. *Nisi* (inquit) *prohibitionem tu nullam esse putas, de obedientiâ præstandâ, vbi non totidem syllabis legatur sic, ego prohibeo*, & multa in eandem sententiam præclarè. Quid ad hæc vir optimus Eudæmon-Iohannes? Reuo-

Verba Brevis.

cat

cat ad formam, in ſyllogiſmum compingit, tyronum artem factitat, exclamat poſtremò elenchum committi. Nam *iuramentum ſimul ſumptum illicitum eſt*, inquit, *At obedientia Regi præſtanda vnus quidam articulus eſt qui licitus eſſe poteſt.* Tam frigidè agnoſcit obedientiam in Regem, etiam tum cùm ſe agnoſcere probare vult, & cùm ſermo eſt iudiciumq; de eius aut agnitione, aut abnegatione, vel maximè. *Poteſt* (inquit) *eſſe licitus hic vnus articulus.* Poſſent verò & alij, & quid non illic, niſi fortè pium eſſe, vbi *omnia licent*? Ità & alia fortè multa Iuramenti membra non ſunt licita, non quia non poſſent, poſſent enim per Pontificem, ſed quia ſic viſum eſt grandi illi & decumano obnunciatori. Cur ergò ſi *obedientiam* erga Reges probat, cætera prohibuit, effecitq; *ne poſſent eſſe licita?* Quia non curat ſi *verbalem obedientiam* profitemur, dummodo in ea ne iuremus quæ aperiuntur in Iuramento, & in quibus *nervus ipſe obedientiæ* ſitus eſt. Verbi gratia, *Excommunicationibus & deprivationibus non concedere, Regem defendere contra omnes coniurationes, & cuiuſcunq; ſententiæ colore conflatas. Ego verba illius magnifica, quoad verba ſunt, ferre poſſum*, ait illa in Comœdia. Sic fortè Pontifex. Cres autem, ac ſi hypodidaſcalus cum pueris ageret, quibus res per exemplũm declaranda foret (mirũ enim quàm ſe iactet in hoc logico *regno*, ſiue *carcerem* placet dicere) totum negotium inſtantiâ conficit. *Diuinâ* inquit, *lege vetitum eſt Turcarum fidem profiteri. At Turcarum fides, inter alios articulos, profitetur deum creatorem cæli & terræ, hoc ergo ipſum vetitum eſt lege diuinâ.* Et vult ſimiliter ſe rem habere in Iuramento. Quod vniuerſè damnauit, vetuitq; Pontifex, etſi nonnulla in eo eſſent, quæ neutiquam improbaret. Sed quantò rectiùs appoſuiſſet quaſi notam ad malum verſum, crudus iſte Ariſtarchus, quàm totam Iliada obeliſco foderet, & Regio ſapientiſſimo poſtulato acquieviſſet, de diſtinguendis erraris, quàm temerè vniuerſo iuramento linendo, aut de conſilij publici laude detraheret,

aut

aut florentiſſimi regni pacem diſturbaret? Nunc enim dum ſic agit, dum *ſtrictè præcipit*, dum *acriter exigit*, ne omninò, ne vllo modo iuramentum præſtetur, cum fidelitas & obedientia duo ſint primaria iuramenti capita, quî tandem fidelitati & obedientiæ eum bene velle, non dico *Prudentia*, quæ cautior eſſe ſolet, ſed *Charitas* ipſe credat, quæ tamen *omnia credit*? Ac mihi quidem iuramentum ſic alloqui videtur Romanum Pontificem, poſt alapas Breuium vtrinq; impactas, quomodò Chriſtus olim Dominus ad neſcio quem è famulis ſummi ſacerdotis, *Si rectè feci, quid me percutis? Sin aliorſum, quidni indicas?* quidni, quod noſtri homines toties iam à te contendunt, demonſtras ſaltem quo loco peccatum ſit? Omitte inquam contumeliam, & μαζίνησον Paule περὶ τῦ κακῦ. Sed nihil eſt vanius quàm quod blaterat nugator *de fide Turcarum*. Primùm enim tam longè abeſt, vt fides Turcarum in ſcripturis damnetur, vt nomen in eâ Turcicum ne nominetur quidem, tantùm autem omni genti aditus aperiatur ad regnum Chriſti, ita vt Turci, ſi velint credere, non ſint illi iam repudiandi, non magis certè quàm Romani. Deinde autem ſi ὑγιῶς loqui velimus, nec fides niſi Chriſtiana vlla eſt, & qui dogma Turcicum cum Chriſtiano commiſcet, fidem perdidit, circa fidem naufragauit: quia illa non conſtat, niſi vbi omnia pariter & germana recipiuntur, & exploduntur adulterina. Ad extremum, ſi planum fiat hanc Turcarum eſſe fidem, quam hodieq; fouent, de vno deo creatore cæli & terræ colendo, næ ego in hanc fidem non paulò libentiùs iurarem, quàm in quintum illud Evangelium à Monachis excogitatum, aut non certè *acriter exigerem*, non *ſtrictè præciperem*, vt ab illâ in vniuerſum caueretur. Parumne clarè Apoſtolus, *Omnia probate* (& Coranum quoq;) *quod bonum eſt tenete*? Sed videmus vt qui Regem propter leuiſſimam quamq; cauſam Chriſtianum eiurant, fidem & *Ario* & *Simoni* indulgeant, atque etiam ipſi *Sergio* ſuo, & *Mahometi*.

Platina in Alexandrino quarto.

SATIS

CAP. 14.

SATIS credo apparet huius hominis *cacoethes*, ex ijs quæ iam diximus, & penitùs incoctum viſceribus venenũ, & mirum cuncta vertendi ſtudium, dicerem fælix, niſi in re tam infælici, nec contentus nocuiſſe humanâ aut vſitatâ ratione animus, ſed nouâ, ſed ſingulari. Vt poſthac cùm maleficam aliquam vim poteſtatemq; cogitare placet, poſſis de Eudæmon-Iohanne recordari. Nec te *εὐδαιμονία* illa perturbet; eſt enim notatio qualis *Eumenidum*. Ac ſi cætera iam omitteremus in gratiam lectorum, ne nimij ſimus, oporteret tamen cauſam diuini viri eſſe inuictam. Nos tamen & quæ reſtant breuiter diluemus.

De *foro Pontificis* quæſtio erat, an ad Reges ſe extenderet, ita vt iure de iuramento fidelitatis obnunciatum ſit à Paulo quinto, cuius Regem Sereniſſimum authorem eſſe cognòrat. Et Rex quidem ipſe modeſtiſſimè ac mitiſſimè: *Si index eſt competens, quidni me monet? ſi nec competens index, quid in me monet?* Ad quod Tortus reſpondet, *Pontificem eſſe iudicem omnium Chriſtianorum, ac per hoc etiam Regum, vt Chriſtiani ſunt.* Quæ verba non oſcitanter ponderans D. Elienſis, *Bene habet* (inquit) *quòd tantùm vt Chriſtiani ſunt, non etiam vt Reges. Illi verò non hoc agunt, in quo Pontifex iam ſuccenſet, quatenus Chriſtiani, ſed quatenus Reges. Poſſent enim iuramentum fidelitatis exigere, etſi eſſent infideles &c.* Acutiſſimè dictum, quis negat? Quid tamen id refert, ſi ne hunc quidem florem Alecto noſtra intactum patitur, & à ſtygio rore ſuo caſtum? Eſt magnum ſophiſma huic Logodædalo, *Non quâ Reges, ſed quâ Chriſtiani, Vt Reges ergo exempti ſunt. Nam attingendi quidem ratio eſt* (inquit) *eſſe Chriſtianum, ſed poteſtas Pontificia etiam Regiam attingit. Attingere* vocat, quod *infringere* & *conſcindere* multò rectiùs appellàſſet, ſi ſuo ſenſui ſuffragari voluiſſet. Mira ſunt quæ Pontifici licent in Reges, ſi quando eos commodè poſſit *attingere*. Vt non fruſtrà Pſalmus, *Nolite tangere Chriſtos meos.* Niſi illud nos conſolatur, medicamentum perbellum: *Attingendi ratio eſt, eſſe Chriſtianum.* Tam aptè

pag. 335. & 336. Parall.

conuenit pestilenti sententiæ putida oratio. Christum, credo, & relligionem eius, quam sanctissimè haberi oportuit, sceleri atque immanitati prætexit suæ. Vt quia Rex Ethnicus diuinitùs illustratus, nomen suum Christo dedit ad fidem, ideò cuncta sua Pontifici deinceps debeat ad ludibrium, & regnum, & coronam, & vitam, & omnia. *Nam Christianitas quidem*, inquit, *eum subiecit Papæ, sed non solùm quoad res fidei iam mysteriq; Christiani, sed quoad sceptrum, & opes, & omnia quæ persona secum trahit.* Tam obnoxium eum Papæ facere gestiunt, vt præstiterit ad Christianismum ne accessisse quidem: de temporalibus commodis beneficijsq; loquor: nam alioqui *salutis* illud tantum esse scio, vt omnes obscuret, non vnius solùm hominis, sed totius mundi iniurias. Quantò rectiùs Gelasius, sic vtrique statui sua iura conseruans, vt *actibus propriis dignitatibusq; distinctis temperatum à deo dicat, quod communi fidelium saluti congrueret, vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur, nec extolleretur vnus vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum professio aptaretur?* Hic autem si Pontifici forum suum ciuile aperire licet, contra Regem ciuilem, & infitam subditorum fidelitatem damnare, quam ille prouocat, nec *propriæ actiones*, nec *dignitas distincta*, nec *vtriusq; ordinis modestia* seruatur, & *extollitur* iam *vnus vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum professio* non *aptatur* sed *confunditur*. Porrò nō iniuriā mirantur iamdudum docti quidam homines, eoūsq; conculcari Regiam Maiestatem, vt id in illam liceat sub prætextu relligionis, quod nec in sellæ ac tabernæ infimos quosq; homunciones licet. Qui si quando Ecclesiasticam censuram incurrerint, non tamen neque de statu suo dejiciuntur, neque mulctantur opibus, nec in instituto vitæ cursu pergere prohibentur. Vt si Paulus Apostolus in Alexandro, verbi gratia, fabro ærario offenderit, non tamen vetaret eum *fabrilia tractare*. Solis Regibus solia sua quatefiunt, sceptra franguntur, coronæ defluunt, & tantò postremò inferiùs deprimuntur, quantò altius fastigium sub

De vinculo Anathemat.

2. ad Tim. 4.

deo

deo poſſident. Nec eâ credo ratione, quòd tantæ illorum eſſe labes ſoleant, vt non aliter expiari, niſi tam acri lixiuio, poſſe cenſeantur, ſed aut inſitâ libidine vexandæ Maieſtatis, quam magiſtram ſibi à deo conſtitutam fremunt, aut ſpe opimæ prædæ rapinarumq́;.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Hinc alios in Regibus, alios in priuatis effectus ſortitur Eccleſiaſtica cenſura: & tam dextrè aſſimulatur illud Iacobi, ἀδελφὸς πλούσιος ἐν ταπεινώσει χαιρέτω, quàm quod iſte paulò antè ex Epiſtolâ ad Hebræos, *Quis enim eſt filius quem pater non corripit?* vt legæum Regium iure virgâ percuſſum doceret. Vide pag. 71. huius.

Sed vt hoc ſic finiamus, & omiſſis ineptijs illis *de ligno & combuſtibili*, de *quanto & colorato*, quibus ille non lucem, ſed colorem tantùm ſuffundit, ligneo dogmati ſuo, & ignè promerito, diuinum virum ab elencho vindicemus; nego quicquam vnquam aptiùs colligi potuiſſe, quàm quod ille ex Torti verbis ſic arripuit, *Si omnes mortales ad Pontificis forum pertinent, & Reges etiam*, ſed nimirum *vt Chriſtiani ſunt*, proindè non habere Pontificem ius vllum in ijs cauſis ſtatuendi, quæ ita à Chriſtianâ ratione diuiſæ ſunt, & cum Regio munere arctiſſimè complicatæ, vt poſſint & ab infidelibus Regibus agitari, ijſq́; qui Chriſtianiſmo nunquam imbuti fuerunt. Qualis hæc eſt imprimis, de exigendo iuramento *fidelitatis* à ſubditis, in quâ temerè nimis Pontifex in Regem noſtrum inſiluit, & *falſus Paulus*, atque à ſe tantùm dictus, cum *diuinitùs cognominato Iacobo* colliſit.

Dicet fortè, ſe non negare quin ſint aliqua Regia munera, quibus Pontifex non debet manum ſuam admoliri, ſed non ferre vt Reges penitùs exempti ſint: cum tamen ſic Epiſcopus, *vt Reges ergo* NIHIL *ad forum eius pertinent*. Sed intellige, *in negotijs Regium ſtatum concernentibus*, & ab inſpectione Pontificiâ prorſùs ſegregatis. Non enim dicit Epiſcopus, Reges non pertinent ad eius forum, ſed vt *Re-*

ges non pertinent, id est, in causis ad ius Regium, vt dixi, spectantibus, & cognitionem Pontificiam nihil morantibus. Quid? Nullasne tu tales esse existimas? Quòd si enim *omnes* homines iam Pontifici subessent, an tamen & in *omnibus* ab eo dirigendi? Quot artium, quot partium Pontifices nobis opus est, si hoc sic ponatur, cum è vestris non pauci, ne vnam quidem tenuerint vnius artis vmbellam, si historicis credimus, tãtum abest vt quinquertiones & *πάντοχροι* fuerint? Sed & ipsi illi Canonistæ vestri, qui potestatem quàm potè largam Pontifici circumdederunt, concedunt ei tamen vt scientiâ non omni necessariò floreat, verenturq; illi infinitum laborem imponere. Quòd si, cùm Reges, *vt Reges*, non pertinere ad Pontificis forum dicit Episcopus, curationi Pontificiæ penitùs atque in vniuersum eos eximere vellet, quod Eudæmon vel Endymion potiùs iste somniat, pro suâ tarditate, quàm multos eodem pacto mortales emanciparet, quàm paruam Pontifici prouinciam relinqueret? Pontifici dico? Imò Ecclesiæ Christi, quaquaversum diffusæ. Nec enim milites vt milites, nec remiges vt remiges, nec causidicos vt causidicos, nec iam cæteros in suo cuiusque genere artifices, ad eius tribunal pertinere fateretur. Quod tamen nunquam Episcopo in mentem venit, vt foro spirituali tantum hominum subtraheret, aut Ecclesiæ nihil in illos licere diceret. *Latus est*, vt ille dixit, *in Republicâ campus*, & variè hominum exit industria, nec opus est segetem alienam recidere, aut assignatas alteri partes invadere. Et Pontifices Regibus æterna ministrant, & Reges temporalium rerum cursum, non ex Pontificum placitis, sed ex suâ sapientiâ moderantur atque gubernant. Gelasianum illud semper memoriâ tenendum est, *Ne extollatur vnus vtroque suffultus, aut competens qualitatibus actionum professio disturbetur*. Quare nec tu deinceps, si sapis, Eudæmon-Iohannes, Elienſem in Logicis instituendum tibi sumito, *sus Mineruam*, nec Regijs decretis Pontifex occursato, *sutor vltra crepidam*, Simonis

Sander. in Demonstrat. de Antichr. & Alphons. Castr.

hospes

hoſpes vltra illam officinam.

ET ſpes quidem eſt aliqua, Ieſuitam ab inſolenti incæpto deſtiturum, ſaniſq; conſilijs pariturum. Verſatur enim in *fundo* iam, & quod neceſſe eſt, in *face* calumniationum ſuarum. Vltimum elenchum citat iſtum. Quòd Epiſcopus in *Æquiuocationis* crimen inciderit, dum originem indagaturus illius vocabuli, *Pontifex maximus*, ita argumentatur, vt probet fundamentum in ſcripturis non habere. *Vox profana & Romana. In Scripturâ non legitur: quî enim poteſt eam Romana vox ſit? Scriptura autem natiuæ Hebraicè vel Græcè tantùm, Latinè non niſi per interpretem loquantur.* Eſt primò iucundum, videre *æquiuocationem* nobis ab ijs obijci, qui omni facultate ſuâ ad eius commendationem vſi ſunt; ità vt non alio potiore patrocinio, quàm Ieſuitico, pernicies illa vitæ hodie niti exiſtimetur. Niſi ita diſtinguunt, vt *inuenilem* æquiuocationem probandam eſſe cenſeant, aut fortè *ſenilem*, putate quæ à robuſtiore malitiâ proficiſcitur, ſolam *puerilem* reprehendant. Bis enim *puerilem* vocat *æquiuocationem Epiſcopi*, hoc loco, aduerſarius, eoque diſertè nomine damnat. Credo quòd diſſimilis habeatur illius, quæ exercetur iam à magiſtris Ieſuitiſmi, & edentula, ludicra, innocenſq; ſit, nec omninò ſanguinem lambere docta. Ignoſcant. Nos enim nec in vitæ commercijs eâ vtimur, vt perfecti quaſi antiſtites eius cenſeri debeamus, nedum autem ad parricidia, & cætera illa monſtra aliquando contulimus, ac ſi quid argumentantes inde per iocum miſcemus, illorum inſtitutis omne tribuendum eſt, quorum perpetuo quaſi cantu, etſi id non agimus, cùm eorum libros terimus, coloratur tamen nec opinantibus ſimplicitas noſtra. Sed impudentem impoſturam accuſatoris animadvertite, & quiddam tetrius *Æquiuocatione*, ab eo qui æquiuocationem hîc carpit vel maximè. *Æquiuocatio* enim callidè tegit fraudem, mentitur timidè, deci-

CAP. 15. Ad Parall. p. 334. &c.

D. Elienſis verba p. 395. Torturæ.

pit verecundè: huius in aperto exultat audacia. Nam & delumbat ſententiam clariſſimi viri, & verba etiam deprauat quantum ſibi videtur, quò facilius concinnandæ caluniæ ſubſeruiant. *Scriptura autem natiua Hebraica vel Græca tantùm.* Sic recitat, ſic abrumpit. Quaſi ſi *Pontifex maximus* nec Hebraicum nec Græcum ſit, eo ipſo alienum à Scripturis concludatur apud Epiſcopum. Porrò dicit *vim vocis* extare poſſe in ſcripturis, quâcunque demum linguâ exaratæ illæ fuerint, etſi fortè *Materiale*, id eſt, verbum ipſum latinum, non legatur totidem ſyllabis in alieno ſermone, dummodò tamen eliciatur ex authentico per interpretem, atque alicui orationis parti reſpondeat. *Sic Patrem, ſic filium, ſic ſpiritum ipſum ſanctum, non legi in in Græco, ſed eorum inſtar tamen.* Quid putemus? Eſt adhuc non *Verres* ſed *Q. Mutius*, non *Cretâ* ſed *Areopago* prodvctus iudex. Nihil planè dici potuit, vel elegantius ad inuidiam noui verbi ſubleuandam, vel ad Epiſcopum Elenchi notandum grauius. Atque vt maximè concèderetur, hæc ab eo dicta ſine dolo, nec quicquam obliquatum in verbis Epiſcopi referendis, primò tamen deprecarer, ne ſi quid feſtiuius fortè luſit Antiſtes, id ſtatim in Paralogiſmi calumniam rapiatur, cùm ille non Logicæ ignorantiâ huc prolapſus ſit, ſed vel vt ſuo ingenio amænitatiq; ſeruiret, vel vt horum impudentiam, vulgatas verſiones ſuas ipſis fontibus æquiparantium, ridendo potiùs quàm refutando frangeret, vltrò ab eiuſmodi quodam lemmate profluxerit, ad reliquam diſputationem abſoluendam. Deinde autem cùm duo ſunt in omni vocabulo, vt Eudæmon-Iohannes ipſe nobis explicat, *ſonus, ſiue vehiculum*, &, *ipſa ſignificatio*, vel, *materiale*, &, *formale*, vt nonnulli appellitant, quid mirum ſi Epiſcopus probaturus hanc vocem *Pontificis maximi* Numam potiùs olere quàm Chriſtum, & nullâ ſcripturarum authoritate fulciri, ita contra vtrumq; ſigillatim pugnârit, vt primùm *ipſam literam* nuſquam legi doceat, ſicut planum eſt τὸ ῥηματικὸν ſiue ipſam *ſignificationem*

prot-

prorſus incognitam eſſe ſacris literis? Niſi temerè Apoſtolus contra *Βεβήλους κενοφωνίας* diſcipulum ſuum armârit, atque ita nimirum *fidei normam* condiderit, vt nec *loquendi rationem* negligendam putârit. A vobis autem quàm multa procuſa ſunt nomina, quibus nulla nec Hebraica, nec Græca, reſpondent? Quid *Miſſam*, quid *Purgatorium*, quid *Peregrinationes*, quid *Indulgentias*, quid immanem illam & inhumanam *Tranſubſtantiationem* loquar? Hæccine, etiamſi fortè *Latina* non leguntur in ſacris literis, *Hebraicum* tamen aut *Græcum* ibi aliquid habent, vndè exprimantur? Dic ergò, *Peregrinationes* quomodo appellent tui, dic *Indulgentias*, dic cætera. A Græco homine hoc requirimus. Sed non potes dicere. Tantum abeſt vt in Græco Teſtamento hæc extent, vt in totâ linguâ Græcâ vix nomen reperiant. Ita non *Pontifex* ſolùm *maximus*, profanum à Gentilitate mutuatum nomen prodit, & à veſtrâ inquam Papiſtarum ambitione mutuatum, ſed pleraq; religio veſtra ex talibus portentis coagmentata coaleſcit. Vt non valdè aberraturus ſit, qui Apoſtolum hoc providentem, frænos & ſermoni noſtro iniecisſe dixerit, & *κενοφωνίας* è religione penitùs ſummouiſſe, quò totum Papiſmum tantò antè iugularet. Quòd ſi omnis *κενοφωνία* fugienda eſt, quid tandem profana, & à profanis ducta? Quo nomine, hunc *Pontificis maximi* titulum, Rex ſapientiſſimus ſanctiſſimuſq; reiecerat, quòd videlicet à Pompilio non à Chriſto deſcenderet, (Chriſtus enim humilitatis & ſpecimen præbuit, & leges promulgauit, Pompilius *pompæ* ſtudioſior fuit) in eoque cum Apoſtoli genio & ingenio mirum quàm mirificè conſpirârat. 1. Tim. 6. 20.

Sed video me, dum adverſarium veſtigijs ſuis perſequor, præcipuam defenſionem hactenus diſtuliſſe. Ea autem in verbis Epiſcopi ſita eſt, non quomodò iſte refert, & præroſa, & perverſa, ſed quomodò extant apud ipſum, & à me iam ponentur. *In Scripturâ non legitur Pontifex Maximus: quî enim poteſt cùm Romana vox ſit? Scriptura autem*

NAZIAN.

natiuæ Hæbraicè vel Græcè tantùm, Latinè nisi per interpretem non loquantur. Hæc ille. Ita non sic argumentatur, vt iste confingit, *Elenchos* tantùm aucupans, *Non est Hebraicum neque Græcum, ergo alienum ab vsu scripturarum:* Sed, *Neq; est Hebraicum, neque Græcum, neque per Interpretationem inde commodè transfatum, ergo à Scripturis alienum.* Sed præter studium colligendi quamplurimam *Sophisticen*, vt tertiam hanc partem libri sui ornaret, hanc etiam hallucinationis fuisse causam crediderim, quòd cùm pag. 395, *Propositionem* syllogismi sui complexus sit Episcopus, & quod attinet ad idiomata etiam *Subsumptionem*, (valde enim erat facile illam partem perstringere) de *Interpretatione* rem conficit paulò seriis, nec nisi prælibatis antè aliquammultis, sed tamen proximâ pag. videlicet 396. quod bruto homini, & nihil admodùm cernenti, nisi quod ante pedes, nimis longum fuit.

CAP. 16. DIXERAM paulò antè, in extremo nos versari; sed vt Græci declamatores non solent dimittere sine Epilogo, sic munusculum est etiam isti, quo abeuntes prosequatur. Quod tandem? Non contentus insaniisse velut hactenus in Episcopum, atque alicubi quidem ita, vt illi soli infensior, de Regiâ Maiestate omnia perhonorificè sentire videatur, prodit iam discedens ingenium suum, est idem Cacodæmon qui semper fuit, Apologiam lacerat infestatq; sine vllâ causâ. Negat illa testimonia ad rem quicquam facere, tum cùm de primatu Pontificis agitur, quæ Rex Sereniſſimus cum alijs multis conglobârat, *Vos autem non sic*, &, *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, &, *Regnum meum non est huius mundi.* Quod quanquam ab Episcopo locupletissimè iam perfectum est, pag. 378. Torturæ, vt appareat hæc vel maximè rem acu tangere, (cum enim Rex & Papa de primatu concertent, non referre vtrum Papam de primatu deijcias, an Regem imponas, ac proinde si Episcopi non imperant vt Reges, nedum Regibus imperare Episcopum,

eo

eo dato primatum non eſſe Papæ ſed Regum, eodemque modo de cæteris, Si Chriſti regnum non erat huius mundi, nedum neſcio quis vicarius eius mundi regna moderetur, &, Si vt deus in diuina, ſic Cæſar in humana poteſtatem obtineat, non Papam ſed Reges eſſe rerum dominos, cùm ad Reges non ad Papas Cæſarum authoritas clarè deriuata ſit:)hæc inquam cùm Epiſcopus lucidiſſimè ſic egerit, accuratiſſimè explicuerit, fæliciſſimè defenderit, non definit tamen nebulo pro importunâ impudentiâ ſuâ occurſare, clamare, *Nihil hæc omnia ad rem facere, Regem à ſcopo prorſus aberrâſſe.* Quid facias his animalibus, vſque ſic effrænatis? Quâ fibulâ, quo epiſtomio eorum ora occludas, fauces oppiles, ſpiritum coerceas? Nimirum rectè Pſaltes, *In freno & chamo.* Non enim vſitatâ ratione comprimuntur, & repulſi remeant, & eliſi palpitant, & muſſant conuicti, & impediti atque impotes impetum faciunt. Adeòq; quod inſignis tarditatis fuiſſet, non percipere conſequentiam harum rationum Regiarum, vel primo obtutu, primâq; ſpecie, id videre non ſuſtinent ne admoniti quidem: ſemel effractis pudoris repagulis decreuerunt gnauiter & perſeueranter eſſe perditi. Quod eò etiam deteſtabilius eſt, in hoc Eudæmon-Iohanne, quòd cum ſilentio hunc omnem locum præterire potuerit, vt qui ad alia quoq; multa in Torturâ nihil reſpondeat, non erubuerit tamen Tortianam renouare calumniam, vaniſſimam & putidiſſimam. Quam exibilatam ab Elienſi oportuit æternùm conticeſcere, vel tantiſper ſaltem, quoad alijs melioribus inſtaurata pigmentis conualeſceret; non ijſdem certè verbis eodemq; tenore decantari. Nobis autem illa Apoſtoli defenſio parata eſt, quâ vtitur ad ſonniculoſum & ſocordem auditorem, τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν μὲν οὐκ ὀκνηρόν: reliqua vtinam poſſimus, quæ ibidem ſequuntur, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές, ſed vereor vt quadrent. Nihil enim eſt aut turpius, quàm caligare ad tam perſpicuæ claritatis euidentiam, aut verò damnatius quàm ad magiſtrum obſurdeſcere. Philip. 3. 1.

ASSERTIONIS TORTVRAE TORTI,

Pars quinta de Paradoxis.

CAP. 1. Parall. p. 137, 339, &c.

NOVITATEM locis omnibus cùm exprobrarent nobis Aduersarij nostri, prorsus vt Tobias ille, & Sanballatus, Hierosolymitanis olim mœnibus amarè illudentes, quæ propter humilitatem & à *vulpe* transiri posse dicebant, (etsi egregiè Propheta, *Quis contempsit diem parvulorum horum?* & Apostolus haud absimiliter, quasi nostras reformationes tantò antè

1. Tim. 4. 12. propugnans, *μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω*) commodùm obiecit ijs grauissimus Episcopus noua quædam dogmata ipsius Cardinalis, in quæ extremâ senectute lapsus esse videtur, in eo libro quem Recognitionem appellat suam. Hinc *quarta* pars operis aduersario nascitur de *Paradoxis*. Quanquam aliud est *novitas*, aliud *paradoxon*: & Episcopus, vt nouitatis crimen dilueret, quædam eorum *nouella* collegit scita, (quid autem tam *nouellum*, quàm ipsum dogma de Maiestate, teste Sigeberto? quod præcipuum contentionis huius caput fuerat) ἄδοξα & ἀλλόκοτα ijs multa intentaturus, non παράδοξα solùm, si omnem impietatem illorum vno verbo comprehensam notare gestijsset. Sed *Rex* (inquit) *Serenissimus Paradoxa quoque appinxit Cardinali in Monitoriâ*. Ego verò te Iesuitam *Episcopi* sugillatorem, etsi est illud satis insolens, abhorrere; non à modestiâ solùm, sed à moribus Ecclesiæ, ferri posse existimâram; vt in *Regiam Maiestatem*, desultorius, quod aiunt, in curriculum quadrigarum tam deformiter incurreres,

quæque

quæque ab illo diuinitùs essent scripta carperes, non credidissem, fateor, nisi domestico præconio importunitatis tuæ. Vt leonum vestigia lepores exhorrent, teste Gregorio, ita te intra septa tua contineri oportebat, nec temerè in syluarum Regem irruere. Atqui nobis *dissimulandus hic omnis locus de Paradoxis, si saperemus, nullum enim apud Patres doctrinæ nostræ testimonium.* Omitto quòd Apostolos, non modò tute *alibi Patres, sed S. ipse spiritus nobis delineat: *pro Patribus filij tibi nascentur* (inquiens) *quos constitues Principes in omni terrâ, Psal.* 45. Super quorum monumenta imprimis exædificatur Ecclesia dei, *Ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*, Ephes. 2. Quâ etiam ratione, in *Kiriathsepher* adumbrata fuit, quę ciuitas literarum est, demonstratque Apostolicis surgentem literis Ecclesiam, & toto terrarum orbe se dilatantem. Cùmq; ipse hoc loco negare non possis, atque adeò promptissimè fatearis, nos ad Apostolos libenter prouocare, quorum certè nec olim *occultum* fuit Euangelium, & his omnibus de rebus sententiam suam disertissimè *literis* consignatam atq; expressam reliquere, eccuinam de *nouitate* nos suspecti esse possumus, aut quo tandē modo id adulterinum iudicetur, quod vnicam infucatæ synceritatis obrussam, non modò non reformidat, sed etiam flagitat? Sed tibi fortè Apostoli ipsi noui sunt, & vt olim Græcis tuis *ludibria* prædicare, ita tibi *Paradoxa* quoque iam alere videntur, quos proinde ab omni antiquitate disiungis. Ais enim, *nos reiectis totius antiquitatis testimonijs, in Apostolorum suffragio velle conquiescere.* Quasi vlla antiquitas tanti esse debeat, vt propter eam Apostolica decreta deserantur. Nos verò nec minuimus hunc honorem suum *Canoni*, & tamen reliquæ antiquitati tantum tribuimus, quantum vos subinde piget cùm attenditis. Melchioris quidem Cani nota querela est, quâ Theologos vestros, nullis sanctorum Patrum præsidijs instructos, nullâ Conciliorum scientiâ fultos, *dignam lachrymis rem egisse declarat, cùm*

* *Apostoli vni omnium sententiæ consentiunt Ecclesiæ Patres fuerunt.* Parall. p. 137.

1. Cor. 1. 23.

Luthero ac cæteris repugnaturi noſtris, nihil niſi arundines longas vibrarent, arma videlicet lenia quædam puerorum. Dominicus autem Sotus, non parum ex eo auctas eſſe putat hæreſes, (ſcis opinor quid rei hoc vocabulo demonſtret) quòd tantum operæ à noſtris datum ſit Patribus, à Sententiarijs autem & ſcholaſticis tam ſtrenuè feriatum. De *Sadoleto* ac *Cajetano* dicere ſuperſedeo, quorum ille, expulſo ex ſcholâ Lombardo, rem vtilem, imò magnificam ſeſe facere ratus eſt, cum S. Paulum interpretandum reduceret, atque adeò eum Commentarijs ſuis vir ſummus illuſtraret: alter poſt omnes Patrum lucubrationes, nihil tamen detrahi vult de noſtrâ diligentiâ, atque à ſolâ Scripturâ fidelium iudicia gubernari. Nec verò ſanctiſſimi illi viri, ſi iam reniuiſcerent, non gratias nobis hoc nomine agerent, quòd quamvis eâ, quâ par eſt, religione ac veneratione, illorum labores ſuſcipiamus, tamen ingens diſcrimen inter ipſos & *Canonem* ſemper ponamus, idque etiam viuentes de ſe profeſſi ſunt, quò magis nunc mortuos ſentire arbitremur. Tibi autem quid dicam, aut quî ſatisfaciam Eudæmon-Iohannes, qui ne id quidem concoquis, quod dixit Epiſcopus, *Si omnis antiquitas ſimpliciter exoſculanda eſt, ergo & Patrum idololatriam revocandam videri*, quæ ante mortem debellatam, & illuſtratam, vt ait Paulus, per Evangelium, vitam, viguit ac dominata eſt. In ſcripturis certè ſacris, etſi fateor non ſemel traditioni ſuam eſſe vim, & ſacro depoſito, meritòq;, vt ait Salomon, canitiem eam honorabilem apud omnes cenſeri, quæ in viâ ſapientiæ ac virtutis invenitur, tamen non paulò frequentiora cani claſſica reperiemus, ad deſerenda impiorum Patrum veſtigia, quàm bonorum ac piorum inſequenda. Tanti eſt ad normam penitùs adhæreſcere, & nullâ exemplorum circumferri tempeſtate, quamvis præpotentium. Ne illud redeat quod ait Bernardus, *Mos iſte, vel potiùs mors iſta*, &, *A te non incipit fortè, ſed tamen vtinam in te deſinat*; vel quod acutè Cyprianus, ne pro *Ego*

ſuus

Præfat lib. de natur. & gr. ad Concil. Trid. *Quisnam plus temporis Augustino & id genus Patribus ſeruauit vſumque ſit, quam ego liberauit?*

Aug. ep 111.

Ne ſtulte ſitis Patres. Zach. 1. Ezech. 20. Pſ. 95. Ier. 11. 2 Chron. 29. Errauimus cũ Patribus noſtris. Pſ. 106. Vetus error abit. Iſa. 25. 3. &c.

ſum veritas, quod dictum legimus, *Ego conſuetudo ſum*, vel *Ego vetuſtas*, quod nunquam legimus, Chriſtum de ſe Dominum pronunciâſſe autumemus.

REPREHENDIS Epiſcopum, quòd ſtudium antiquitatis ſuum profitens, *id ſe pro hæretico dixerit agnoſcere, quod aut trium ſymbolorum, aut quatuor Conciliorum alicui contravenîret.* In quo ille, non accuratam *hæreſis definitionem* dare cogitabat, quâ de re nec inter vos adhuc conſtare vidit, ſed tamen explicauit quantum piæ antiquitati à noſtris deferatur. Niſi illam hæreſis definitionem probare placet, Eudæmon-Iohannes, quâ Robertus ille Lincolnienſis vir maximi animi, incredibiliſiq; conſtantiæ, vt non longè à diuorum honore abſuerit, moriens quondam vſus eſſe dicitur, *vt Papam hæreticum, & tunctorum per Europam malorum authorem demonſtraret.* Quòd Cardinalem Bellarminum ſatisfeciſſe huic loco dicis, *de tribus Symbolis, & quatuor Conciliis*; &, ne neſcias, Bellarmino quoq; iamdudum reſponſum eſt. Fallor autem, an ille primus taciturus in cauſâ eſt, ſeque in ſuas vmbras & filentium recepturus. Si quæris à quo reſponſum, perſequitur relliquias præclarorum laborum ſuorum, vir idem ſummus, qui inchoauit, & nuſquam pigratur, & aut manet in veſtigio ſuo, aut pergit pedato, recurritq; alacrior, ſi quando opus ſit, quaſi illud dicat cum Poeta,

Nec citò deſiſto, nec temerè incipio.

Quem tu quòd Tortorem conſuetè appellas, & nimirum id iam licere tibi exiſtimas, nec illum turpificas, & tibi tuiſq; quod dignum ominaris. Vide verò ne in eum incideritis *Tortorem*; ô & *Torti & torquendi* etiam magis adhuc, apud quem nihil proſit allegatio illa, *Romani ſum*. Ille fucos & tectoria nullus moratur, ad cauſam & ad veritatẽ à perſonâ reſpicit. Quanquam tuam quidem patriam ignorat nemo, ſecta & Societas neſcio quos ſpiritus tibi aſſiârunt, qui iam tamen credo indies minuentur & remit-

CAP. 2.

Vide Canũ, Valent. &c.

Aſſaz.

tent. Interim non iniucundum est, meo quidem iudicio, audire malum te dæmonium, de bono illo Angelo *Tortore* & vexatore tuo querentem. Non enim negant, vt scis, vestiri, deum optimos quosque genios seueritatis suæ interdum & suppliciorum inferendorum adhibere ministros. Sed hæc obiter, eò redeo vnde sum digressus.

Nos certè etsi symbola, & Concilia illa quæ diximus, vt item omnia incorruptæ antiquitatis monumenta, singulari veneratione recipimus & colimus, tamen sacrarum scripturarum nullo modo obliuisci nobis fas esse ducimus. Quę γνώμας (inquit ille) δεδόξει περὶ πάντων. Quasi, *Ad omnia quare.* A quibus vestræ illæ næniæ ita pleræq; longè absunt, quas populo Christiano obtrudere satagitis, vt haud sciam, an à Symbolis Concilijsq; etiam longiùs. Nec vllo fastidio Patrum sanctissimorum, qui primis quinque sæculis Ecclesiæ floruerunt, illorum mentionem omisit Episcopus, vt qui nihil etiam nominatim de Scripturis commemineratt, quarum tamen de authoritate nec tantillum detrahi voluit, sed ad breuem quandam summam *verbum fidei* reuocans, vt & Apostolus alicubi, ad Rom. 10. cætera explicationis esse putauit. Ac cùm omnia feceritis Pontificij, consistendum est in eo centro, quod tu sic irrides, & ad eam metam necessariò appellendum, *Ab initio*, ficcine an aliter fuerit. Non enim credibile est fidem Christianam intervallo amplificatam, quę simul *semelá,* sanctis tradita est, & cui *nihil iam apponi extra execrationem* potest, *anathemate etiam Angelis ipsis cœlestibus proposito, si quid præter Euangelium* occentare ausi fuerint. Alioqui, non nescimus, & *vetustatem erroris* esse, vt ait Cyprianus, & *antiquissimam falsitatem* quandam, vt loquitur Augustinus, & patrem mendaciorum *ab initio homicidam* fuisse, vt illi quoque suum quoddam sit peculiare *ab initio*, quæ tamen omnia, cùm ad Scripturæ perpendiculum exiguntur, eamq; antiquitatem quâ reverâ nihil antiquius est, Euangelij *aterni*, Apo. 14. 6. non Euangelij *hesterni*, Gal. 1. 7. facilè refutantur,

Theoph. in 10. cap. Ioh.

Rex tribus symbolis Patres addixerat, quos ne faceſſerent negotiũ Tortor abegit. p. 340. Parall.

Epist. Iudæ

Apoc. 22. 18. Gal. 1. 8.

infir-

infirmitatemq; ſuam ipſa produnt. Nam quòd putas Epiſcopum iccircò ſtomachatum in Recognitionibus Cardinalis tui, quòd errorum retractationem turpem eſſe duxerit, nihil minùs mihi crede, noſq; illum eo nomine non modò non culpandum, verumetiam eximiè prædicandum ducimus, ſi ſyncerè præſtitit quod profeſſus eſt. Qui tamen ſi Auguſtinum imitari voluiſſet, cuius tu conſortem eum laudum facis, longè alia credo quædam ſua vicia patefeciſſet. Quale eſt, quod nobis pueris, in dictatis eius manuſcriptis circumferebatur, *Evangelium cantari tribus tantùm linguis toto orbe terrarum*, vt ſacrorum celebrationem in linguâ ignotâ, & remotionem codicis ab oculis populi, inde probaret. Quam ille ſententiam Auguſtino attribuerat, & libros *de Doctrinâ Chriſtianâ* notârat, cùm nec in toto Auguſtino, nedum autem in ijs libris, eiuſmodi quidpiam reperiatur. Quid dicam quòd Patres, & quàm rigidè inflectit, quàm vſitatè tamen, quaſi ſuo iure? Quo nomine, non ſine causâ, Rex ſereniſſimus eum iam antè poſtulârat. Qualia & alia permulta deſignari poſſent, & illud vel palmariũ ex commentarijs S. Hieronymi in epiſtolâ ad Philemonem, *de fide in ſanctos collocandâ*, eum Hieronymus de aſſenſu ſanctorum dictis tribuendo tantummodò loquatur, quæ noſtris *hiſtorica fides* dicitur, ille autem ſic accipiat, & ſic lectoribus ſuis imponat, ac ſi fide, à ſanctis, & ab eorum patrocinio, Chriſtianum hominem pendere vellet Hieronymus, quod abominaretur potius. Ita Suarij ille morſus, & aliorum quorundam lacerationes è veſtris, à ſuo corpore depellere voluit, de ſummâ ingenuitatis & candoris Chriſtiani haud admodùm *Recognoſcens* laborauit. In quo certè ab Auguſtino abeſt non parum. Sed iam ad *nomen* eius *novitatem* accedamus.

De ſanct. Beatit. l. 1. c. 20.

DVPLICI iure, Epiſcopus, ſententiam illam Bellarmini *nouam* vocauerat, *quòd Paulus de iure non eſſet ſubiectus Cæſari, nec ad eum appellauerit tanquam ad ſuum ſuperiorem.*

CAP. 3. Parall. p. 341. &c.

orem. Altero quòd *ipsum dogma nouellum foret*, altero quòd *Bellarminus in eo affirmando, à vetere iudicio suo discessisset.* Tu pluribus contendis, ne nouellum dogma sit. Primùm quod *ab aliis Pontificijs nescio quibus iam olim proditum*, secundò, *quod ab ijs omnibus per consequentiam teneatur, qui Clericorum exemptionem diuini iuris esse asserunt*, quos item non paucos numeras conglobasq; . Tertiò, *quòd nec nostrorum hominum sententiæ repugnet, Calvini, Martyris, atque*
I *ipsius Elienſis.* Singula quantum valeant consideremus.
I Quanquam nihil est futilius duobus primis argumentis. Non enim quàm multos authores habeat quæritur, sed quàm vetustos hæc sententia, ne noua iudicetur. Num tu ad vetustatem dogmatis probandam, Geminianum aut Turrecrematam tuum satis esse putas, pabulo & glande Pontificià pastos, totosq; ex eius nutu pendentes? Ipsa tibi causa remotis authoribus expendenda fuerat, tuis præsertim, & tuarum partium præiudicio deuinctis, non orbis temporum dimetiendus. Vel si tempore definire hanc vetustatem placuit, vlteriùs tamen illa repetenda fuit, nec magis à *Canonistis* tuis, i.nupero quodam fætu, quàm ab ipso *Canone*, aut *Canonicis* certè viris scriptoribusq; ducenda. Ac miror te iudicio Turrecrematæ confidere, planè hac in causa respuendo. Ait, *Paulum appellâsse ad tribunal Cæsaris, non vt sui superioris, sed præsidis Iudææ, quicum tum habebat controversiam.* Hoccine non est nouum, quia fortè ante ducentos annos fictum? Quasi quicquam tam disertum sit, quàm illud Pauli, *Ibi me oportet iudicari.* Non ibi *te*, præses inique, & vexator Clericorum non tibi subditorum, sed ibi *me* oportet iudicari. Et Act. 26. v. 6. *Sto iudicio subiectus.* Vt ad suum igitur superiorem sine dubio prouocabat. Et similibus nugis tota Turrecrematæ pagina referta est, si libêret coarguere. Quòd autem
In Recogn. Bellarminus ait, ἀναγκάδην ἐπικαλέσασθαι, *coactus sum appellare*, quid tum? Non enim coactus *incompetentiâ iudicis*, tum enim nec leuamentum vllum nactus esset, ab vno enim

incompe-

incompetenti ad alterum transijsset, sed *odio populariũm suorum*, & metu turbæ, & ipsius Præsidis iniquitate. Adde quòd hoc fuisset Præsidem Cæsari iudicandum exhibere, (invsitata res in reo, & longè distans ab ingenio S. Pauli) non semet ab iniusticiâ sui iudicis expedire, quod solum appellatio spectare consueuit. Nec dixisset Agrippa, *Saluus esse poterat nisi appellâsset ad Cæsarem*, sed Præses de se, *Ego non periclitarer nisi propter huius appellationẽ*, nunc mihi scilicet ipsi prouidendum est. Appellauit enim ad Cæsarem, vt ad superiorem meum, vt de me, non de se, cogniturum. Quid multa? Equidem & Cæsarem hoc pacto irrisisset Apostolus, cùm nullam in se eius potestatem agnosceret, & non suo periculo cauisset reus, sed Festo præsidi turbas cõcijsset. In Augustino Triumpho falsum te scias, locum dum notas. Nibil ibi quale dicis, *ad primum ergo*. Nec verò de Pauli exemptione sermo erat, sed *an liceret à Papâ appellare aut ad deum ipsum, aut ad hominem aliquem mortalem*, quod bonus iste vir non putat à peccato & temeritate alienũ; vt scias quantus amplificator sit fimbriæ Pontificiæ, & quàm longè ab eius Ecclesiæ genio recesserit, quæ causam à Melciade Põtifice iudicatã ad Gallicanos iudices remitti vidit, tandẽq; à Constantino Imperatore terminari, nemine vel exclamante, vel pedẽ, vt ait ille, supplodente.

De potest. Eccles. Q. 6. art. 8. vers. ad primum ergo.

August. ep. 166.

Quod attinet ad eos, qui cum putent Clericos iure divino exemptos, Paulum Apostolum inter cæteros complectuntur, quanquam mundus antè ex atomis, quàm dogma ex Canonistarum concursu resultabit, nec vnquam tam malè cum rebus humanis agetur, vt Oldradius, id, aut Baldus, aut Felinus relaxent, quod post spiritum ipsũ sanctum, diuinosque Apostolos, & Gelasius, & Chrysostomus, & Augustinus, & omnis Sanctorum chorus nexuerunt, tamen vtraque distinguenda sunt, quæ captioni tuæ hoc loco seruiunt, & *exemptionis ipsius* nomen, & *iuris diuini*. Nec enim omnis exemptio ab obedientiâ est, aq; censurâ, sed quædam etiam à tributis & pensionibus: (Quid

2

autem tibi proderit exemptos esse Clericos à tributis pendendis, vt doceas Sanctum Paulum, vel etiam cæteros sacri ordinis homines, Cæsaris foro obnoxios non fuisse?) Tum iuris diuini non ea solùm esse dicimus, quæ diuinitùs sic ordinata sancitaq; sunt, & necessariam obedientiam secum trahunt, verumetiam quæ consentaneè se habent ad regulas à Scripturis petitas, aut aliquo exemplo nituntur earum, & non verbi quidem rigore legisq; diuinæ, sed munificentiâ Principum ac liberalitate deinceps introducta sunt. Quale est hoc de exemptione, ab exemplo Pharaonis, etsi certè non cogit, Gen. 47. Quicquid autem sit de posteriori hoc genere iuris diuini, apparet ex multis locis, exemptionem Clericorum de primo illo non esse, nec ferè vllus ex Scripturâ locus afferri solet ad persuadendum. Nam quod quidam citant, *filij liberi sunt*, præterquam quod ad Christum naturalem dei filium duntaxat refertur, & antiquis Patribus, & recentioribus etiam Scholasticis testibus; si adoptiuos dei filios complecti velimus, *ad omnes fideles, non solùm ad Clericos pertinebit*, inquit Bellarminus. Quos tamen à sæcularium potestatum dominio non esse exemptos, testis est locuples 2.2.Q.104.art.6. Thomas tuus. Ita Paulus obnoxius, & vtrinq; quidem, etsi acquiescamus in hac doctrinâ Canonistarum tuorum, etsi eorum authoritate, quæ tamen nulla est, moueamur. Ac ne meum inventum hoc esse proprium existimes, verba ipsa quæ citas ex Concilio Tridentino, non aliam interpretationem recipere videntur, atque adeò à Bellarmino tuo iamdudum sic exposita sunt. *Dei ordinatione* (inquiunt) *& Canonicis sanctionibus, constituta est Ecclesiasticarum personarum immunitas.* At deus illa ordinat, quæ tamen totidem verbis non præcipiuntur in Scripturâ, & si talis aliqua diserta ordinatio præcessisset, quid opus Canonicis sanctionibus consequentibus? Ad quas tamen sanctiones, caue illud aggreges quod solent tui, *Clericum nullus*. Tam crassum delirium est Gratiani primò, ac deinde eorum omnium qui ab eo acce-

Sess.25. de Refor.c.20.

Ex Concil. Agath.can. 32.

perunt,

perunt, deniq; non nisi putidè timideq; defenditur à Cardinali contra Barclaium. Operæpretium verò attendere quàm modestè Tridentini de immunitate hac loquantur, quasi sibi diffiderent. *Confidimus* (inquiunt) *Principes non permissuros, vt officiales nescio qui, & inferiores Magistratus, studio cupiditatis seu inconsideratione aliquâ violent libertatem Ecclesiæ.* Ab officialibus ergo eripi volunt, & inferiore illâ manu, non in plenam absolutamq; libertatem vindicari. Deniq; illud hic notandum, Bellarminum, vt ferè Patres omnes, ita tandem Tridentinum suum Concilium interpolare & corrumpere nihil reueritum. In Edit. Sartorianâ anni 1605, quam suam agnoscit, citans hanc sententiam Concilij Tridentini de *Canonicis* sanctionibus, legit *Ecclesiasticis*, sine vllo pudore, contra omne exemplum, vt detorqueat ad propositum. Nec errore, vel incuriâ, sed *vim faciens* in ipso verbo. Vide Lector, & ride, cui animus est. Porrò præmiserat in Titulo, *Accessit accuratior disputatio de exemptione Clericorum.* Disputatio sanè accuratior, sed impudentior deprauatio Concilij Tridentini, citra vllam cõscientiam. Nos pergamus. In Lateranensi quidem Concilio nihil conclusum est, etsi multa inchoata, nisi aut *Platina* falsus, aut nos superiore disputatione nostrâ nihil profecimus. Quam vide pag. huius, 198 &c. Eius igitur Concilij authoritatẽ nihil moramur. Quanquam nihilo plus dicunt, quàm Bonifacius in cap. *Quanquã de censibus, in sexto, iure humano & diuino liberos esse Clericos*, quod Bellarminus tamen eludit, & nihili facit. *Non loquitur per modum definientis controuersiam*, inquit, *sed obiter & simpliciter, vel, ius diuinum est illi quodnis exemplum scripturæ.* Hæc ille. Quod eodem modo responderi posset ad Concilium Lateranense. Quanquam mirum est omninò, Canonicas sanctiones, pro Imperatorijs afferri, ad exemptionem Clericorum hominum concludendam. Quasi ipsi se Clerici eximere potuerint, quos deus tantò antè Principibus obstrinxerat, aut quasi ij, si priuilegij quid hoc in genere nacti sint, id sibi &

De Cler. l. 1. c. 28 vltimis ipsis verbis.

In vitâ Innocent. 3.

De Cler. l. 1. c. 28 edit. Lugdun. Anni 1588.

ſuffragiolis ſuis, non Sereniſſimis Dominis Arcadio, Theodoſio, Iuſtiniano & cæteris, acceptum referre debeant. Audiatur Bellarminus, quid enim tam neruoſum? B. (inquit) *Gregorius l.11.epiſt.14.ad Iohannem Defenſorem, non aliter probat Preſbyterum non debere trahi ad tribunal iudicis ſæcularis, quàm quia ita ordinauit Iuſtinianus* Imperator. Viden' cui iſta immunitas debeatur? viden' quàm nihil habuerit S. Paulus cui confideret, ſi de Cæſaris iudicio recuſare voluiſſet? Niſi aut Iuſtiniani edictum ante natum Iuſtinianum valiturum exiſtimas, aut Neronem tam libenter tunc Eccleſiæ gratificaturum, quàm ſuis deinceps ſæculis Imperatores optimi. Nam quòd idem Bellarm. l.1.de Cler.c. 29. *debitam & neceſſariam*, non arbitrariam, & liberam, vult, ſimilem quandam Iuſtiniani exemptionem, fuiſſe, quoniam ita videlicet loquitur, L. Sancimus 2.c. de Sacroſ. Eccleſ. *Cur non facimus diſcrimen inter res diuinas & humanas, & cur non competens prærogatiua cœleſti fauori conſeruetur*; quid futilius? Hæc enim commendantis ſuam legem verba ſunt, non neſcio quam condendi neceſſitatem declarantis. Sed ne ipſi quidem illi Sereniſſimi Domini, Sacratiſſimi Principes, cùm Eccleſiaſticorum hominum tranquillitati conſulebant, à ſuis tribunalibus, ſed duntaxat ab inferiorum quorundam magiſtratuum ſuorum & *à ſe miſſorum*, vt loquitur Petrus, relaxare eos vel voluere, vel potuere etiam. An Chriſtus Mauricio dicet, vt eſt apud Gregorium, *Ego Sacerdotes meos manui tuæ commiſi*, & Mauricius Chriſto reſpondebit, Ego verò eos ex manibus meis omniſi, quos tu mihi concredidiſti? Quàm turpe hoc? Et ſcimus quid Apoſtolus, ὁ διακονῶν ἐν διακονίᾳ, ne tam facilè exui ſuſceptam curam poſſe putes, atque in alium pro libitu deriuari. Vt enim ἀλλοτριοεπίσκοπον damnat Petrus, & curioſum eorum quæ nihil ad ſe attinent, quod non obſcurè iamdudum implent Pontifices veſtri, ita latè pertinet & ad Reges quidē, quod ait ille Archippo, βλέπε τὴν διακονίαν σου. Deniq; Bannes Pontificē non fere, abdicantem ſe poteſtate

Ibidem.

Epiſt.l.3.c. 100.

Rom.12.7.

1.Pet.4.15.

Coloſſ.4.17

tem-

tẽporali assumptitiâ, obnunciat, oppedit, indignũ clamitat in 2.2.Q. 10. art. 10. concl. 5. Quò minùs id Reges facturos autumes, nisi eos quos Spiritus sanctus notauit amentiæ, Apoc. 17. 17. Atque hoc tantùm voluisse pios illos Imperatores, & aliam immunitatem permisisse nullam, facile quidem mihi foret pluribus ostendere, & ipsorum testimonijs satis luculentis, & conquisitis ex omni genere lectisq; rationibus, nisi satis superq; hæc ipsa esse putarem, ad nugacissimam Canonistarum tuorum aciem dissipandam, & S. Paulum, tam præsertim ex se paratum, intra Cæsaris iurisdictionem includendum. Thomam quòd citas de Regimine Principum, vide Barclaium vestrum, qui probat illum librum non esse Thomæ. Quidni potiùs ex germanioribus eius operibus aliquid citas? Quidni illud meministi quod alibi amplificas, *In Summâ præsertim?* Sed credo Thomam huic sententiæ de exemptione non fauere, nisi suppositititium. Comment. certè in c. 13. ad Rom. ad priuilegia principum refert exemptionem Clericorum à tributis. Quod idem in cæteris non difficile esset cernere, & aliquam quasi plicam fraudis tuæ euoluere, sed ad vltimum defensionis tuæ caput venio.

Lib 6. contra Monarchomachos, c 20.

Quod autem S. Thomas docuerit in summa præsertim, eorum omnium dogma confitear qui disciplinam consentiunt. p. 3, 8. Parall.

Calvinus, inquis, *& Martyr eximunt Clericos à politico tribunali in causis relligionis, quicquid sit de ciuilibus.* Hæc autem S. Pauli fuit causa relligionis. Quid si primum tibi negem, causam. S. Pauli fuisse causam relligionis? *Annon testatur*, inquis, *ipse, se de spe & resurrectione mortuorum iudicari?* Annon quæstiones tantùm de Iesu quodam, & nescio quâ superstitione, in eum collatæ dicuntur esse? Sed sic Christus ipse, fidei testis, occubuit, sub Pontio Pilato, *sub quo bonam confessionem confessus est*, vt ait Apostolus, & tamen de Maiestate, de Regno affectato causam dixit, omninoq; quòd in Cæsarem malè cogitaret. Nec non Paulus accusatus est, *de turbis iniectis, de seditione concitatâ*, Act. 24. 5. & quòd πρωτοστάτης esset, id est, signifer seditionis, & fax quædam primaria, etsi hanc illi sedi-

3

1. Tim. 6.

tionem relligione metiebantur, in eamq; culpam omnem conferebant. Ita quicquid sit de causa, si illa nudè spectaretur, accusatio ipsa postulatioq; certè, de crimine & ciuili, & longè omnium maximo, instituta fuisse comperietur. Audin' quid Paulus? *Neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant*, Act. 24. Quæ à te tamen dicuntur de fide resurrectionis, de cæteris similibus, non argumento solùm, sed ipsius etiam cõfessione promptissimâ probari facillimè potuerunt. Tum cap. 25. *Multas & graues causas obijcientes, quas non poterant probare.* Sed quid opus est plura? Ipsam belluam audiamus. *Meritò* (inquit Cardinalis) *Paulus Cæsarem appellauit, cùm accusaretur seditionis & tumultûs in populo excitati*, l. 2. de Pontif. Rom. c. 29. Ciuilis ergò ea causa, non relligionis fuit. Quòd verò Martyrem & Calvinum authores facis sententiæ, quæ eximit Ecclesiasticos à cognitione politicâ in causis relligionis, nescio vbi legeris, nisi fortè in *Commentarijs* ijs, quos citas, homo sapiens, *in* 17. *ad Romanos.* In scriptis quidem duorum illorum excellentium Theologorum, nihil tale reperitur. Nolunt dedi relligionem proculcandam libidini furiosorum hominum, nolunt illud obtinere quod ab ijs decernitur per scelus atque audaciam, meminerunt reprehensos olim Israelitas, quòd *libenter vaderent post mandatum Regis*, Hos. 5. sed tamen non alienum putant ab illorum munere, de causis etiam relligionis cognitionem exercere. Cur verba eorũ non recitas? cur textũ non allegas? cur nõ habitas in eo loco, qui maximè ad hanc rẽ facere videtur? Tu nisi diffideres tibi, latebraſq; quæreres, sic ageres? Nam nobis quidem, quãuis multa facile esset describere, ex ijs locis quos annotas, ad hoc crimen propulsandum, nisi breuitati consulendum putaremus. Martyr in 13. ad Rom. paragraph. *Quæ sunt potestates, &c.* *Hinc tamen non sequitur, illos, (magnificos dominos*, Ecclesiasticos scilicet Præsules) *quod ad vitam corporalem, & possessiones, & agros, & domos, & mores attinet, non esse subiectos*

iectos politicæ potestati. Audin' *non sequitur*? Tuum ergo quantum & quàm turpe *non sequitur*, quòd contrariam Martyri sententiam affingis suæ? Pergit. *Imò etiam quod ad functionem ipsam attinet, subiecti esse debent pio & religioso magistratui, non quòd verbum dei aut sacramenta putemus subijcienda esse humanis legibus, sed quòd officium sit magistratûs, aut punire aut summouere ministros, si se in functione suâ male gerant, si veritatem adulterent, aut perperam administrent sacramenta.* Et huius hominis iudicio, Cæsari nihil erat cum causâ religionis? Quem alieniorem fortasse à fide doleret, censorem certè præconum fidei ac religionis à deo constitutum, nunquam negaret. Rursus, *Ita vir Ecclesiasticus, quamvis in præclarâ sit positus functione, tamen non eximitur ab obedientia & subiectione magistratûs.* Hæc Martyr. Calvinus autem apertior est, lib. 4. Instit. c. 11. paragraph. 15. *Veteres Episcopi qui aliàs in asserendo Ecclesiæ iure rigidissimi erant, nihil ladi se aut suum ordinem iudicarunt, si subijcerentur. Pij quoque Imperatores, nullo reclamante, ad sua tribunalia, quoties opus erat, Clericos semper vocârunt. Sic enim loquitur Constantinus in Epistola ad Nicomedienses. Si quis Episcoporum inconsultè tumultuatus sit, ministri dei, hoc est, meâ executione, illius audacia coercebitur. Et Valentinianus, Boni Episcopi potentia Imperatoris non obloquûtur, sed sincerè & dei magni Regis mandata custodiunt, & nostris legibus parent.* Cumq; posteà allegàsset illa verba Ambrosij, *In causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopi de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis soliti sunt iudicare:* in 16. parag. explicat se. *Atque adeò hac ipsa* (inquit) *exceptione, nihil quæsierunt sancti illi viri, quàm ne Principes minùs religiosi, tyrannicâ violentiâ & libidine, Ecclesiam in suo munere peragendo impedirent. Neque enim improbabant, si quando suam authoritatem interponerent Principes in rebus Ecclesiasticis, modò conseruando Ecclesiæ ordini, non turbando, disciplinæq; stabilienda non dissoluenda hoc fieret.* Sed satis multa de postris. Vt appareat quàm flagitiosè Patres &

vlterio-

vlteriora quæque mentiantur, qui nullâ verecundiâ impediuntur, quò minus de noſtris talia blaterent. Et tamen, Eudæmon-Iohannes non eſt contentus hoc à ſe dixiſſe videri, niſi in Card. Bellarmini controuerſias referat, *vt habes* (inquit) *apud Bellarm. lib. 1. de Clericis c. 28.* Quaſi metueret ne nimis candidum Bellarminum putarenius, niſi ipſe fallacias eius retegeret.

Ad extremum D. Elienſem quoq; hoc ſentire affirmat, *Regem Ethnicum nullum ius habere in cauſis Eccleſiæ.* Ad turbandum fateor, ad furore eo vtendum, quem Paganiſmus ei afflauit. Habeat tamen ad conſtituendum, ad moderandum & ad ordinandum, quod niſi ritè fecerit, rationem deo reddet. Ita vndiq; ex ſe *nouum* eſt hoc commentum de exemptione. Nec Conciliis, nec Theologis, nec Canoniſtis, nec noſtris, nec ipsâ diſtinctione denique ſacrorum & ciuilium, ita commendatum, meritò vt antiquitati inſerendum videatur.

II Sed eſt etiam *ab authore nouum*, à Cardinali ipſo. Nam cùm duas ſolutiones aliquando attuliſſet, quarum alteram improbârat, quæ Paulum Cæſaris poteſtate ſoluiſſet, quaſi vir iam ſactus, & puerilia καλῆς γυναικὸς, deſerit eam ipſam quam antè probârat, abiudicat, *reiecit* (vt loquitur noſter, ne dicat nos ſibi verba non ſua affingere) & in hac quam dixi permanendum eſſe clamitat. *Dici poſſet & melius* (inquit) *cum Alberto Pighio, diſcrimen eſſe inter Ethnicos Principes & Chriſtianos. Nam quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex iudex illorum, ſed è contrario illis ſubiectus erat, non minùs quàm cæteri homines, in cauſis ciuilibus.* Et probat hoc ſatis Logicè, *quia, Quid mihi* (inquit) *de his qui foris ſunt iudicare? Non ergo Cæſar tum à Pontifice iudicaretur. Nec vero lex Chriſtiana quenquam priuat dominio ſuo.* Ergo *ſi ante fidem Pontifex fuiſſet Cæſari ſubiectus, fuiſſet etiam non obſtante vel religione vel ordine.* Hæcille. Quæ nunc pro abolitis omnia habet,

Pag. 342. Parallel.

Et iubet Æolios irrita ferre Notos.

Tan-

Tanta mutatio inceſſit ex oſtro. Neſcio quid grandius ſolito ſpirat. Relinquitur ergo, vt non ſolùm à veritate, ſed à ſuo etiam ipſius iudicio diſceſſerit, probans quę reiecerat, reijciens quæ probârat, hoc ſaltem; vt ſiue *rem*, ſiue *hominem* ſpectemus, de *nouitate* negare nullo modo debeamus.

TERGIVERSATOR eſt in ſecundâ Eudæmon-Iohannes, & mirè quidem. Pudet immorari, ſed tamen paucis accipite. Calumniatur Epiſcopum, quòd *reprobos illos Canones Bellarmino eſſe dixerat, Hadrianus & in Synodo, quos tantummodo non eſſe omninò certos ſcripſerat.* Quaſi parum ſit Canones loco ſuo mouere, & per tantum temporis in Eccleſiâ receptos, niſi talibus præſtigijs nugiſq; te ſubleues. Et tamen plus dixit, quàm non *omnino certos*. Nam & *non legitimos* vocauit in Recogn. lib. 2. c. 29. de Rom. Pont. & in eiſdem Recognit. de Tranſlat. Imperij, lib. 1. c. 13. *vel falſos, vel certè dubiæ fidei.* Quid quòd alibi etiam * prout à te citatur, in Recogn. c. 16. lib. 1. de membris Eccleſiæ, *non ſatis probatos*? Quod quid diſtat à *reprobis*? Ter notat, ter damnat, idque ſatis decretoriè, & tamen parum eſt. Deniq; à *Sigeberto* putat eſſe *confictos*, vel diſputat certè. Niſi ne hoc quidem *reprobos* eſſe conuincit. Sed cùm ocio abundaret, & ineptiâ, Græculus, hanc quoque vel mutationem iudicij in Cardinale, vel diſceſſionem à cæteris, qui eos Canones probant, nec fateri voluit, nec tamen aliter purgare potuit.

CAP. 4.

* p. 152. Parall.

TERTIA ſic eſt, *Infideles, hoc ipſo quòd infideles, etiam innoxij, priuari poſſunt dominio ſuo.* Quæ ſine dubio nouitas eſt, maximè & horrenda, & abominanda. Diſtinguis tu primò, de dominio *rerum*, & *perſonarum*. Vmbra te offendit orationis tuæ, atque in omni verbo Hannibalem incluſum latere ſuſpicaris. Ais ſcilicet de *perſonis* intelligendum Bellarminum, Epiſcopum autem ſic eloqui, ac *ſi res* etiam com-

CAP. 5. Pag. 145 &c. Parall. 1

prehendat. Quasi Episcopus tibi asino docendus sit loqui, aut quasi plus dixerit, quàm suo quodam dominio priuari posse infideles, etiam *innoxios*, iudicio vestro. Vtrum autem personarum, an rerum, non dixit; vtrumlibet enim sit, fides dicto constat. Ac præclarè interim Papam imitari fugitis Regem Sodomæ Gen. 14. quo *diabolum* adumbratum solent dicere vestri, *Tantummodò animas*, inquit, *mihi tollere certum est, cætera tibi habe.* Etsi facilis est transitus, à dominio *personarum*, ad dominium *rerum*, alterumq; alterum secum rapere gestit. Idq; vestra, ni fallor, exempla declarant, vos personarum dominio non ferè contentos, rerum etiam persæpe appetere, vt cum *Alexander ille 6. Ferdinando atque Elizabethæ Hispaniæ Principibus, dominium omnium occidentalium insularum, Maris Oceani, & inuentarum & inuehiendarum, per Bullam* concessit, vt ait Bannes. In Relec. de cã re. 2 Nec dubitat Victoria expeditiones suorum hominum, non animatã lucrandarum, sed prædarum acquirendarũ spe susceptas, quod etiam deplorat. Accusas secundò, quòd cùm ius hoc Bellarminus *Ecclesiæ* tantùm tribuat, neque alijs, Episcopus indefinitè rem ponat, quasi aut priuatis, aut etiam Regibus Christianis hoc concedat, Reges infideles de suo solio deturbare. Mihi contrà, moderatior illa locutio videtur, non solùm non inuidiosior, *posse priuari*, non definiendo per quem. Vt verò per priuatos, aut per Principes Christianos, nemo suspicabitur è sententiâ vestrâ, Papam præsumere sibi sponte omnes. At qui dicit *posse*, potest etiam intelligi Concilio concedere, cuius grauior est authoritas, potest & Deo, cui id reuera iuris est. Vnde vestri illi qui Ecclesiæ hoc concedunt, concedunt tamen eâ ratione, quòd Ecclesia, vt fingunt, *authoritatem dei teneat*; Thomas & Valentianus locis à te notatis. Tu verò cur segreges Christianos Principes ab Ecclesia? Ecclesiæ vis licere, non Principibus Christianis, quasi Principes Christiani non contineantur Ecclesiâ, quam aliquando in vno homine satis prodigiosè collocatis. *Dic Ecclesiæ, id est, tibi*

Ac

Ac ne in eo quidem bonâ fide agi quiritaris, quòd *innoxios priuari posse* dicit Episcopus, vt existimet Lector *sine vllâ iustâ causâ infideles priuari posse dominio suo.* Quam igitur ob causam? *Ob infidelitatem*, inquis. Ergo nimirum & innoxij, extra solam infidelitatem, hoc est penitùs immunes puriq; eius noxæ, quæ depriuationem secum vllam traheret. Nam quòd ita argutaris, infidelitatem, cùm sit crimen læsæ diuinæ Maiestatis, causam iustam videri infideles dominio suo priuandi, quàm multa tibi peccata enumerare possem, quæ ad læsam pertinent Maiestatem diuinam, quæ tamen depriuatione luenda nemo diceret? Imò quodnam ex omnibus peccatum est, quod ad hanc non accenseri classem possit, haud incommodè? In omnibus enim læditur diuina Maiestas, in quibus à lege eius deuiatur. An proinde hæc omnia abdicatione mulctabuntur? Aut si læsio specialis Maiestatis diuinæ, non est in omni peccato, tamen tantum inest *meriti*, (siquidem *merita* spectare placet) quantum non modò deponendo, sed & vitâ exuendo, & tandem condemnando peccatori satis sit. An ergo omne peccatum *depositione* vindicabitur? Sed nec Bannes concedit vt propter quamlibet iniusticiam, regnum de gente in gentem transferatur, etsi ita legimus, *Propter iniusticiam transfertur regnum de gente in gentem*, quod de infidelitate nusquam, nisi fallor, tam apertè. Tum, verendum, ne Pontifex ipse non satis securus, siquidem hoc obtineat. Mouebitur & illi candelabrum quàm cito? Neque enim is est Pontifex, teste Canone vestro, qui in *infidelitatẽ* incidere non possit. An ergo placet ei sancire, vt *deponatur infidelis*? Vt ne dicam, quòd haud omnis infidelitas rea est vestrorum hominum sententiâ, quod te Victoria docere potuit, qui putat infidelitatem ante prædicationem Euangelij non esse peccatum, nec mereri condemnationem. In quo nec Valentia ab eo dissentit, qui aliam *culpabilem*, aliam *negatiuam* infidelitatem distinguit. Etsi illud non rectè, quòd existimat vbi subditi fideles existant, non posse contingere *moraliter*

3

Eccleſiaſt. 10

Can. Si Papa. diſtinct. 40.

loquendo, vt Princeps negatiuâ infidelitate laboret. Ex ijs enim auditurum de veritate. Quasi primò tam pauci esse non possent, vt Regiam noticiam planè fugerent, cùm multa millia fidelium latitâsse legamus in Scripturis, solóq; deo perspectos fuisse: deinde autem & iudicium suum sibi habere, cùm non semper adsit occasio confitendi.

Sed quid cesso tibi clarissimas scripturas obijcere, quibus derideatur *nouitas* huius assertionis tuæ, damnetur impietas? Nonne dictum est ad fideles, *Date Cæsari quæ Cæsaris sunt*, Matth. 22. qui tamen infidelis & alienus? Quæ ergo te lex liberat ab obedientiâ infidelium? Nonne *omnis anima ijs subijci* iubetur, nec solùm propter *iram*, id est, metu cladis, cùm desunt vires temporales, verumetiam propter deum & propter *conscientiam*? Cum tamen * περὶ τῶν ἐθνῶν loqueretur ἐξουσιῶν. id est de profanis principibus, & leones te gregi non tutricios exhibentibus. Quòd si non est potestas infideli supra fidelem, cur ergo meminit S. Paulus fidelium sub *iugo* 1. Tim. 6. id est, sub Ethnicorum dominorum seruitute ingemiscentium, quod tamen non excutere, sed cum omni obedientiâ defungi iubet? Quid Petrus de dyscolis, de auersis ac præposteris, ne nulli nisi lecto à te Domino parendum putes, quod fastidium est hominum Iesuitarum? Tum qui scribit ad compresbyteros suos, id est, Clericos & ministros, annon iubet vt *Regi tanquam præcellenti* deferant, & ducibus etiam magistratibusq; ab eo missis obtemperent? Qui tamen, si vos audimus, omnes fideles sub potestate constitutos, vnico verbo exoluere potuisset. Ac non solùm Christianos, sed pastores etiam ipsos, & præsides Ecclesiasticos, eâdem vt videmus obedientiæ lege comprehendit, obedientiæ inquam erga Ethnicos, & persecutores, & profanos. Tam longè tum ignotæ fuerunt hæ deliciæ vestræ, magistratum à deo impositum pro libidine summouentium, & nescio quem alium vestri stomachi adoptantium. *Nolumus hunc super nos regnare.* Quid Concilium

* Rom. 13. 1.

1. Pet. 2.

Gan-

Gangrenſe, nec recens, nec obſcurum? Quod προφάσει εὐσεβείας, i. *occaſione pietatis*, vel *occaſione relligionis*, quæ illa *occaſio* eſt ſcilicet, quam vos ſic ampullamini, neminem filium à patris ſui, ſeruum neminem a domini poteſtate ſe ſubtrahere vllo modo permittit, ac proinde ne à Regis quidem ſui ſubditum: Can. 3. & can. 16. Vbi μάλιστα τιτῶν inquiunt, quaſi eandem proculdubiò legem & ἀπίστων ponant. Imò quod plus eſt, ſortiuſq; (neque enim patrem tam obſtrictum filio, quàm filium patri, omnes opinor, concedant) Can. 15. nolunt patrem renuntiare liberis prętextu ἀσεβείας, quamvis impijs, quamuis ſacrilegis, Ethnicorumq; totis. Loquuntur enim de adductione eorum πρὸς θεοσέβειαν τὴν προσήκουσαν, quaſi adhuc alienorum. Nedum patri filius, i. Regi ſubditus, eâdem de causâ, renuntiet. Vos tamen & extra ἀσεβείαν, quæ ſeueriſſima Chriſtianitas eſt, vel ob meram *relligionem*, quod certè minus, hoc veniæ datis. Nec dubitem ex Apoſtoli illo loco idem effici, quo fidelem ſe à curâ domeſticorum ſuorum remouentem (propter fidem puta, & relligionem, quâ ab illis differt, quæ & veſtra iam ratio eſt, ſiue amentia potiùs) non modò non ferendum laudandumve autumat, vt fidei tenacem, ſed peius infideli quouis damnat. Contexe cætera. *Fidelis* (inquis) *non tenetur imperio infidelis. Indigna ſeruitus hac homine Chriſtiano.* Quaſi Ioſeph non ſeruiuerit infideli domino, ſub quo tamen virtutis detrimentum nullum fecit, ac multa potiùs præclara documenta edidit, vt longo diſcurſu probat Theodoretus, de Prouid. dei, c. 9. Quaſi Iſraelitæ, in Babylone, ſub Ethnico non conſenuerint, à quo tamen reijciendo atque à gubernaculis detrudendo, tam longè abfuerunt, vt in eius pace poſitam putarent ſuam. Quaſi fideles quidam non fuerint & ex familiâ Neronis. ad Phil. 4. quorum etiam tantò ardentior fuit pietas in Eccleſiam, vt ij *vel maximè* fratres ſalutauerint. *Maximè* verò (inquit) qui ex Cæſaris ſunt familiâ. Quaſi poſtremò Iulianus, non infidelis ſo-

1. Tim. 5. 8.

Ierem. 29. 7.

lùm sed Apostata, id est, longè dirius monstrum sententiâ vestrâ quàm infidelis, non obsequentissimos sibi habuerit Christianos milites. Legatur Augustinus in verba Psal. 124. *Non requiescet virga peccatorum super sortem iustorum.* Quæ verba, si vel tantulum huc propendissent Augustinus, præclaram ei materiam suppeditare potuerunt, Iesuitici huius vestri furoris fouendi. Qui tamen quàm diuersus, & in alia omnia? Mitto cætera, quæ iamdudum à nostris prælibata intelligo. Illud rogo quale tibi videtur, quòd Christum sic alloquentem fideles introducit, qui infidelis domini iugo grauantur, & non solùm præcepto suo, verumetiam exemplo, ad patientiam instruentem? *Non ideò Christianus factus es, vt dedigneris seruire.* At vestra opinio hoc fert planissimè. Vultis enim vt fideles ne ampliùs seruiant Pagano, emancipante eos Ecclesiâ. Pergit. *Exemplo meo serui, quia prior ego seruiui iniquis.* Ecce Christum ipsum Dominum inter exempla seruientium infidelibus & iniquis. An membro id turpe sit, quod capiti tam glorioſum? *Ille fortè impius est & iniquus, tu iam fidelis & iustus. Indignum est, vt iustus & fidelis, seruiat iniquo & infideli.* Ipsissima oratio Pontificiorum. At, *non hoc ei dixit, sed vt magis seruiat.* Vestra tamen omnis ratio de exemptione fidelium, procedit à dignitate filiorum dei, & quòd indecens sit eos alienis dominis mancipari, qui semel in Christi clientelas concessere. Quasi quicquã magis deceat discipulum Christi, quàm in omni conditione præclarum moderationis suæ specimen edere, & vtrisq; , vt ait Apostolus, armis instructum, tam illis libertatis quæ vocat dexteræ, quàm oppressionis & angustiarum quæ sinistræ, communi domino & inter Ethnicos palmas acquirere. Præclarè Chrysostomus, homil. 33. in Matthæum, Ἡ δ' ἀρετὴ οὐκ ἀναλλάττεται τῆς δεξιᾶς, ἀλλὰ δύλους ΜΕΝΟΝΤΑΣ ἐλευθέρων ἀποφαίνουσα σεμνοτέρους. Quod tu ne extenues, aut parui facias, ὁ γὰρ δοῦναι ἐλευθερίαν (inquit) πολλῷ μᾶλλον ἐστί. Hæc ille. Libertatem certè eam, quam assecuti sumus per Christum, in in-

demni-

demnitate à morte, & à peccato consistere, non in nescio quâ immunitate à foro politico, non * Durandus solùm vidit, quanquam vidit imprimis, sed quiuis vel leuiter Theologicis tinctus agnouerit. Quàm absurdè verò Valentinianus, ad illum locum Augustini, vt intelligas nihil tam sanctum esse quod audacia non proculcet? *Solùm vult* (inquit) *quòd non liberentur tales à seruitute iure diuino, non autem negat quòd liberari possint iure humano Ecclesiastico.* Nullumne modum contumeliæ ponent perditi? At ius diuinum est, & per verbum imperativum ibi expressum quod ait Christus, *Serui*, imò, *Serui exemplo meo, quia prior ego seruiui iniquis. Item, Non hoc dicit* (vt liberetur scil.) *sed vt magis seruiat. Dicit vt seruiat*, & *serui*, inquit, &, *exemplo meo serui.* Ecclesiane igitur hoc abroget, aut ius quoddam humanum Valentiane Gregori, quod tam disertè iure diuino statutum est, quod Christi domini ore promulgatum? Nam quòd ita quidam limitant, *Ne nomen domini, & doctrina blasphemetur*, id est, illis interpretibus, ne scandalum oriatur, cessante autem scandalo quidvis efficite, quòuis irruite, quemvis perimite, quàm absonum, quàm absurdum? cùm illa non exceptionis cuiusdam verba sint, aut restrictionis casualis, sed perpetuæ rationis, ne quid tale tentetur. Sicut de amore vxorum officijsq; erga maritos, Tit. 2. 5. & alibi sæpe. A Thomâ tamen hoc subortum dimanauit ad reliquos, & vnius sententia facta est omnium consequentium.

In 3. distinct. 44. quæst. 3.

ENIMVERÒ prodit se nitedula, & lumine suo redarguitur, cùm negat Bellarminum hoc sensurum fuisse, aut in vetere sententiâ suâ nutaturum, nisi Durandum obrueret authoritas Thomæ. Thomæ igitur authoritas Durandi rationibus, & mentiar nisi enucleatissimis, præponderabit. Quid ibi non discussum quod Thomas attulit? quid autem non refutatum cui ille confisus est? Totum articulum totidem propè verbis, in librum suum transtulit, & politis-

CAP. 6.

litissimum accuratissimumq; in modum, contrariæ disputationis errata castigauit. Quale illud est, de eligendis iudi-
1.Cor.6 4. cibus à Corinthijs. Nempe differunt toto genere, arbitraria & electitia voluntariaq; iudicia, à necessarijs dominijs ac prælationibus. Atque hoc Durandus imprimis vidit. Iam verò ea argumenta obiecit atque oppositit, quæ nemo horum soluendo sit. Vnde ipse Valentianus, quem citat aduersarius in causæ suæ patrocinium, ait tamen *probabiliter* à Durando argui, & de Thomâ mox loquens, non certè plus dicit, quàm eum *probabiliter* quoque dissentire. Ecce igitur grauis causa, cur prima tua sententia Bellarmine relinquatur, tot præsertim exemplis, tot rationibus, munita, tot sacrarum literarum præceptis vallata, vt Sanctuli tui studio, & nescio quâ veneratione tam chari capitis, non magis Durando quàm ipsi veritati, & liquidissimo tuo sensui iudicioq; renuncies. Vellem equidem liceret & Bannem expendere, & Valentianam disputationem huius rei libare, quandoquidem hos authores citat aduersarius. Etsi toti ex Pontificis manicâ manticâq; suspensi sunt, ac proinde ad testimonium dicendum inepti, tamen puderet eum assertionis suæ, cùm, quâ illi ratione eam tuentur,
1 considerarat. Negat primò Valentia, de dominio *antiquo, & præexistente*, ante distinctionem fidelium ab infidelibus, tantum autem impediendum ait *quoad eius potest nouum*. Quasi nos non dicamus, impediendum quoque, quoad eius fieri potest, si tamen nullas nisi debitas iustasq; impediendi rationes complectare. Vt si agatur cum infideli, vt aut regnum repudiet, aut fidem amplexetur, vel si quid simile. Non enim parricidijs, & proditionibus, licebit, & seditionibus, obsistere, infideli regnaturo, sed neque per
2 sententiam fideles eximere. Concedit fideles non esse liberos *de facto*, in casu quo ab infidelibus dominis premuntur. Ne Ecclesiam quidem hoc posse, nisi *quatenus authoritatem dei repræsentet*. Ostenderet nobis Ecclesiam ex scripturis ἰσόθεον. Sed nunquam dicitur Ecclesiam *sessu-*

ram

ram alicubi, & se ostentaturam, quasi deus esset. Nouimus qui vir isto elogio demonstretur. Ecclesia quidem ipsa subiacet præcepto, de non repellendo legitimo magistratu, & quantauis varietas casuum incurrat, in pace *lilia*, in persecutione *rosas* profundit. Vtraque tempora eius commodis seruiunt, atque haud scio an hæc etiam tristiora sæpe magis. *In pace amaritudo mea amarissima*, ait ille. Atque, aut *obsequendo* aut *persequendo*, seruit maior minori, i. Paganus Ecclesiæ, inquit Augustinus. *Seruit* igitur *utrinq;*. Vide Chrysost. ad Stagirium, toto tractatu, & Orat. 2. in Babylã, & alibi sæpè. Estne quid aliud? Dicit, *posse priuari dominio suo infideles, si subiecti sint Ecclesiæ aut eius membris.* Quis dubitet, quin ei fas fit te servum eximere, qui sub suâ potestate habet dominum tuũ? Tam lentè timidèq; procedit in causâ, & postremò non dissoluit ne ea quidem argumenta, quæ ipse obiecerat. Nam cùm dixisset in *tertio, etsi constaret infidelitatem mereri abdicationem, tamen nobis nec argumentum, nec reuelationem vllam suppetere, ex quâ sciremus Ecclesiam authoritatem habere hoc exequendi*, nihil ne dicis quidem causa rettulit, vnde lectoris scientiæ hac in parte satisfaceret. Similem ieiunitatem præ se ferunt cætera. Reliquum est vt Hostiensis nos magnopere commouerat, quem opinatum significas, omnem potestatem Principum infidelium de facto cessâsse per aduentum Christi, atque in eius vicarium translatam esse. Egregium nobis adulatorem commemoras Eudæmon-Iohannes, ὃς τῷ Ξέρξῃ καὶ Θεμιστοκλεῖ, vt ait Lucianus, & dignum Pontificiâ patellâ operculum. Quid illius frons pectusve non sustineat, qui in aures Domini sui his verbis influeret, vel potiùs palpo tam crasso illuderet? Sed nihil est tam absurdum, quod aliquis Canonistarum non aliquando somniârit. Scilicet hoc nulli Scripturæ contradicit, hoc & sacra pagina, & Ecclesiastica historia, & praxis Martyrum vberrimè comprobat. *Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.* Nonne hæc tibi sæculi illius verba videntur, quod ferocia

Serm. de Temp. 3

4

περὶ ἀνδρὸς μισοθεωτάτου.

Paganorum,& Christum,& Christianum nomen, lacerantium,fuit infestum? Quanquam dicere soletis, sæculum illud *patientiæ* fuisse, quasi nondum adultâ Ecclesiâ,hoc iusti roboris & vigoris. *In sui nouitate* (inquit Aquinas satis dilutè) *Ecclesia nondum habebat potestatem terrenos principes compescendi. In sui nouitate.* Illum verò explicare & respondere nobis oportet, quo iure deinceps nacta sit eam quam tum non habuit, vt fatetur, *potestatē*. Ac miror quòd aduersarias omnes potestates & dominationes destruendas in illo die dicat Apostolus 1. Cor. 15. regna viz. Christo seruire detrectantia, cum si Hostiensi credimus, satis ea sic iamdudum debellata, deuicta, detriumphata sint. A Christo enim exinanita, & in arbitrium translata sunt Pontificis Romani. Eum deinceps victorem expectant, ab eo pendent, is si iudicat expedire, cessant illicò. Bone Deus, qualem Christum imaginantur Carolistæ? Qualem fortè, nec qui Regem olim à se factum, & Cæsari oppositum. Sic lapis ille excisus de monte, sine manibus, omnia mundi regna fulgentia collisit? Sic Shilo nisi sceptro conuulso non prodijt? A quo tamen nec Augustus sibi iure vnquam timuit, nec Herodes, nisi valde ridiculè ac turpiter. Sed non est mirum, si tibi *nouitas* nulla videatur de tot Cardinali obiectis ab Episcopo, qui *nouum* à parasito datum *Christum* loquare, nec cohorrescas.

2.2 Q. 1. art. 2. resp. ad 1.

CAP. 7. p. 349. Farall

QVARTA nouitas. *Pontifex olim Imperatori de iure subiectus non erat.* Et notas in margine, *Grauis suspicio impostura Tortoris.* Quid ita? Quia cum sequatur in Bellarmino, *etsi de facto fuit*, ille primis verbis contentus, reliqua non adiecerit. Quasi Episcopo non licuerit, dissimulatâ posteriore sententiæ clausulâ, quâ aut Pontificem astutum, aut Imperatorem iniustum fuisse fingitis, illum, si alieno dominio se submittebat, istum, si in ordinem redigebat eum, in quem nullum diuinitùs tributum ius habebat, primam orationis partem expendere, satis notoriâ præsertim falsita-

te

te laborantem, eamque lectori exibilandam proponere. Quid enim tam novum, quàm Pontifices Imperatori non fuisse subiectos, *cui orbis terrarum*, inquit Chrysostomus, *non habet parem: qui dignitate præsidet toti generi humano*, inquit Gelasius: *quem à Deo secundum*, inquit Tertullianus, *colimus, post deum primum*, & rursus, *omnibus maiorem solo deo minorem*, & rursus, *ante omnes deos, super omnes homines.* Quid planius? *Supra quem nemo conscendit, aut se medium interponit inter deum atque ipsum* (inquit Optatus) *nisi fortè Antichristus. Novum* hoc ergo, vtinam & *nouissimum*, ex tot *nouis* vestris. Nam quòd ita ratiocinaris, *omnes qui tenent exemptionem Clericorum esse de iure diuino, idem sentire, atque eos etiam qui contrarium autumant, velle enim vt se Pontifex alioqui, soluat pro arbitratu*, deliras qui his offucijs nos occæcari posse putas, vt quod tuorum aliquis dixerit triobolarium hominum, id statim inter antiqua dogmata computemus. Quasi quicquam tam antiquum sit, quàm illud Scruatoris, *Quæ deus coniunxit, homo ne separet*, itemq;, *quæ deus obstrinxit, homo ne emancipet.* Sed quia Sotos, & Couarruvias tuos, & Medinas, nobis iactas, qui cum negant exemptionem esse iuris diuini, Pontifici tamen eam in manu esse velint, opponamus his mutis testibus tuis disertissimum iudicium ipsius Cardinalis. Ita enim *nouitatis* abundè conuincetur, aut sibi renunciando aut veritati certè, aut vtrique. *Quòd Pontifex ciuiliter subiectus esset Ethnicis Principibus, de iure, & de facto, patet. Lex enim Christiana neminem priuat suo iure, & dominio. Sicut ergo ante Christianam legem homines subiecti erant Imperatoribus, & Regibus, ita etiam posteà. Quare Petrus & Paulus passim &c.* Hæc ille. Qui & suo iudicio, etsi nullum aliud afferret, illos quos tu dicis pedaneos homines debellat, & ratione atque Apostolo fretus, multò magis. Et tamen aut fauebat opinioni, de *exemptione iure diuino*, cum hæc scriberet, Bellarminus, aut repugnabat. Vtrum fecerit, vides non ab omnibus solui Pontificem iurisdictione Imperatoriâ, quod tu affir-

Homil. ad Antioch. Epist. ad Anastas. Imp.

Ad Scapulam & in Apologetico.

Lib. 3. contra Parmen.

lib. 2. c. 29. de Rom. Pontif.

mas. Neque dicas mihi Bellarminum retractâsse sententiam. Nam non quæro quid ille iudicet, aut iudicârit aliquando, sed quid eum iudicare necesse sit, qui sententiæ de exemptione vel faueat, vel secus.

CAP. 8. p. 350. Parall.

QVINTA, si *nouitas* non est, nulla est. *Ad Regium imperandi morem* vocari hominem piscatorium & pastoritiam. *Proportione quadam*, inquis; quæ scimus quàm latè se *proportio* extenderit, vt inauratis crepidis, & versicolore chlamyde, prodeat Dominici gregis Antistes, alterum stomachante S. Bernardo, alterum, vt est impudens, defendente Turrecrematâ. Sed quid tandem hîc affers, vt mirari desinamus, atque vt æquiùs interpretemur has ampullas Cardinalitias? *Reprehendit* (inquis) *& ipse hanc loquendi rationem potiùs quàm planè probat, quòd propter breuitatem videri possit obscurior.* Habemus ergo *nouum*, & *nouantem* Cardinalem, qui suâ dictione ipsemet offenditur, qui ea limat quæ tam cogitatè scripserat. Quod nobis ad patrocinium *nouitatis* satis est, non enim placet resipiscenti & se emendanti insultare. Vide tamen, ne alio fine nos remittat ad librum, 1. de Pontif. Rom. cap. 15. quàm à te afferitur. Non enim quasi phrasim illam commodiore temperaturus, *Pasce, id est, regio more impera*; sed confecutionem argumenti redditurus illustriorem, quam festinatio & angustiæ alibi propè suffocauerant. Et certè, *summa potestas* non inferior est *regiâ*; eûm multi sint Reges qui propterea quòd absoluti non sint, iccirco *summâ potestate* non gaudeant. Tuni, qui deo ascriberet *Regiam* potestatem, minùs ascriberet, quàm si *summam* in res omnes. Qui autem *summam*, plus certè quàm si *Regiam* solam. Denique quam vos *summam* Pontifici attribuitis, *Regiæ* conculcatricem & despectricem facitis. Ita parum adhuc profecimus, cùm phrasim molliorem nescio vbi quæsituri, è *Regio* imperio in *summum* incidimus. Atque omninò breuiorem illam primam phrasim dicit, obscurioremq;, quasi lucem & laciniam ali-

bi circumdaturus, nunquam satis amplificatæ sublimitati Pontificiæ. Viden' vt Sullaturiat, vt in imagine adhuc hæreat somniatæ Regalitatis suæ, homo Palatinus,& Marcelli nepos? Quasi verò credibile esset, vt qui antè dixerat, *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem in eos sortitis sunt benefici vocantur, vos autem non sic*; nunc Ecclesiasticum regimen conditurus, in homine piscatore & à mullis assumpto, *pascere* eum iubens, *regio more imperare* hortetur. Vt omittam, quàm absurdè imperium exsculpatur ex verbo *pasce*, quicquid ποιμαίνειν significet profanis, ex quorum ore tu locutum vis esse Christum, cùm pro vno ποιμαίνειν sit geminũ βόσκειν, quod satis erat ad diluendã mitigandãq; ferociã vestram, & illos spiritus attenuandos, nisi omne animi lumen ambitio præstingueret. Sed hûc, inquis, recidit *tota hac nouitas*, quòd summa potestas Ecclesiastica data sit Petro, in verbo *Pasce*. Et nouitas sanè inquam satis stupenda, cùm Petrus ποιμαίνειν deinceps iubens ministros, 1. Pet. 5. 2. non tamen neque suam, neque vllam omnino potestatem, ijs de nouo condonet, sed tantùm ad munus suum fungendum excitet. Sed, *cum de hominis in hominem præfectura sermo est*, ποιμαίνειν, inquis, *imperare significat*. Et tamen ille homo ad homines locutus est, deq; ijs hominibus, qui alijs præessent, nisi aut populus Christianus ita abijciendus tibi videtur, aut Clerus attollendus, vt nec in hominibus quidem deinceps vtriuis communicrentur. Ἡ θεὸς ἀ θέμις. Quod hîc non valet.

Arist. Polit. 2.

RELIQVAE sunt quatuor nouitates, quarum tres compendij causâ ablegabo, & quia nihil in se continent *vindice dignum*, in solâ sextâ paulisper immorabor, de Electione Pontificum, Canonibusq; quos isti expunctum eunt. Quid enim est operis, de Christo *sub speciebus latitante* disputare, quasi Gentilium fabulæ redeant de Saturno, qui vt ait Virgilius, cœlo pulsus, vinitor oberrauit,

CAP. 9. Vide Parall. p. 377. &c.

----*Latiumq; vocavi*

Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Dignum superstitione illâ tenebrisq; commentum, à nostro verò dogmate, id est, Christiano, peralienum. *Deus noster nō habet opus calicibus neque discis*, aiebāt *ille Sanctus*, ac multò minùs latibulo spetierum panearum, θῶς ὀυδὲν ἀπόσιλον, vt ait Apostolus, 1. Tim. 6. 16. & *sole splendidior*, & *cœlis excelsior*, Heb. 7. Quod autem, nec toto peregrinationis suæ tempore, scriptura Christo Domino contigisse refert, vt *lateret*, quamuis sæpe appetitus iustam tegendi sui causam habuerit, multò minùs in eam gloriam conferri debuit, cui omnis mortalium cogitatio succumbit. Huc tamen rem deduxit Transubstantiatio, atque iterum quod in se est, ἐξίστησιν illum ipsum, *cui nihil mortale iam dominabitur amplius*, Rom. 6. Vbi iste, quòd *Berengariano* nomine nos territat, non intelligit parùm *latebras* illas prodesse suas, si ea sequamur quę in Berengariū definita sunt, quominus immane quid dentibus liceat, & tota pietatis ratio convellatur. At hoc etiam in mysterio, *de adductiuâ & productiuâ conuersione* controuertitur. Ad has enim ineptias deuocata Maiestas est dogmatis Christiani, magistellis istis, quæ impensè procliuis est, atque, vt semel cæpit, labitur. Suarius *producit*, Bellarminus *adducit*, *educuntur* & hinc & illinc copiæ, res acerrimâ contentione geritur. Nisi ne hoc quidem *nouitatem* sapere putandum est, cùm inter duos primipilos, & Theologiæ Pontificiæ, & Iesuitici agminis, de *ratione Sacramenti* tam dubiè certatur, cùm Christum ipsum Dominum ita invicem nesciant Coryphæi factionis, vt alter *produci adhuc indies* eum autumet, alter reclamet. Nam quid illud ego exquirā, quod vltimū est è tribus quę trapsilire decreui, an Reges opus habeant consensu populi, postquàm à deo immediatè electi sunt? Vel, an regnum à deo datum non rectè tueantur, nisi nouâ suffragatione populari cooptentur? Siccine vt *regiam* lancem deprimas, exaggeras Bellarmine vel *popularem*, cui alioqui resistere, & te opponere soles, tam animosè? *A deo electi*,

Acta 5. In Triparchiis. Lucæ 6.

tamen

tamen *opus habent*, *opus* inquam, *populari suffragio*, & vox dei sine voce populi parum valebit? Annon legimus in Psalmo, *Vox Domini dividens cedros*, & alibi expressiùs, *Sedans fremitum fluctumq; concionis?* Novus Demosthenes, & *Oceanum* non *Phalericum* modò voce vincens. Et tamen memini quo loco contra Anabaptistas depugnas, quantam securim inicceris dominationi Regiæ. Scilicet tibi ne volenti quidem, idque cupienti, facile est insitum Regiæ authoritatis odium deponere. *Politica omnis potestas, immediatè tanquam in subiecto, est in totâ multitudine, &, Sublato iure positiuo, non est magis ratio, cur vnus quàm alius dominetur.* Vt non mirer, si deum imperfectum electorem Regum facias, cum nisi iure positiuo, id est, multitudinis consensu accedente, non magis ad Davidem, quàm ad ipsum Doegum, imperium pertinere statuas, quantumvis millies diuino iure David rex sit. Perge. *Pendet à consilio multitudinis, constituere super se Regem, vel alium magistratum.* Quidni ergo vicissim ab eius consilio pendeat (si tamen consilium in plebe vllum est, quod negat haud immeritò vir ille eloquentissimus, *Non est ratio, non sapientia, non iudicium in populo*) exauctorare cùm velit atque deponere? Tam præclarè Anabaptismo viam sternis his postremis, nam prima illa præludia sunt haud obscura Atheismi. Et quid aliud iam restat, concitato populo, & glisceente factione, nisi vt illud audiatur, *Non est pars nobis in Davide, neque in filio Ishai, ad castra Israel, dispergimini vnusquisq;?* Hoccine non est *nouum*, quod alterum propè seminarium *rerum nouarum* dici meretur? Similia fere sparsa sunt per totum opus. Lib. 1. de Clericis c. 30. *Vnusquisq; circa statum propriæ personæ liber est, & potest relinquere Principem sæculi*, id est, *Regem suum naturalem*, quem paulò antè vocauerat *superiorem ciuilem, & se totum Episcopo in Clericatu, vel Abbati in Monasticâ professione, committere.* Item, *Translato domicilio, desino esse subditus, & eligere possum statum magis mihi conuenientem, quamvis per accidens*

lib. de Laic. c. 6.

sequatur, vt Princeps subdito suo priuetur, nec tamen iniuriam illi fecisse videbor. Ibidem. Cæterùm vt aliquid habeat oratio extremum, veniamus ad id quod omissis reliquis solum persequi & tractare decreuimus, de electione Pontificis ita à Clero pendente, citra suffragium Imperatoris, si Bellarmino & altipulatori eius Andreę credimus, sicut modò, vti populo ius omne Regis eligendi transcriberet, deum quoque ipsum à Comitijs remouit.

CAP. 10. p. 253 Parall.

AVT *historiâ, aut Canone, niti*, inquis, *oportet electionem Pontificis per Imperatorem, quâ de agimus.* Nam illud nunc omitto, quòd negas Bellarminum affirmare, hoc quicquid est, de Imperatore non admiscente se ad Comitia Pontificia, sed tantùm *innuere quid sibi verius videatur.* Quasi illud Bellarminus non sit putandus dicere, quod sibi verius videri agnoscit. *Potest, & fortè debet,* (inquit) *Imperatorum nomen deleri.* Ille verò suum studium satis significat, cum suo *potest, & fortè debet*, qui non nomen ex codice, sed authoritatem ex orbe terrarum, delere vellet, siquidem posset. Nam *debeat*, necne, non admodùm curat, & illud *fortè*, satis est, ad conandum quandocunq; , si modò *possint* hoc sui, si vires modò virique adsint. Sed redeo ad controversiam de electione Pontificis. Historiam repudias, propterea quòd ea non ostendat, vtrum vera electio, an simplex nominatio, ad Imperatorem pertinuerit. *Imò, ex facto Leonis 9.* (inquis) *contrarium colligitur, quia ille Hildebrandi consilio acquievit, & quamvis ab Imperatore Pontifex designatus, tantisper tamen purpuram Pontificiam à se remouit, donec Cleri Romani suffragia accessissent.* Agnosco turbulentum Hildebrandi ingenium, & iam inde à principio Imperatoribus infestum, ac mox eas tragœdias in Ecclesiâ daturum, quibus nihil vnquam simile prior ætas viderat, & adhuc posteri contagio laborant. Sed quid hoc ad historiam, id est ad praxim sæculorum, quod de vno immanissimo portento commemoras, & à bonorum omni-

um auribus animisq; , simulac nominatur, detestando? Ille verò, si Bennoni vestro credimus, non tuliſſet eas moras, quas Leoni obiecit, cùm eâdem, quâ prædeceſſor mortuus est die, in Pontificiam Cathedram, nec Canonicè electus, & contra jus omne fasque, involârit. Vnde illud ab Episcopo quodam audire meruit, quem de tarditate gratulationis reprehenderat, *At tu quidem non tardus, Hildebrande Pōtifex, qui tam citò ſedem nec frigentis adhuc domini tui occuparis.* Atq; hic tamen Hildebrandus, qui *primus* (inquit Onuphrius) Romanorum Pontificum *Imperatores electione hac privare* conatus est, & cætera eorum iura turbare, quique in Leone illo 9. tantus contēptor Imperatorij calculi à te prædicatur, tamen pro eâ quâ flagrauit Pontificatûs cupiditate, *nullâ unquam ratione adduci potuit, vt conſecrari vellet, & coronari, donec Imperatoris, & Principum, ſuper electione ſuâ exquireret voluntates. Primum igitur, ſtatim poſt electionem ſuam, Præſidi Cæſareo, in Italiâ, de ſuâ creatione ſcripſit: Eâdem ratione, Imperatori Henrico 4 tum in Germaniâ agenti, per legatos ſuos cauſam & modum electionis de ſe per violentiam Romanorum factæ renunciauit, aſſerens, & ſi electus eſſet, quia populi furentis voluntati reſiſtere non potuiſſet, ſe tamen nunquam conſecrari voluiſſe, nec velle, nec Pontificatûs adminiſtrationem ſe unquam acceptarum, niſi prius ipſius, Germaniæq; Epiſcoporum, & Principum, adeſſet conſenſus. Atque ob eam cauſam, quam primùm à populo poſt electionem ſuam liber dimiſſus fuit, ſtatim Albanum extra vrbem conceſſiſſe, ne contra morem ab eodem populo conſecrationis manus accipere cogeretur. Literis autem ſuis ab Imperatore acceptis, Epiſcoporumq; comitatu congregato, diligenter Gregorij 7 electio examinata fuit. Cum verò Imperator &c.* Hoſtis vnus Imperatorum, quo nullus capitalior, inuasor, irruptor, disturbator iurium eorum, & maximè circa hanc ipsam electionem, tamen tam longè ab eo abfuit, *ſimplicem nominationem ſolam* (vt Bellarminus frigidè vocat) Imperatori vti concederet, circa eligendum Pontificem, vt non antè se Pontifica-

Onuphr. de varia creat. Rom. Pontif. l. 4. vnde vitam Greg. 7 Gretserus excerptam publicauit in Apologia.

tum adeptum cogitaret, & *verum, legitimum, ac indubitatum agnosceret Papam* (verba sunt Onuphrij) quàm Imperatoris, & Principum, consensu confirmaretur. Vide cætera apud Goldastum, id est, malleum Gretserianarum nequitiarum ac prauitatum, sed certè fontem reconditę lectionis augustissimum, c. 13. *Replicat. pro Imperio*, vbi non vnum sed multos ad Gregorianum hoc exemplum Pontifices adiungit, qui omnes electioni suæ diffidere, nisi Imperatore propitio approbarentur. Sed & Platinam tuum vide, non vno idem loco adsignificantem, ac postremò ad Azorium, id est, dignum oculo tuo hominem te reflecte. Sic igitur Azorius, *Multi hactenus tradiderunt à tempore Damasi Papæ hoc nomine primi, in electione Romani Pontificis interposi capisse authoritatem Imperatorie, & primùm quidem schismatis tollendi causâ, ad sedandos tumultus & contentiones dirimendas, vti à Valentiniano composita est inter Damasum & Vrsicinum, ab Honorio inter Bonifacium & Eulalium. Nam Rescripto ipsius Valentiniani, Damasi electio firmata est. Iussit quoque Honorius Imperator Eulalium vrbe pelli, & Bonifacium in Pontificem confirmari conuocatâ Romæ Synodo 252 Episcoporum. Et à Theodorico Rege, inter Symmachum & Laurentium. Ambo enim isti, Rauennam profecti, iudicio Theodorici, Regis alioqui Arriani, sese subiecerunt. Symmachus declaratus est Pontifex, eò quod primò & à pluribus esset electus. Deinde etiam extra schisma, ne forte tumultus contingeret. Imò eò res paulatim deuenit, vt sine Imperatoris assensu consecrationem suscipere Romani Pontifices electi non auderent. Duranit hic mos à tempore Iustiniani Imperatoris, vsque ad Constantinum huius nominis quintum, qui Benedicti secundi sanctitate permotus, permisit liberam vt anteà potestatem, Clero Romano, designandi & eligendi Pontificem. Posteà Adrianus Papa, conuocatâ Synodo Lateranensi, Episcoporum 153, quod anteà nulli Imperatori concessum fuerat, etiam eligendi Pontificis ius, ob pulsos Italiâ Longobardos, Carolo magno concessit.* Addit, *Iustissimis de causis, hoc ius Imperatoribus abrogauit*

Ioannes 13. Greg. 14. Sylvest. Clem. Dionys. Vict. Nicolaum, Sergium &c.

Moral. Iustit. part. 2. l. 4. c. 24. §.

Gregó-

Gregorius 7, & cum hominem nominauit satis est, vt credamus scilicet nihil ab eo geri potuisse nisi *admodum iustè*. Quanquam memorat etiam schismata trium Paparum, vno inter se tempore de Pontificatu digladiantium, vt persuadeat nobis Gregorium nihil fecisse sine causâ. Metuit enim, ne illa probra sua nimis tardè innotescant, nisi domestico præconio propalentur. Quæ deinde euomit contumeliosè in Papas, quos malarum artium haud dubitanter accusat, ad quas tamen necessitate compulsos videri vult, quasi vlla necessitas tantum facinus excuset, contumeliosissimè autem in Imperatores, quos modò *violentos*, modò *astutos* vsurpatores facit, alieni, diuini, & nihil ad se attinentis iuris, pluribus nunc non persequar, quia cùm solâ Iesuitæ authoritate nitantur, cui nihil tam familiare est quàm *maledicere melioribus*, & de quouis detrahere, vt causam obtineat, refutatione non indigent. Hæc breuiter de historiâ perstrinxisse sufficiet.

SED negat de *Canone*, idq; etiam exertiùs Eudæmon-Iohannes, quinq; pugnans argumentis, Canones illos vel antiquissimos, *Hadrianæ*, & *in Synodo*, suppositicios esse, atque à Sigeberto confictos. *Primùm*, inquit, *quòd inscriptio sic est apud Gratianum*, EX HISTORIA ECCLESIASTICA. At quis vnquam vocauit Chronicon Sigeberti, *historiam Ecclesiasticam?* Non tam enim res Ecclesiæ, quàm Imperij variorumque regnorum exequitur, ac proinde *Chronicon* opus ipse suum nominauit. Quod idem sibi voluit Abbas Montensis, ad annum 1112 de Sigeberto loquens in hæc verba, *Descriptor temporum in hoc libro præcedentium obiit Sigebertus &c. Descriptor autem temporum*, quid nisi *Chronologus* est, aut *Chronographus*, non certè *Eccleſiastica authoritatis?* Adeò illud vel maximè à Sigeberto hoc remouet, efficitq; ne illius inventum æstimetur, quod ab ijs tanquam præcipuum argumentum iactatur, cur in illum competat. Vt ne dicam vix satis com-

CAP. 11. Vide Parall. p. 351 & cõtinentia. 1

modè fieri potuisse, vt Gratianus Sigeberti opus illud aspiceret, cùm eodem fermè tempore vtriq; vixerint, sub Henrico quarto, & Lothario secundo, Imperatoribus: Sigebertus autem non modò in nullâ magnâ gloriâ, sed etiam in permagnâ infamiâ versatus sit, Romæ infestus pariter atque invisus, & à Romanis Pontificibus aliquoties excommunicatus, denique & Alpibus totis à Gratiano diremptus, quo minùs aut requirerentur eius scripta tam cupidè, aut si requirentur, advolarent tamen. Vt credibile potiùs sit, Gratianum nunquam legisse Chronicon Sigeberti, quàm aut illud historiæ Ecclesiasticæ nomine vocâsse, aut antiquiorem authorem, à quo decretum hauserit, habuisse neminem. Nam illud quid hîc addam, suspicionem istam temerè in Sigebertum conferri non debuisse, nec tantum dedecus cineri atque ossibus inuri, alieni quidem fateor à sede Romanâ viri, sed tamen & *Monachi*, vt annotauit Azorius, *qui quamuis Monachus*, inquit, & in bonam gratiam apud Imperatores versati, & nullâ aliâ labe magnopere respersi? Tu quidem quid existimes, quo loco habeas, *falsare decretum*, Canonem supponere, fateor me nescire Eudæmon-Iohannes; mihi certè tanti sceleris crimen videtur, vt nisi manifestariæ conuictioni, & recenti chirographo, & signis insignibus omniq; luce clarioribus, vix credendum arbitrer. Tum, si impostor Sigebertus, an tam fungus Gratianus,* cuius opus quamvis splendidis testimonijs decoratur, nec doctorum solùm hominum, sed etiam Pontificum, & quotquot post Gratianum eum Canonem laudârunt, nihil vt technarum doliue olfacerent? Ex iurisconsultis ij sunt, Baldus, Petrus Ferrarienſis, Antonius de Rosellis, Card. Zabarella, Petrus de Andlow Canonicus Colmarienſis, Nicolaus Frerotius Carnotenſis, Cormerius, Dominicus Tuscus Cardinalis, qui, vt audio, adhuc viuit. Ex Scholasticis, Occam, Marsilius Patauinus, Michael Cæsenas. Ex humanioris literaturæ sectatoribus & candidatis, habes Dantem Aligherium lib. 2. de

Vbi suprà.

* *Frederic. de Senis* Consil. 76. *Marsil.* in praxi, par. 3. num. 14. *Card. Tusc.* practi. concl. iuris com. 3. F. concl. 37. num. 5. Ex Pontif. *Innocent. 3. Eugen. 4. Sixt. 4. Greg. 13.* vide Goldastum.

Monar-

Monarchiâ, Michaelem Coccinium; & quos alios apud Goldaſtum videre poteris, in Replicatione, qui omnes hunc Hadriani Canonem laudârunt. Ego enim digitum modò ad fontes intendo.

Iam quòd nullus Sigeberto antiquior hoc meminerit, falſum eſt. Meminit *Anaſtaſius Bibliothecarius*, ducentos quinquaginta annos Sigeberto antiquior. Sigebertus enim vixit anno 1112. vt a vobis non negatur. Anaſtaſius quando? anno inquit Trithemius 860. Si quæris quo teſte ad Anaſtaſium Bibliothecarium hoc referamus, quod vos intra Sigebertum includere certatis, Onuphrius Panvinius id ei attribuit, Scriniorum Vaticanorum haud indiligentior perſcrutator, quàm ipſe Baronius, fidelior etiam. In vitâ Gregorij ſeptimi Papæ, cum hæc ipſa de Hadriano & Carolo memorâſſet, quæ tantâ confidentiâ modò à vobis negantur, concludit ſic: *Cuius rei meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quem locum Gratianus Canonum collector diſtinct. 63. notauit.* Quid clarius? Et refert ad Anaſtaſium, & hiſtoriam Eccleſiaſticam quam citârat Gratianus, eius non alterius alicuius vult eſſe. Libēter quidē Onuphrium ad ſchiſmaticos aggregaretis, ſed recens eius memoria, & nota in ſedem Romanam conſtantia, & candor, & dexteritas, vetant quicquam ſiniſtri de eo ſuſpicari. Sed an ſolus Anaſtaſius ex ijs qui antiquiores Sigeberto ſunt, hoc agnouit? Quid ſi Pontifices? Quid ſi Cardinales? Gregorius ſextus Pontifex maximus, in oratione quam habuit ad Cardinales, anno, vt inquit Baronius, 1044, qui tamen orationem ipſam callidè prætcrit, quaſi eraſam è memorijs hominum cuperet, & laudat Adrianum de hoc facto ſuo, quòd inueſtituras Eccleſiarum Carolo conceſſerit, & iuſtum tamen putat priuilegium illud deinceps abrogari. *Poterat*, inquit, tunc *rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri.* Hæc ille. Extat oratio apud Gulielmum Malmesburienſem, de geſtis Regum Anglorum l. 2. c. 13. Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis

2

tiensis & Cardinalis Romanus, *qui*, vt inquit Baronius, *scripsit anno* 1059. id est certè diutulè ante Sigebertum, Disceptationem Synodalem quandam contexens inter Regis advocatum, & Romanæ Ecclesiæ defensorem, super electione Pontificis, non dissimulanter alludit ad hoc idem Carolinum ius notissimum. Sed duco te clariùs in rem præsentem. Theodoricus à Niem Episcopus Verdensis, qui aliquot Paparum secretarius fuit, in lib. de Priuilegijs & iuribus Imperij, & Henricus Token, qui legatus in Concilio Basileensi, vices Archiepiscopi & Patriarchæ Magdaburgensis gessit, in *Sylua* sua *locorum communium*, testantur vtriq; *hoc priuilegium seruari Florentiæ pro Imperatoria dignitate.* Et porrò dubitabimus de germanitate eius decreti, cuius authenticum exemplar non modò non delectum est, verumetiam in camerâ Imperiali Florentinâ asseruari solitum, tanto & tam illustri testimonio cognoscitur? Ex his iam suâ sponte cætera evanescunt. Sed tamen ne
3 grauemur aliquid addere. Quòd tertiò comminiscitur, mirum esse quòd hunc Canonem nemo protulerit, ex patronis Imperatoris, in controversiâ cum Hildebrando, de investituris Pontificum, si genuinus fuisset; est ridiculum nihil dicere ad ea quæ proferimus, quæ omni luce clariora extant apud authores, ex silentio nescio quorum, & *authoritate negatiuâ*, quam exibilare solent scholæ, argumentum ducere. Quanquam protulit Waltramus Naunbergensis Episcopus, tractatu de investituris, protulit Henricus ille quartus Imperator, iniustæ Alexandri secundi electioni sese opponens, & eius beneficio vsus, Cadaloum Romanum Pontificem ordinauit. Protulit Henricus quintus defuncto patre, statimq; ab initio imperij sui, Vrbano secundo primùm, deinde Paschali secundo insinuandum curauit. A vobis autem si quis peteret, cur diplomata iurium Carolinorum; donationum item Ludouici, Ottonis, Henrici, nemo è vestris, cùm vsus ferret, produxerit, non Hildebrandus, non Bruno, non Bernaldus, non Anselmus,

nihil

nihil opinor haberetis quod responderetis. Vnde consequens est, vt confecta esse fateamini. Nos autem & alios non paucos nominabimus, qui authoritatem Canoni antedicto detulerint, & sunt illi non proletarij, sed ex ipso Pontificum albo eximij, *Gregorius* 6, *Nicolaus* 2, & *Alexander* 2, atque vno verbo, *tota Romana Ecclesia*, vt ait Parisiensis, quod satis esse debet, ad silentium cuiusvis, & negatiuum suffragium, obtuendum.

Quartò argumentatur, *mendacem esse Canonem, quòd Carolum, capto Ticino, in Gallias, non Romam redire faciat, cuius* (inquit) *contrarium elucet ex historiâ.* At *Romam* inquit primò Rodulphus Columna, Canonicus Carnotensis, in lib. de translatione Imperij: *Omnibus falsiciter expeditis, Regnum Italiæ Pipino filio suo tradidit, & Romam accedens cum Curiâ, iura B. Petro restituit, &c.* Idem testatur Monachus Nussiensis in magno Chronico Belgico, quod publicauit Pistorius pag. 45. Idem Georgius Merula Alexandrinus de Antiquitate Vice-comitum Mediolani, lib. 1. Idem Sigonius deliciæ veltræ, idem Machiauellus hist. Florent. l. 1. *Pontifex Carolum in auxilium vocabat, qui per Alpes Italiam ingressus, constringebat Desiderium Ticini, captumq; cum filijs in Gallias mittebat, deinde Romam proficiscebatur, vt Pontificem inuiseret.* At, *Eginhartus quatuor tantùm Caroli aduentus Romam celebrat. Hic autem quintus numeretur oportet, si qui talis sit.* Respondeo: Eginhartus ipse se exponat. *Quater tantùm illo, votorum soluendorum, ac supplicandi causâ profectus est.* Viden' vt limitentur quatuor isti aduentus, quos tu scilicet solos ex omnibus agnoscis, quòd pietatis & votorum persoluendorum causâ fuerint? At hic noster reipublicæ constitutionem spectauit. Quo fit, vt ijs verbis, alios Caroli aduentus, diuersis videlicet de causis, institutos, *includerit magis*, vt rectè Melchior, *quàm excluserit Eginhartus.* 4

de Reg. Ital. l. 4 in princ.

Sed, *centum & quinquaginta tres Episcopi*, inquit, *quomodo tam citò congregari potuerunt? Quos tamen coijsse refert* 5

Goldast. ubi ante, pag. 160. Habet Decretum &c.

Canon. Aucturuſne tu miraculum, hæc, aut quid tandem? Nam denario pauciores ab alijs referri video. Sed de numero Epiſcopũ nihil eſt miri, quicquid eſt. Audi Goldaſtũ, cui notiot Italia, quàm paterna & materna domus tibi. *Itane*, inquit, *intra ſex ſeptemve menſium ſpacium, non potuere iſti Epiſcopi & Abbates congregari? Aut non fuerunt tot Epiſcopi, in provincijs, tum, ad imperium Italicum ſpectantibus?* Et ne te teneam, ſyllabum conficit, quem vide apud ipſum, Cardinalium 20. ex ipsâ vrbe Romanâ, qui tum quidem Epiſcopi dici ſoliti erant, Patriarcharum duorum, Archiepiſcoporum totidem, Epiſcoporum & Abbatum tam frequenti numero, vt facilè ea ſumma expleatur, etſi maior ſit. Nam quod alij cauillantur, *Generalem Synodum* hanc Adriani vocari, cui tam breue tempus congregandæ ſuffecerat, *generalem prouinciarum Italiæ* intelligerent, non *omnium Europæ*, & nihil abſurdi ſentirent.

Verùm hæc hactenus de Canone *Hadrianus*. Reliqua contemnenda ſunt, quæ de ratione inveſtituræ per annulum & baculum, tanquam ignota ſcriptoribus eius æui, blatit, & quòd nunquam legatur Leonem octauum ſynodum celebrâſſe in Eccleſiâ S. Saluatoris. Quaſi tanti ſit locus, dummodò conſtet de re, aut nullum ſit argumentum, in *Vtopicis* Ieſuitarum, niſi *ab authoritate negatiuè*. Equidem exiſtimo hanc vindictam eſſe glorioſæ antiquitatis in profanos corruptores eius, & hoſtes, & parricidas, quodque adeò deteſtabilius eſt, ſub ſpecie mirificæ veneration is eius graſſantes. Nonne monumentum, nonne loculos honeſtiùs revulſerint, aut paternos cineres maternoſq; diſperſerint, quàm tam barbaram Canonibus vim afferrent? Sed videamus quas nouitates deprehenderit in D. Elienſi. Geſtit mihi ſtylus, ex loco fabuloſo, atque inamæno, digreſſus, lætiore libertatis tanquam aurâ recreari.

CAP. 12. INTENDIT ei litem, de titulo *vnctorum domini* Pontificibus

ficibus adempto, & ad solos Reges reuocato, ac nominatim in Psal. 105. *Nolite tangere vnctos meos*, vel, *Nolite tangere Christos meos*. Quod totum eiusmodi est, vt vel ingenio Episcopi remitti posset, vel iudicio certè enucleatissimo credi, qui etiamsi rationem nullam afferret (vide quid ei tribuam) solâ tamen authoritate me frangeret. Sed in promptu est defensio, ad omnia, quæ, ab aduersario, in contrarium differuntur. *Hic locus*, inquit, *tutos eos facit contra Reges, dicitur enim, Propter eos corripuit Reges, tantum abest vt de Regiâ securitate loquatur.* Quasi Reges fideles, contra Reges exoticos, non muniat apertissimè, totamq; eam manum Ecclesiæ palabundam, cuius iste exiguitatem tantopere exaggerat, & deploratas copiolas non rarò inculcat, in ducum suorum custodiâ saluam faciat. At, *Augustinus exponit vnctos per sanctos Patres: Hieronymus per Patriarchas, & similiter alij.* Quid si verò hi ipsi Patres, & Patriarchæ quos dicis, proportione quadã Reges fuerint, & Regali inter suos authoritate prædiți? Nam & summum imperium sine dubio obtinebant, & Patriarchæ dicebantur, quæ vox vt principatum clarè connotat, ita illum principatum, ex quo Regius præter cæteros expressus est, patrium viz. Vnde Dauid qui & Rex, *Patriarcha* dicitur à S. Petro, Act. 2. 29. Sed discurrendo per singulos, clariùs adhuc idem demonstrari potest. De Abrahamo ab Hethæis disertè sic pronunciatur, *Audi Domine, Princeps dei es inter nos*, id est, magnus quidam illustrisq; Princeps. Quod opinor comprobauit, cùm quatuor pariter Reges & bello persecutus est, & occisione occidit. Nonne Regia verò authoritas tibi esse videtur belli gerendi? Theologis tuis certè. De Isaaco idem constat, cuius vires etiam terribiles fuerunt Regi Palæstino, ita vt non frigidè ab eo contenderit, vti longiùs demigraret, (odiosa enim potentium vicinitas *Regibus*) tandemq; vt in fœdus mutuæ pacis descenderet. Quid dicam de Iacobo, qui arcu & *gladio suo*, id est, proprio & peculiari Regum gestamine, Amorræos,

Parall. p. 263. &c.

Gen. 23. 6.

Gen. 26. 16. vers. 28.

Gen. 48 22.

fortissimos totius gentis Cananiticæ, vndiq; vel cecidit vel fugauit, regionemq; cuius victor, Iosepho filio, testamento legauit, conterminam Sichari, de quâ Iohannis 4.5. Et inscitiâ Episcopo obijcit Eudæmon-Iohannes, aut perperam ab eo accepta prophetæ verba stomachatur, qui ita in eum disputat, vt nesciens quid teneat, reprehendere magis cupidè quàm studiosè exquirere sententiam eius, de hoc toto contextu, velle videatur? Quam tamen, adhibitâ mediocri diligentiâ, non in antiquis modò patribus, sed in suis etiam auctoribus, invenire potuisset. Sed de eo mox. Interim nec Iustinum Ethnicum hoc latuit, *Abraham, Moses, Israel, Reges fuere*, lib. histor. 36. At, *Episcopus Iudæorum furoribus affinis* (sic enim gallatur ipse impotentissimus) *qui vt Christum dominum negent Messiam, contendunt illum materiali oleo non delibutum, ac proinde Messiæ honore alienum.* Imò è contrà hoc imprimis reijcitur ab Episcopo, qui non negat, cum Augustino, eos hîc *vnctos* appellari, qui tamen *materiali vnguento* caruerunt, atque adeò *vnctos fuisse ante vnctionem*, siue propter similitudinem Christi domini quam gerebant, siue gratias eas, quibus præ reliquo populo florebant, sed imprimis propter impressum Maiestatis characterem, qui omnes ad Imperium vocatos
Lam.4.20. 2.Sam.19.21. consequitur, & non vni Iosiæ, aut Dauidi, hoc vendicat, sed & Cyro Ethnico, atque ab Ecclesiâ alieno, Esaiæ 45.1. & Sauli teterrimo omnium tyranno, 1. Sam.26.9. vt *Christi Domini*, & sint, & habeãtur. Tua potiùs est illa ratiocinatio, *Sacerdotem esse Messiam*, ex Leuit. 4. quem scimus *materiali vnguento perfusum.* De quo postea. Sed, *cùm vnctio communis sit toti gregi fidelium, vt non vno Scripturæ loco significatur*, 2. *ad Cor.*1.21, *Qui vnxit nos, & 1.Iohan.* 2.27, *Vnctio eius vos docet de omnibus, cur tandem aut intra Reges solos consistat, aut à generali Christianorum communione arceatur? Quod eò magis ad sacerdotes extendendum erat, propterea quòd ij in reliquo quasi corpore emineant, & sios quidam sint conventus Ecclesiastici. Vnde Act.* 13. *segregati à*

spiri-

ſpiritu ſancto, & Iohannis 20. *miſſi à Chriſto ſicut Chriſtus à Patre,* & 1. ad Tim. 4. 14. *donati gratia per impoſitionem manuum.* Quaſi nos diſtinctionem plebium à Clero moleſtè feramus, aut omnia iam promiſcua eſſe velimus, ordinem membrorum inter ſe turbari, quod contra Apoſtolum eſt, 1. Cor. 12. 18. vel ſi miniſterij dignitatem extollere libêret, non poſſimus æque hoc atque illi copiosè. Quid igitur eſt? Cùm omnes Chriſtiani & fideles *vncti* ſint, ac fortè magis ſacerdotes, quos præ reliquis diuinæ gratiæ participes eſſe non incredibile eſt, tamen negamus illud nomen, illum titulum *vnctorum domini*, cuiquam niſi Regibus in Scripturâ tribui, aut cum quouis hominum genere præterquam Regio communicari. Idque imprimis, & nobilitatem eorun adauget, quos inſignito titulo deũ præ cæteris honorâſſe cernimus, & incolumitati ac ſecuritati præclarè proſpicit, cùm in *Chriſtum domini* nemo ſine ſcelere manum ſuam extendere poſſe dicatur, quod in reliquis *vnctis* locum non habet, 1. Sam. 26. 9. Ac proindè contra raptores, & diſturbatores alieni tituli, omnibus, quod aiunt, vngulis, obnitendum erat. Tandem hoc agnoſcit & euigilat noſter. *Rem igitur* (inquit) *in terminis accipe. Legimus enim Leuit.* 4. 3. *Sacerdotem Meſſiam, id eſt, certè Chriſtum.* Quàm dilutè, quàm miſerè? Nos *vnctum domini*, aut *Chriſtum domini*, *Sacerdotem*, quærimus vbi legatis in Scripturâ, & vos de vncto *ſine appoſitione* reſpondetis. Quaſi nulla ſit dignitas, quòd ad *Dominum* pertineant, aut honor non conſummetur coniunctione horum duorum terminorum inter ſe, *vnctus domini*. Nam & illud in Maccabæis, prævideraṭ Epiſcopus, neſcio vbi ſic legi, *Pontificem vnctum, aut Pontificem Chriſtum*, ſed *vnctum domini*, vel *Chriſtum domini*, & prædixerat iam antè, & perſeuerat adhuc, quòd nuſquam, neque in Canonicâ, neque in Apochryphâ, niſi fortè Tortiana. Ita vos, ceu Sodomitæ, ſcotomænâ percuſſi, mero meridie murum palpatis, ille omni diligentiâ, & ſtudio, & lectione, atque induſtriâ victor, fi-

In Concion. Anglic. in 1. Chron. 16. 22

dem impleuit, titulum asseruit,& à cautis ipsis Lexicographis,Rabbinisq; vel exercitatissimis,sapientiam suam compilauit.

CAP.13. ADVERSARII rationes sic protriuimus, nostras iam subiungere non difficile foret, quibus magnis inducimur, vt *vnctos domini* solos,inter mortales,*Reges* prædicatos, solos proinde prædicandos opinemur. Cum enim ter & tricsies tantùm legamus in Script. *vnctum domini*, vel *vnctos domini*, idq; variè, vt solet, non sub vnâ formâ, semel tantùm in nouo Testamento,de ipso Domino, & Redemptore nostro Luc. 2. in veteri reliqua vsurpatum inuenies. Quater quidem à deo ipso, *vncti mei*, sexies ad deum, *vncti tui*, de deo decies, *vncti eius*, duodecies in *terminis terminantibus*,vt loquuntur,*vncti dei* vel *vncti domini*. Quid limatius, quid subtilius hoc lustro esse potest? Quod totum debemus diligentiæ Episcopi,qui non temerè hoc effutijt, vt tu existimas, sed singulari concione iam antè prosecutus erat, quam tu si legisses, aut si intelligere potuisses, os tibi ad calumniam,& à principio,obstruxisset. Iam collige, & aliquando sape. Ex hac videlicet sylloge, bis tantùm de Patriarchis, semel in Psalmo,iterum in Chronicis,(quanquam vnus ferè locus sunt, & Patriarchæ *principes* fuerunt, vt iam ostendimus, ac ratione quadam *principatûs* hic ijs titulus congruebat) reliquùm vel in Christum solum confertur, vel non nisi in Reges propriè dictos. Habes problema, si firmum,quiesce,sin minùs,refelle. Quòd si ad omnes fideles tum peregrinantes hoc pertineret, quidni etiam prophetæ vocabulum pertineat? Mos enim est Hebræis, variato sermone, rem eandem insinuare, eodem sæpe versu; *Nolite tangere Christos meos*, *& in prophetis meis nolite malignari*. Iidem igitur,& *vncti*, & *prophetæ*, hac ratione. At inconcinnum esset omnes *prophetas* fingere, qui tum sub Patriarcharum signis militabant, ipsi autem & rem & nomen implebant. Abrahamus Gen. 18. qui arcanorum dei

consci-

conſcius fuit, & Gen. 12. de vocatione gentium, & Gen. 15. & Gen. 22. de myſterio paſſionis, vt te Iacobus de Valentiâ tuus docere potuit. Iſaacus item minori præ maiore benedicens, in quo certè, nec ſenſum, nec indulgentiam ſuam, ſequebatur; ſed diuinis tantummodò motibus obſecundabat. Poſtremò, Iacobus, in Ephraimo, & Manaſſe, ſimile quiddam deſignans, ſoloq; cæleſti ſe afflatu gubernans, contra omnium aſtantium voluntatem. Ac multò maximè Gen. 49. dum fata poſteritatis ſuæ recenſet. Vt non noſtra, iam, ſed tua illa *vox Core* ſit, quâ ſeditioſos & perditos loqui facis, *Sufficiat vobis quòd omnis multitudo ſanctorum eſt*, qui, *vt vnctos Domini ſolos Reges* eſſe vetes, *prophetiæ* etiam gratiam cum multitudine communicas. An verò nõ aduerſantur tibi illi ipſi authores quos producis, & Auguſtinus hoc reſtringens ad *ſanctos Patres*, quo promiſcuam multitudinem ſatis excluſit, & apertiùs Hieronymus, oſtendens quorum curam deus geſſerit tam accuratam, vt neminem iis nocere permitteret, ipſoſq; adeò Reges ab iniuriâ auerteret, *ſicut* inquit *Pharaonem in Abrahamo, de Sarâ, ſicut Abimelechum in Iſaaco, de Rebecca?* Hi ſunt igitur illi *vncti*, qui tangendi non erant, hi illi propter quos etiam Reges corripuit, *Abrahamus & Iſaacus, Chriſti domini & Prophetæ*, non promiſcua multitudo, & Pſalmo, & hiſtoriâ, & ſcriptoribus ijs ipſis, qui à te citantur, teſtibus. Poſtremò, Concilia hoc non obſcurè teſtantur, eaq; haud obſcura. Epheſinum generale, in epiſtolâ Cyrilli, ad Monachos Aegypti. Nota veſtra marginalis eſt, ad eum ipſum locum; *Omnes iuſtificati Chriſti nomine quandoque ſignificentur; ſed Chriſtos domini non memorat niſi eos, de quibus non tangendis præceptum eſt in hoc loco, & Saulem quem nulla ſanctitatis gratia illuſtrem, propter ſolam tamen imperij Maieſtatem ac reuerentiam, Chriſtum Domini vocatum refert à Dauide.* Concilium Toletanum quartum, Canon. 74. quod Regum interſectores, & alijs argumentis, & ijs verbis conuincit, *Nolite tangere Chriſtos meos*, & quod dicitur

Comment. in cum Pſal.

Bulle. Venet. p. 264.

2. Reg. 1.

à Dauide 1.Reg.26. *Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Illis autem* (inquit Concilium, parricidas loquens) *nec vitare metus eſt periturum, nec Regibus inferre exitium.* Concilium Francfordienſe etiam dilucidius, quod ita Regibus hanc appellationem vendicat, vt diſertè reliquis interdicat, nec ſuo ſolùm iudicio atque ſententiâ, ſed omnium priſcorum ſacræ Scripturæ interpretum. *Quid verò Dauid putatis dixiſſe de fratribus adoptiuis, vnxit te deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis? Non enim beatus Hieronymus, & cæteri ſanctæ ſcripturæ tractatores, hanc participationem vnctionis de adoptiuis fratribus, ſed de Regibus qui Chriſti vocabantur, intelligi voluerunt &c.* Adde poſtremò authores ipſos tuos, homines ex ſinu Romanæ Eccleſiæ delectos, Genebrardum, & Caietanum, in Commentarijs ad hunc locum. Vt non tibi, procaciſſime, dedocendus fuerit Epiſcopus *de rebus ignotis temerè in poſterum garrire*, vt ais, ſed tua temeritas tibi damnanda, & negligentia iterum atque iterum caſtiganda, quæ, quicquid reconditum eſt, & paulò infra ſuperficiem, novum & nequâ, Græculo, ac tyroni, videri facit.

CAP. 14. Paralip. pag. 371. &c.

ALTER erat locus, *de depoſitione Abiathari, de ſummo Pontificatu, per Salomonem*; quod cum ſatis oſtendat quid iuris Regibus fuerit in Eccleſiam, & vel lectiſſimos præſtantiſſimoſq; ex totâ Iudæorum Hierarchiâ, ſacerdotes, Tortus ſic eluſerat, vt Salomonem non ſuâ neque inſitâ authoritate, ſed diuino mandato id feciſſe aſſeueraret, vel vt ipſe ſe interpretatur, *non quâ Rex, ſed quâ propheta.* Irriſit, nec immeritò, hanc reſponſionem Epiſcopus, Salomonem in Abiatharem ſibi ius vſurpâſſe, vt *prophetam*, quod eodem modo & Holdæ *prophetriæ* licuiſſet ſub Ioſiâ, quæ

2.Chr.34.23. tametſi tum Regem admonuiſſe perhibetur, & conſilio ei ad res præclaras gerendas præluxiſſe, ac nominatim ad corruptum *Cleri* ſtatum reformandum, vt intelligas quid *feminæ* hac in parte liceat, nunquam tamen nec digitulo vno

anni-

anniſa eſt, nec aliquam authoritatem ſuam contulit, quippe quâ Rex ſatis ſolidè inſtructum ſe cognôrat, vt non opus eſſet ex adventitio mutuari. Cumq; *prophetam* interpretem, non executorem, ſententiæ, & ratio ipſa vocis, & ſenſus hominum communis informet, Eudæmon-Iohannj hoc mirum videtur, *prophetiam* nos ex eo metiri, qui & Abrahamum in filio ſuo chariſſimo immolando, & Samuelem in diſſecando Rege Agago, *prophetico quodam munere* functos eſſe exiſtimat. *Aut enim prophetæ*, inquit, aut *ſicarij, latrones, parricidæq; fuerunt.* Quaſi nihil eos à ſacinore excuſare poſſet, præter *prophetiam*, aut non ſit ſatis quòd diuino hoc iuſſu fecerint, ſiue tentârint, aut quicquam *prophetico* muneri ſimile eluceat, in vtrouis exemplorum eorum, quæ commemorat. Neſcio equidem quales prophetas imaginentur Ieſuitæ, ſed nos certè, vel minimùm mactationibus & cædibus propheticam functionem æſtimare didicimus, quæ tota potiùs explicatione diuinæ voluntatis atque annunciatione cernitur. Nec Paulus, cùm Epimenidem, popularem tuum, appellat prophetam, Tit. 1. quicquam eiuſmodi ſpectâſſe credendus eſt, etſi κάκα θηρία Cretenſes indigitans, qualia paſſim nũc in Ieſuitarum collegio reperias, truculenta, peſtifera, ſanguinaria, nec ipſum fortè carminis authorem excepit. Sed ſi hæc inſolens *prophetæ* definitio videatur, quæ extraordinariâ executione quadam miniſterioq; continetur, *audi igitur*, inquit noſter) *quid ſibi velit Tortus, diuinitùs admonitum eſſe Salomonem, vt Abiatharum propter crimẽ perduellionis deturbaret.* Tu verò, vt hoc viderem, non tantùm vt audirem, efficere debuiſti, homo ineptiſſime. Qui locus, quod argumentum, quæ ſuſpicio profertur, in diuinam reuelationem extraordinariam hoc conferendum eſſe, non in Regum poteſtatem ordinariam? Siccine aut imperfecta eſt, in narrationibus ſuis, ſacra ſcriptura, vt Tortiano ſupplemento tanquam Comeſtoris ſomnio inſtaurãda videatur, aut Rex niſi diuinitùs excitatus atque commotus, gladium ſibi à le-

gibus

gibus porrectum non habuit, ad reos læsæ Maiestatis vindicandos? Quin tu igitur illa alia quoq; confers in oraculum, quæ eiusdem sunt generis, *Abi ad agrum tuum, ibi te contine*, &, *Mortis quidem reus es, sed non te interficiã*, quasi dicat se posse illũ pro suo iure interficere, neutiquam verò facturum; quod tamen non omisisset, neque oraculo restitisset, occidere iubenti, si ab eo hæc res omnis authoritasque dimanaret. Potuit enim de suo Regio fortè iure remittere, domino non potuit iubenti non obtemperare. Nam quòd ais, sed timidè, & strictim, & titubanter, hoc ideò sic gestum esse, vt verbum domini ad Heli impleretur, de non relinquendo ex eius domo sacerdote, *impleri* prædictiones & diuinæ possunt & humanæ, etsi nullâ nisi ordinariâ ratione res gerantur, néque opus est *manum illam è machinâ* interponi, vt vaticinia quævis suum exitum sortiantur. Nisi extraordinarium fuit quod milites in Christo domino designârunt, cum vel sortes iecerunt super vestimenta eius, vel acetum ei bibendum obtulerunt, & quæ cætera apud Episcopum vbertim occurrunt, de diuinis prædictionibus, humanâ, quantum satis est, prauitate, consummatis, nullo diuinæ opis interventu. Nec Salomoni tum omninò fortè venit in mentem, de sententiâ, in domum Heli pronunciatâ, etsi inscio Salomone, aut non advertente, id quod vrgebat, consecutum fuerit. Vt ἐκβατικὴ non τελικὴ particula illa fuerit, quæ te cum alijs in fraudem induxit, sicut vos Abulensis vester docere potuit.

Quanquam autem præcipuam ipsam controuersiam amisimus, videlicet quâ authoritate Salomon hoc patrârit, & ad verbi literculã delapsi sumus, quam mirâ cupiditate persequitur hic nugator, vt disceptet quibus rebus *prophetia* spectatur, tamen in eo ipso quoq; argumento satis ieiunus est, ne dicam ridiculus. Vt enim probet, non eos prophetas solos esse, qui quid annunciant, *Samuelem prophetam habitum esse* refert, *qui tamen futurum nihil prædixit*. Quod primò falsum est apertissimè, cùm Samuel etiamnum puer,

Refutantur argumenta Iudæmon. Ioh. 1

à deo

à deo missus, tristem illum nuncium ad Heli apportârit, de clade excidioq; domûs suæ, cuius iste impletionem quandam esse vult, quòd Abiathar à Salomone deinceps depositus sit. Ita ne ea quidem meminit, quæ in promptu sunt maximè, quæq; hærent in causâ, & quæ ipse sibi paulò antè occinuerat. At, *Samuel, quòd de asinis amissis responderit,* 2
Sauliq; patefecerit, propheta celebratus est. Esto. Quid verò hoc ad executionem, aut, cur aliquis ab executione propheta denominetur? Nam scientiam, fateor, rerum vel futurarum, vel aliâ quauis, vt tu dicis, ratione obscurarum; constituere *prophetam*, itemq; explicationem, quæ ex eâ sequitur: factis nondum video *prophetam* æstimatum. Ac 3
quod mulier Samaritana seruatori dixit, *Domine video quia propheta es tu*, dixit, quia occulta vitæ suæ exposuerat, totamq; eam in conspectu suo quasi nudam collocârat, hospes, & ante eum diem ne visus quidem. Sic 1. Reg. 3. 4
propheta fortè rari, quòd non erat ad quos verbum domini fieret, sed non ideò quòd non esset *à quibus* verbum domini fieret, quod esset, si prophetia in faciendo versaretur. Videsne quàm adhuc toto aberres interuallo? Sed, *Eliseus prophetiam sibi ex eo assumit, quòd Naamanem Syrum ad se curandum mitti iubeat, vt, inquit, cognoscat prophetam esse in Israele.* At non ideò, quòd eadem esset gratia *sanationis*, & 5
gratia *prophetiæ*, quas distinguit Apostolus, 1. ad Cor. 12. 9. sed quòd altera alteri comitari soleat. * *Apocryphum* sanè rationem, tibi, loquendi habeto; nos quærimus quid propheta *Scripturis* significet, à quibus illa aliena sunt. Tum periculosum putamus, docti ab Esaiâ, *ad mortuos recurrere* prophetiæ causâ. Quanquam quid si Ecclesiasticus vno alicubi uerbo insolentiusculè vsus fuerit? An ideò hæc perpetua eius ratio habebitur, aut legitimus sensus iam à te feretur? Porrò, hoc pacto, nec Samuelem illum fuisse conficietur, qui Sauli ad Sagas recurrenti apparuit, cùm non aliter illud constet, quàm quòd, apud Ecclesiasticum, *Samuel mortuus prophetâsse* legatur, quod

Ex 2. Reg. 5. 8

6

Ex Ecclesiastic. 48. 14.

* *Elisæ mortui corpus prophetauit &c.*

sic quidem de corpore eius intelligi poterit. In quo, cùm diabolus Saulem allocutus sit, dici potest & Samuelis corpus mortui prophetâsse, non minùs fortè quàm Eliſæi. Quæ adducis ex Euangelijs eodèm recidunt. Propheta enim verbi interpres est, sed populus factis prophetam *dijudicat*; iuxta illud ad Hebr. 2. 4. *confirmante deo signis & prodigijs.* Quanquam aliud est miraculis prophetam spectari, vt visus illustratione, artuum consolidatione, vitâ denique & suscitatione à mortuis, aliud trucidatione, & dissectione, & strage; etsi hæc tu pro vsitatâ tuâ sapientiâ copulas. Quòd *prodigia Prophetarum ideò propria esse vis, quia hominem deo charum, & familiarem demonstrant*, tu sanè hunc amorem tibi & familiaritatem retineto, quæ & Iudæ communis est, & ijs quibus dicetur, *Nescio vos. Nunc collige*, inquis, *solidissimam rationem Torti.* Solidissimum id vocas, quo nihil incertius, nutantius, fluctuantius, dici potest. Non modò nobis non persuadet, verum esse quod affirmat, sed ne ipse quidem constitutum satis habet quid sequatur. Et invicem diffident partes responsionis, & ambæ à vero immanè discordant. *Vertiginosum illum spiritum* te videre dicas, quo hæreticos Bellarminus agitari præmonuit, & à principio operis sui, ne miremur si exempla quædam in consequentibus ipse edat. *Aut peccauit deturbando Abiathare Salomon, aut si non peccauit, fecit vt Propheta, fecit quod diuinitùs ei iniunctum fuit.* Nescio quis suauis homo, è vestris, aliter responderat: *Factum hoc sic esse, & iure factum à Salomone, sine tamen exordinario aliquo mandato diuinitùs, quòd in veteri testamento Regnum excellentius foret Sacerdotio, quod nunc aliter se habet*, si ei credimus. Sed piguit, credo, Tortum, turpissimæ inconstantiæ suæ argumenta cumulare, & nullum *torquendi se* finè facere. Alioqui nec ab hoc tertio *tortu* refugisset. At, cur primò ea dicitis, quæ nullo testimonio sic firmare potestis, vt saltem inter probabilia dogmata censeantur, solâ desperatione coacti autumatis? Tum, si Salomon peccauit, cur

7 Ex Luc. 7.

8 Ex Ioh. 9. 17.

Præfat. ante omnes controversias.

nemo

nemo reprehendit? cur nec diuinus aliquis interpres eum deinceps submonuit, nec scriptura notauit, nec ipsius *cor eum percussit*? An lacinia Regia, non potuit recidi, sine horrore patris, & filius, tam insignem, in sacerdotem dei, contumeliam, aut non doluisset, aut impunitam tulisset? cùm πᾶσα παράβασις ἔνδικον ἔλαβε μισθαποδοσίαν, &c. vt loquitur Apostolus ad Hebr. 2. Chrysostomus certè alicubi satis fidenter, ὅταν μὴ ἐγκαλῶσι ὁ πνευματικὸς, νόμος ἀπολογίας γίνεται τὸ τολμᾶν. Ac, nec solus Salomon in culpâ, si peccauit, *Sadoc quoque vsurpator habeatur oportet*, & flagitio cathedram conscenderit Pontificiam, vt rectè Episcopus. De quo, tibi, ne γρὺ quidem, est, quod mutias, tantùm voces aucuparis, syllabas rodis, ipsas propè literas & interpunctiones diuerberas, ac cùm docere debueris, diuinitus excitatum hoc factitâsse Salomonem, tu de *prophetia ratione* philosopharis, & temerariæ sententiæ defensionem procudis, magis etiam absurdam. Meminisse verò te oportuit, quantis diris Calvinum Cardinalis deuoueat, quòd ausus sit retegere quædam Patrum errata Sanctorumq;, qui in vtroque testamento celebrantur, nec tamen alia, quàm quorum partim ante vocationem rei erant, partim etiam tam clarè in Scripturis proponuntur, vt nec tegi debeant, nec celari vllo modo queant. Quale est, quod Abrahamum, ante egressum è terrâ patriâ, idolorum cultibus deditum fuisse ait, & Rebeccam Saramq; nescio quid peccâsse; Præfat. in Controuers. de Sanctorum Beatit. Multiplicare verò peccata Sanctorum, sine causâ, & ea criminis loco illis impingere, quæ summâ æternâq; suâ laude gesserunt, nec ferri in Christiano quoquam homine potest, propter rei insolentiam, nec in vobis tam diligentibus alioqui custodibus eorum existimationis, quàm videri vultis, nisi sannis & sibilis, propter hypocrisin, excipi. Atque hæc hactenus, de abdicatione Abiathari, per Salomonem. De alterâ enim parte responsionis Tortianæ, dictum satis est suprà. Tertiam à me positam refellit vno verbo S. Augustinus, in

Homil. 39. in Matth. c. 12.

Epistolà ad Bonifacium, cùm docens quid authoritatis sit Regibus Christianis ad Ecclesiam reformandam, quod Donatistæ stomachabantur, sicut nunc Papistæ, à priscis illis Regibus argumentum ducit. *Sicut*, inquit, *seruiuit Ezechias, lucos, & templa idolorum, destruendo, sicut Iosias, sicut Darius, &c.* Quod idem repetit Carolus, sibiq; assumit, nullam præsumptionis notam reveritus, Præfatione in leges Galliæ, apud Ansegisum. Sed de hoc quoque infrà disserendum erit.

CAP. 15. Parall. p. 378.

RELIQVAE sunt pueriles quædam obiectiunculæ, ex scholarum vmbraculis gymnasiorumq; petitæ, & in Regium, super Ecclesiam ditionis suæ, principatum stolidè iactatæ. Non potest hęc reducere ad classem *Paradoxorũ*, quę nihil aliud quàm morsiunculæ & vellicatiunculæ quædam suæ sunt, sed tamen sic contexit ad extremum vsque libelli, nihil curans quàm aptè quicq; titulo respondeat, dummodò omne petulantiæ suæ virus euomat. Ait, *Episcopum, & euertere Regium primatum, quem propugnare simulat, & causam prodere, & planè prævaricatorem se non patronum gerere.* Vt quia illa opinionum dispulit monstra, quæ passim ab ijs affingi solent nostris, de Regio principatu, statumq; causæ totum perfæliciter aperuit, ideò ille reus horum probrorum existimetur, potiùs quàm aut Græcus homo cauillari voluisse, aut reliqui Pontificij sententiam nostrã, ex veritate, non ex malitiâ, interpretari. Nos verò quid asserat cursim videamus. *Si vniuersalis monarchia Ecclesia, toto orbe diffusa, non rectè committitur vnius curæ*, quod Episcopus aliquo loco dixerat, *quid ergo si totus orbis vnius hominis authoritati pareat? Quantò minùs & politicè & spiritualiter ab eo regetur, cum tamen nos* vtramq; hanc procurationem demandemus Regi temporali? Ac, vt illud omittam, id ab eo hîc supponi, quod nusquam nec factum est, nec fortasse fiet, vt vnus aliquis monarcha totum orbem terrarum imperio deuinciat, aliud est iudicium de rebus

per

per accidens, aliud de *per se* habentibus, vt loquuntur. *Per accidens* illud esset, & planè pernitificum, vt totus mundus vnum temporalem dominum recognosceret. At, qui Papatum contendunt à Christo institutum, *statum, & visitatum imperium* loquuntur, quod non est credibile vnius aliquando hominis aut fidei commissum, aut industrię demandatum, cùm tanto interuallo vtrumq; exuperet. Quòd si illud iam placet, omnia & quæ fieri possunt complecti, erit fortè cùm vniuersalis Ecclesiæ monarchia minus curæ requiret minusq; solicitudinis, quàm vnius non diœceseos solùm administratio hodiè postulat, verumetiam parochiæ. Finge enim relligionem in vnam villulam cõmigrâsse, Ecclesiam non *personâ*, vt scholastici solent fingere, sed saltem *domo* vnâ conclusam. An igitur, quia *in casu*, vniuersale istud regimẽ particulari nostro cõmodius est, faciliùsq; administratur, non negabimus Ecclesiasticã monarchiam statariam, permagnæ difficultatis esse, permagnæq; molestiæ, & quæ vnius hominis prouidentiæ haud temerè committenda videatur? Vides ineptias, atque addis tamen. *Censuræ Regibus ius nullum conceſſ. ab Episcopo, proinde primatum, ab eo, verbo fortè defendi, re abnegari.* Quî tandem? *Quia* (inquis) *cui commissa est gregis cura, eidem ius est pascendi, arcendi lupos, segregandi oues egras, quæ inficere possent alias, ea deniq; exequendi omnia, quæ ad pastoris munus spectant. Non igitur Regibus pascendarum animarum cura commissa est, quibus neq; docendi administrandiq; Sacramenta, neq; censuris puniendi, ac segregandi eos, qui alijs offendiculo sunt, à domino potestas tradita est, &c.* Hæc tua sunt, totidem verbis à te expressa, quę eò libentiùs transtuli, atque hîc descripsi, non quòd digna putarem, quæ quidem extarent, sed vt imaginẽ stultitiæ tuæ, viuis coloribus informatam à te ipso, videant lectores. Quæ enim hæc tumultuatio est? quàm plenus amentiæ vesaniæq; discursus? De Regio primatu agebatur scilicet, quæ summa & supereminens gubernatio est quædam. Oggannis tu, de curâ

gregis ijs commissâ, quasi Reges nos dicamus *curam* eam in se suscipere, quæ *institutis ad beneficium* commendari solet ab Episcopo. Ac deinde eodem filo, *Non igitur Regibus pascendarum animarum cura commissa est.* Nonne pudet te tam dissona, tam hiantia contexere? Quo enim ferrumine, quo glutino hæc vnquam copulaueris? Quin effinge syllogismum iam Zeno noster. *Ad Ecclesiæ principatum pertinet potestas pascendi, lupos arcendi, segregandi oues egras, vel,* vt ipse interpretaris, *docendi, administrandi Sacramenta, censuris puniendi, segregandiq;, per Excommunicationem* videlicet, id enim vis. Quod totum tibi penitissimè negamus. Ministrorum hæc enim sunt, & antistitum sacrorum, vel doctrinam spargere, vel censuris pungere, vel exhibere sacramenta, immediatè, & personaliter, & ex functione, vt loquuntur. Rex tamen ille primus est, & in totam Ecclesiam, quià illius hæc auspicijs geruntur, si fortè, sin minùs, grauitate imperioq; vrgentur, & iniunguntur, vt fiant, atque vt rectè fiant, vindicanturq; si secus; nisi temerè Apostolus, 1. ad Tim. 2. 1. tantò acriùs pro Regibus orari vult a Christianis, quàm pro cæteris mortalibus, quòd eorum tutelæ non *honestam* solùm vitam & ciuiliter sanctam, sed etiam *piam* religiosamq; debeamus. Hic Regum primatus est, hæc supereminens authoritas, quam tu non modò diuijcere & discutere frustrà quæris, sed
2. Reg 6. ne eminùs quidem contemplari sustines. Vt Heliæum de sede deturbaturi qui venerant, Dothane, ni fallor, oculos ipsi suos amiserunt; Sic tu. Caligas ad apicem tam inuictæ præstantiæ, quam demoliri & diruere ridiculè expetis. At, *nihil est spiritualis iuris Regibus in Ecclesiam.* Non luctabimur de terminis. Sit ciuile, sit spirituale, sit mixtum quoddam. At cuiusmodi sit à naturâ suâ, habes iam antè à nobis explicatum. Verùm *Reges docentur*, inquis, *& sub censuram rediguntur, vt olim Theodosius à magno illo Ambrosio*, qui tamen Romanus Pontifex non fuit. Quid tum? *Pascuntur igitur, non pascunt.* Vtrumq; Græcule, vtrumq;. Minister

ministe-

miniſterio, Rex paſcit *imperio*. Nonne vides ipſas voces nobis præire ad hanc diſtinctionem, nihilq; nos nouum, nihil à dictionum ipſarum ſenſu ſeparatum afferre, quæ maximè iam veniunt in controverſiam? Quis enim paſtorem negârit Regem, qui *Paſce* ſic exponit aut exponi fert, *Regio more impera*? Miniſter ergò & illuminat doctrinæ ſuę radijs, & aut regenerat, aut alit ſalutari ſacramento, & exerit aculeos cẽſurę in cõtumaces, & tamen *Regi ſubiectus hæc* facit omnia, à Rege dependens, ac vel tutus illo gladio Euangelij vindice atq; cuſtode, ſi deus ſic fortunauerit, vel manum non leuaturus, ad ictum depellendum, ſi quid interturbârit. Ἡ ἐμὴ δέξιμαι τὸν στράγγα, ait vel fortiſſimus Præſulum Chriſtianorum Ambroſius. Non *toleranter* modò, ἀνεκτῶς, ſed plus etiam quàm libenter, ἡδέως; ad Theodoſium. Theodoretus l. 5. hiſt. c. 18. *Vltimam veſtem, ſi deponere opus ſit*, CARNEM, *non recuſabimus*; inquiunt viri militares, Ἰάβιοντῖν& καὶ Μαξιμῖν&, apud Chryſoſtomum, Hom. in eos ipſos, Tom. 5. in controuerſiâ nempè cum Iuliano. Qui tamen ſi virium res fuiſſet, de alienâ diripiendâ, potiùs quàm ſuâ exuendâ, non iniurià cogitâſſent. Collabetur inquam in officio ſuo vir conſtans, & vivus morienſq;, non doctrinâ ſolùm ſed exemplo, Regiam præcellentem authoritatem confirmabit in Eccleſiam. Niſi fortè Ariſtoteles Alexandri magiſter, non potuit eodem tempore, & *regnum* quoddam in artibus apud alumnum ſuum obtinere, eiq; de totâ ſcientiarum ratione præcipere, & interim vel ipſius iuvenis, vel Philippi patris, altiori quadam *gubernatione* contineri. Viden' quàm te deſipere cogat prauitas tua, dum decipere conaris? Sed adde reliquum. *Petrum iuſſit Chriſtus* (inquit Epiſcopus) *paſcere, quia nulli tum erant Chriſtiani Principes.* Inſtantiùs certè, diligentiùs, attentiùs. Quidni? Ideò ter iuſſit. Tùm Reges mandata ſua iam antè acceperant, de cuſtodiendâ religione, nec erat opus renouari. Apoſtolorum creatio noua fuit. Tantò fortioribus ergò muniendi præceptis erant & armandi. *Sed, de hoc*, inquis, *aliàs audituri*

ſumus.

ſumus. Perge igitur.

CAP. 16. Parall. p. 361.

CENSVRA *omnis diuiditur in tres ſpecies, Excommunicationem, Interdictum, Suſpenſionem. Si ergò Cenſuræ ius Regibus adimimus, nec excommunicabunt, nec interdicent, nec ab officijs Eccleſiaſticis ſuſpendent denique.* Quid tum poſtea? *Nihil ergo ſpiritualis poteſtatis obtinebunt in Eccleſiam.* Id verò conſtantiſſimè tibi negamus. Etſi enim nomen ipſum *ſpiritualis* nihil moramur, prout antè diximus, tamen poteſtas omnis in Eccleſiam, longè abeſt, vt intra hos terminos, quos tu conſtituis, includatur. Atque præclarè interim Pontificem tuum exprimere videris, quo loco *de interdicto* ratiocinaris. *Quamuis minetur*, inquis, *& fremat, ſacra tamen templis omnibus celebrabuntur.* Minæ iſtę, & fremitus, non Regum eſſe ſolent, ſed Paparum, ò bone, vel vt nuper Venetis interdicentium, vel vt olim Anglis, quoties de pecuniâ contentio erat. Sed in eo erras, quòd clauium cenſuram cum gladij confundis, vt quia ſponte confitemur nullum eſſe Regibus ius clauium, nullum cenſuræ quæ ad eas ſequitur, ideò omni Eccleſiaſticâ poteſtate eos priues, quaſi gladius *nihili telum ſit*, quem non temerè ab ijs geſtari teſtatur Apoſtolus, qui & clavium tractatores continet in officio, cunctaq; ſub deo moderatur. *At ſatellites*, inquis, *& vincula adhibebit fortè Rex, ſed verbum dei non alligatur.* Hoc eſt dicere, *pietas non reprimitur, veritas non obruitur.* At, nec *impietas* quidem ipſa, nec falſitas *in abſtracto.* Tam enim diſciplinam contemnit audacia, quàm iniuriam atque vim bona conſcientia nihil moratur. Sed vtut verbum dei non alligatur vinculis, nec cæleſte dogma ferro ſuccumbit, tamen præcones verbi dei, & nuncij, & miniſtri, non aliâ naturâ ſunt, quàm vt ligari poſſint, & cædi, & ſupprimi, totiq; ad arbitrium Regium raptari. Nos autem de poteſtate Regis loquimur in *Eccleſiam*, quæ hominum & perſonarum multitudine conficitur, non Xerxem eum finginus, qui Oceano compedes & vincula inijciat, id eſt,

verbum

verbum ipsum *dei* alligare moliatur. Quòd si mica, aut ingenuitatis, in te esset, aut ingenij, meminisses cuius illa sententia foret, *Ego alligor, sed verbum dei non alligatur.* Est enim Apostoli, & propter Christum captiui, & profani Regis iniuriam toleranter passi. Qui si te audiret, ita potiùs diceret, *Ego alligor, & à Cæsare includor, sed non in eo modo iniuste, quòd propter Evangelium Christi, verumetiam quòd Clericus & Apostolus à Laico, cui nulla in sacros homines potestas competit, ne Regi quidem aut Imperatori.* Estne quid aliud? *Rex* (inquit) *Christianus, non plus exeret potestatis in coercendâ improbitate malorum ministrorum, quàm aut Nero, aut Decius, aut Diocletianus ipsi possent, ad quos tamen Ecclesiasticus primatus nihil pertinet.* Non fortè plus quàm possent, sed plus tamen quàm exerturi videntur, quamdiu tales. Non enim *potestatis* defectus est in Ethnico, qui impedit ne vicia Ecclesiasticorum castiget, aut virtutem pietatemq; fidelium promoueat, sed *voluntatis* tantùm. Vnde Apostolus, de impijs, & à Christo alienis, ad Rom. 13. *Si rectè feceris, laudem habebis à potestate. Dei enim* (inquit) *minister est.* Ex *officio* igitur, & Nero vicia vindicabit, improbitatem vlciscetur, licentiam comprimet, quia *dei minister* est; ex *deprauato* fortè *ingenio, ex habitu animi,* & quâ *Nero* est, non faciet. Quanquam non est dubitandum, quin multi sæpe Ethnici, & profani Reges, præclara statuerint exempla in perditos etiam sacerdotes. Qualis ille, qui & Isidis fanum subvertit, & Mundum iuuenem quendam, matronalis pudicitiæ expugnatorem relegauit, ac postremò sacerdotem, qui per speciem relligionis sacrorumq; quorundam, conscius atque adiutor fuerat adulterij, cruci suffixit. Vide Hegesippum de bello Iudaico, l. 2. c. 4. Habet igitur Regius gladius, vbi se exerceat, & cum magno Ecclesiæ emolumento distringatur, etsi sæpe ad eorum manus peruenit, qui officio suo hac in parte desint. Ita concidit suâ sponte, quod addit *de depositione mali ministri per Regem.* Videmus enim

quid Rex possit, etsi nullus deponat. Sed tamen Abiatharem Salomon deturbabit. Nec argutatio in contrarium quicquam valet. *Suspendere*, inquit, *non potest, nedum ergo deponere. Nam depositio quasi privatio est, absq; spe restitutionis, suspensio contrà, vt ait Sylvester.* Respondeo. Etsi Rex non deponat formaliter, vel administratoriè, & per seipsum, tamen satis est quòd authoritatiuè, & quòd ijs mandare potest de ministro deponendo, aut Episcopo exauthorando, penes quos hæc potestas viget in Ecclesiâ. Qui quidem nisi parent, &, quod iubet, faciunt, obnoxij sunt *iræ*, vt ait Apostolus, id est, plagæ temporali, etsi iniuriâ iubeat, sin rectè & iure, etiam diuino tribunali. Nullane hæc potestatis eminentia tibi videtur? aut hoc tu vocas *Regium primatum prodere*? Sed cætera persequamur.

CAP. 17. Quæ adiungis *de potestate soluendi & ligandi*, deus bone, quàm sibuentanea sunt, cassa, infrugifera? Βέβροτ δὲ ἄλλως νήχεται λόγοις, vt est apud Iobum. Quando enim nos diximus datam Regibus potestatem soluendi aut ligandi, qui *clauium dispensationem* ab ijs omnem remouemus, & quod sæpe dictum est, dicendum tamen vt video adhuc, vniuersam iurisdictionem eorum ad gladium reuocamus, id est, ad eos terrores, qui, cùm improbis obijciuntur, & malè feriatis, non tamen in reipublicæ solùm, sed totius Ecclesiæ, beneficium redundant. Tibi potiùs id videndum, & meditandum fuerat, fœminæ quomodo potestas, tum ligandi, tum soluendi, à vestris concedatur, Abbatissæ inquam in Sanctimonialium grege dominanti, cui nec vllus aditus est ad sacros ordines, nedum autem ad tanti ponderis functionem sustinendam, vel illud Apostoli quid sibi velit, *Cui quid condonatis ego condono*, 2. ad Cor. 2. 10. Quod si toti aliquando multitudini permittitur, quantò minùs Regum maiestati negandum est? Sed Rex quidem, neq; soluit, neq; ligat, inter nos, & vtroq; iubens se foro abstinet, non solùm *interno*, quod per *ordinẽ* guber-

natur,

natur, verumetiam *externo*, quod per *iurisdictionem*. Vt philosophatio tua hac in re, nihil aliud sit, quàm mera chartarum consumptio, & lectorum nausea. Quòd *Episcopos constituti* dicis à Regibus nostris, ac proinde ijs sic tradi hanc vtrãq; potestatem, ex quo sequitur, *etiam Reges primariò habere, quam alioqui tradere alijs nullo modo potuissent, Resp.* aliud est *constituere*, aliud *consecrare*. Constituere eos licitè posse, nec Azorius vester negat, nec reliqui ex eâ secta, nec ipse tu. Sic enim nos affaris pag. 387. paralleli, vbi Regium officium grauis homo describis, *Episcopos vel eligendos curet, vel, si id ei iuris sit, tales nominet quales requirit Apostolus.* Non negas ergo fieri posse vt Episcopos nominet, & iure nominet, i. constituat Rex. *Consecrationem* si sibi sumat, litiga sanè. Sed eam Elienſis disertissimè prohibuerat, verbis ijs quæ ne ipse quidem dissimulanda putâsti, pag. 379. parall. *Rex non sumit sibi munus sacramenta celebrandi, non vel personas sacrandi vel res.* Quid clarius? Ex quo vides non esse metum, ne nos Regi potestatem hanc intempestiuè arrogemus, quæ in ligando soluendoq; versatur, etsi Episcopos constituit qui eam habent. Nec dubito quin vanitatem huius Elenchi tui perspexeris, sed delectant quosdam ipsæ intemperiæ suæ & non profuturę.

Convicium tuum in Calvinum omitto, & prætereo, faceret hoc vir ipse sanctissimus, si viueret. Illi plenus est sinus hisce vestris flosculis, & gestat in nomine, sicut antè in corpore, stigmata domini sui. Si Calvinus de primatu hoc sensit, quod nos sentimus, non est propterea quòd nos pudeat sententię nostræ: vos potiùs, quibus tantâ non authoritate solùm resistitur, sed concordiâ consensuq; partium omnium. Quòd in eâdem opinione versari dicis illos, quos Rex tamen sereniſſimus ἀναρχίας postulârat, quid si alijs illi modis in Maiestatem peccabant, etsi nihil de primatu sequiùs sentiebant? An tibi vna tantùm ratio convellendi magistratûs esse videtur? Quid si verbis concedebãt, & totâ consiliorum obnitebantur viâ? Sed ἀναρχίας etiam mo-

Concedit hoc Pater ipse Puritanorũ Calvinus, & Scoti Puritani, quorũ anarchiam tam acriter reprehendit Rex. Totus ergo prævaricatur, qui nihilo plus dicit quam illi concedunt. Pag 383. & 384. Parall.

litur, qui ordines confundit, qui gradus conturbat, qui Episcopatus abolet, omniaq; ad presbyterium, & ad cõsistorium reuocat, etsi de Regiâ præcellentiâ nullo loco deliret. Tales igitur Scoticani illi esse poterant.

CAP. 18. Vide p. 385. Parall. &c.

PVDET, inquis, *eos proloqui, qualem primatum Regi deferant.* Imò vos examinare piget & inquirere. Nec verò nos *speciosis vocabulis eum tegimus*, sed vos strophâ & captione malitiosâ distorquetis. *Quid est igitur, quòd Parlamentum ea iura attribuit Regi Henrico octauo, quæ summi Pontificis anteà erant in Angliâ?* Nescio quid subaucupatus est actorum Comitialium, atque id tamen ita crudè & imperfectè, vt ad magistros suos remittendus rudis discipulus, potiùs quàm grauis accusator contra regni prudentiam audiendus videatur. Quòd si fortè quid incompertius Henrico octauo delatum esset, & turbidis regni rebus, & concitato populo in odium iustissimum Pontificis Romani, cuius recens à ceruicibus suis iugum seruile reiecerat, quid id ad Iacobum Regem nostrum pertinet, qui non modò alienum nihil sibi arrogat, sed vobis etiam sæpenumerò admirationi est ipsis, cùm ea tribuit, vobisq; remittit, quæ nullo argumento extorquere poteratis? Quanquam ego, si quid in Actis eiusmodi reperiretur (nihil enim ab eo video citari aut notari, suo ipse testimonio author locuples contentus est) non dubitem de ijs intelligendum esse, quorum Rex & capax foret vi conditionis suę, nihilq; ipsa in se iniustum aut impium continerent. Alioqui, quis nescit quàm multa sibi Pontifex vendicare solitus sit, à quorũ mẽtione Reges nostri refugiant, tantum abest vt manus tanto scelere commaculent? Et si omnia sibi indifferenter licere putarent, quę Pontifex fecit, cur nemo eorum aliquando sacramenta ministrauit, conciones instituit, disciplinam exercuit, quæ Pontificij muneris propria esse fatemur, à Regio, vno omnes consensu disiunximus? Pontificem igitur pellere alienâ possessione Rex Henricus voluit, & ius suum recuperare, non in Ecclesiasticos fines abruptè invadere. *Sed hoc*

quoq;

quoq; nos ipsi facimus (inquis) *qui Pontificij sumus, vt Reges non raro de contumacibus puniendis, & gladio in religionis beneficium exerendo, appellemus, &c. Laudamus haresum extinctores & schismatum, domitores licentiæ, sacrilegiorum hastes, corruptelarum & impietatis fortissimos acerrimosq; expugnatores.* Vis dicam in summâ, quid inter nos & vos interfit, vt scias Episcopum nihil minus quàm prævaricatum esse, quantumvis vos ad sententiam eius accedere videamini? Vos Regem Ecclesiæ mancipium facitis, vt eius tantummodò nutu gladiũ stringat, potestatem exerat, vindictis fulminet. Nos nullum superiorem eo in terris recognoscimus, à quo nisi *consilio remus* dependeat, atque hic nobis primatus ille verus est. Nullum habet, in quem originem referat, tantæ potentiæ suę, Rex, post deum; nullum neque arbitrum, neque censorem factorum suorum, præter deum, cui respondeat. *Inde potestas, vnde spiritus*, inquit, Irenæus. Adeòq; non obstringitur decretis Ecclesiæ, ne quâ gladium, nisi quâ illi velint, conuertat, sicut Anselmum, aiunt vestri, *Edimero* nescio cui famulo suo tantum tribuisse, *vt latus in lectulo, nisi ex eius consilio, nunquam versaret*, vt quandoq; in illos ipsos eius aciem flectat, sacros homines & ecclesiasticos, quos si pigriores sunt stimulet, si ferociores refrænet, si vicios casliget, reducat si erronei. Id olim Ezechias, id recentiùs Constantinus, recentissimè verò Carolus, aut fecerunt omnes, aut certè tentàrunt, eoq; nomine æternâ in laude versantur, quicquid vester fremitus liuorq; repugnent. Quod adducis ex Isidoro, teipsum iugulat, & Cardinalis tui argumentum quoddam penitùs proterit, quo contra nos vti solitus in causâ. Vult, *Ecclesiam esse statum & per se sufficientem, ac ne ita cùm temporali sæpe ope indigeat, ad consilia sua instituta que complenda, potestatem etiam aliam qu. im spiritualem habere à deo sibi datam, temporalem videlicet.* Quod totum euertitur Isidori sententiâ, quæ à te citatur. Ecclesia enim non expedit rationes sæpe suas, nisi Regum propitio fauore ad-

Lib 5.

Lib 5. de Pontif. Rom. Paragraph. SECUNDA RATIO.

iuuetur. Non est ipsa ijs opibus præsidijsq; instructa, vt sibi cùm velit de auxilio temporali prouidere possit, sed cùm illud penes Principes totum resideat, Ecclesia precibus & humilitate emendicat. Audi *Isidorum* tuum, audi & *Gratianum*. *Intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Sacerdos ergò imbecillis, invalidus, & *nequaquam prævalens*; habet septa sua, habet terminos doctrinæ quos non excedat: in Rege, in Magistratu, authoritas iubendi est. *Potestas* enim *imperat per disciplinæ terrorem.* Non est lictor Pontificis maximi Princeps, non nescio quis armiger Ecclesiæ, vt vos fingitis, sed originali ipso iure ea imperat, cogitq;, ad quæ frustrà alioqui illi adhortarentur. Et rursus, *Vt qui intra Ecclesiam positi, contra fidem ac disciplinam agunt, rigore Principum conterantur.* Et *fidem* quam hæretici, & *disciplinam* quam schismatici violare moliuntur, Regum *curam* facit esse propriam. Alluditq; ad verba Psalmi de *frangendis* rebellibus, *tanquam vasculis testaceis*, quo certè loco Christus Dominus, summus in Ecclesia magistratus institutus est, cùm ait, *rigore Principum conterantur.* Denique iterum, *Quod vtilitas Ecclesiæ exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principum imponat.* Et similia quidem multa producere possemus, sed non adducimus nunc, nisi ea, quibus tu in causâ tuâ vtendum putâsti, quæ tamen nostram multò maximè confirmant.

Citatur hæc à Parall. p. 385.

Psal. 2.

CAP. 19. p. 381. & 386. Parall.

ACCEDIS ad locum, præ cæteris memorabilem, & ais, *Regem infidelem non esse caput Ecclesiæ, iudicio Eliensis.* De quo vide quid respondeam. Cùm duo sint in capite, προεδρία, & προμήθεια, *eminentia*, & *providentia*, quibus reliquis corporis membris antecellit, alterum & infidelis habet, virtute *muneris sui*, virtute *officij*, altero deficitur ex insitâ *prauitate*. Vnde alij eum aiunt, alij negant caput Ec-

clesiæ,

cleſiæ,& ſuo ſanè ſenſu vtriq; rectè.Nonne ſic Epiſcopus? *Aliter dicitur Cyro, Paſtor meus es tu, aliter Dauidi, Paſce populum meum*? Paſtores igitur vtrique,& gubernatores,& præſides, id eſt, capita populi dei, ſed diſpari ratione, vt ſubinnuit Epiſcopus,quem tu antè laceras quàm intelligis. Rex infidelis eſt caput Eccleſię, regno ſuo comprehenſæ, ſed in *actu* tantùm *primo*, non *in actu ſecundo*.Non facit quæ capitis ſunt, niſi morbidi, & phrenetici, illidit in parietes, deijcit ſcopulis, offert periculis, membra quæ tutari & tegere debebat: ſed tamen originalem principatum retinet, quem nec ipſa mala merita ſua ei abrogant.

At,*membrum non eſt,nedum ergo caput*. Metuendæ argutiæ. Imò,eſt caput congregationis ſuæ, Eſa. 7.8.9. ac proinde membrum quoddam principale. Non dico myſtici corporis membrum, ſed tamen eius quod dum vtcunque peregrinatur in terris, non rarò & exoticà communione implicatur,& indigno domino iniuſtoq; ſeruit. Cur autem Rex impius fidelibus ſuprapoſitus, non æquè illorum caput eſſe dicetur,ac Rex fidelis,ſi ſolos hæreticos haberet in regno ſuo,aut verò Turcas,aut etiam Iudæos,totius tamen reip. ac proinde & factionum illarum caput iure foret? Neque tamen iſte in hæreticum,neque ille in fidelem tranſcat neceſſe eſt. Sed adhuc lux afferenda ſtupido. Triplex mihi videtur diſtingui poſſe ratio membrorum Eccleſiæ. Sunt membra quæ adhærent per veriſſimam vnionem. Talis fidelium,& iuſtorum, chorus eſt. Sunt quæ per externã agglutinationem tantùm: tales hypocritæ, & intùs rancidi. Sunt deniq; quæ per vocationem ſpecialis officij, per munus, per locum, per poteſtatem ſuam; & tales Reges ſunt reliquiq; magiſtratus, quamuis perfidi Ethniciq;. Vide Aug.l.2.contra lit.Petil.c.48. *Quid facit Rex fidelis* inquis, *& chriſtianus, quod non faciat Turcus, vt ſe Eccleſiæ caput comprobet*? Pergin' tu ex *actu*, ac non potiùs ex *poteſtate* iudicium ferre de capite Eccleſiæ? Quid enim ſi caput non faciat officium ſuum,ſi impingat, ſi arietet, ſi viſorum

& phan-

& phantaſmatum præſtigio ludatur, an proinde aut nomen, aut naturam ſuam, amiſit? *Sed Turcorum Imperator*, inquis, *quid impedit, ne leges pro Chriſtianitate ferat? ne contra hæreſim, contra ſimoniam, contra blaſphemiam decernat?* Neſcio, niſi fortè quod impedit Satanam, ne Satanam eijciat, dicto Seruatoris. Sed rogas, *an ratæ futuræ ſint leges, ſi quas tales condat?* De quo tuum iudicium expiſcari aueo, valdè enim me delectaret docti hominis reſponſum, ego interim non intelligo, quin id, quod diuinitùs ſemel ſancitum eſt, multò magis corroboretur authoritate accedente, tantâ præſertim. Nonne pudet te ineptiarum tuarum, nullo fine cumulatarum? *At & Epiſcopus* (inquis) *Regem negligentem monere poteſt, vt oculos identidem ad rempublicam referat, & Rex Cleri vicia caſtigare. Nemo tamen dicet Epiſcopum ſuperiorem, ex eo, Rege, in temporalibus. Sic hîc. Si Clerus ſolutior, ſi diſciplina remiſſior, ſi religionum procuratio ſegnior ſit, dices forte id & Regi curæ eſſe oportere. Ego verò ne hanc quidem tuendæ religionis partem Regi negligendam puto.* Bene habet, vir es. Tandem te confirmâſti. Sed vis ſcire quid interſit, vt id ex eo ſequatur, quod tu nequiquam effici poſſe dicis, Regem vt in Eccleſiâ primum eſſe appareat? Epiſcopus monebit, nec vltrà procedet, appellabit, hortabitur, denunciabit deniq; , omnis ei molitio intra τὸν λόγον conſiſtet. Rex pigritantem Epiſcopum coget, & coget ſuo iure, perpellet, punget, nulli mortalium rationem redditurus. Annè hic quidem *primatus* tibi videtur?

Vbi dixi.

Vide Patres ſuprà citatos, pag. 132. huius. Quibus adde & Halenſem (pro Scholaſticis vnum) part. 3. q. 40. Memb. 9. vbi negat Eccleſiæ omnem maternalem rationem puniendi Reges.

CAP. 20.

MODVM exceſſimus, & reſtant bene multa, alioqui rideremus diſcrepantiam gloſſematum, & vere *Babylonicam confuſionem* linguarum, inter Doctores Pontificios. Vis, *Regem ceu Paulũ eſſe, Pontificem Petrum.* Eſto. Poſſem enim oſtendere, Paulum ne hilo quidem inferiorem fuiſſe Petro, ac longè potiùs cæteris eminuiſſe omnibus, (ἰσότιμος ἦν Πέτρῳ, πλέον γὰρ οὐδὲν ἐμοῦ τίνος, ait Chryſoſtomus de Paulo, Commentario in ad Galatas cap. 1.) tum nũquam in cuiuſquam

Parall. p. 387.

iusquam reprehensionem incurrisse, Petro interim tam sæpe, ac multa delinquente, vt id ab eo posteri imprimis traxisse, & ad hunc vsque diem coluisse, videantur. *Sed Rex*, inquis, *Episcopum, vt Paulus Petrum, monebit aliquando, quanquam inferior.* Nihil dicam de Paulo quinto, qui à Iacobo Rege vellicatus, nec verò Hierosolymis Concilium tenente, sed ius suum quod turbabatur, ex Anglia, propugnante, nihil adhuc habuit, quod pro se responderet. Turrecremata dixit alicubi, Paulum non *corripuisse* Petrum, vtpote superiorem, sed *tantùm restitisse*, Gal. 1. quia (inquit) *resistere & prohibere potest inferior, monere & obiurgare non item.* Ex quo liquet, quod antè dixi, quantus concentus sit horum hominum inter se, cum iste *monentem* inducat Paulum, quod alteri videtur nefarium. Quin audite vocem hominis, qui Episcopum *prævaricationis* paulò antè arguerat, & dicite mihi annon ipse *prævaricator* sit manifestarius. Non solùm sollicitum de concilijs congregandis, deque Episcopis constituendis, vult esse Regem, *sed hortetur* (inquit) *Antistites, & moneat Rex, vt attendant sibi, & vniuerso gregi, in quo posuit eos spiritus sanctus regere Ecclesiam.* Ita Apostoli ipsius partes Regi demandat, (quis enim hæc nisi Paulus, ad Ephesinos pastores, Act. 20?) & *concionantem* introducit, qui non fert moderantem gubernantemq;. Invidet solium, & tamen mittit in suggestum: gladium cohibet, & ad cathedram præposterus homo deuocat. Quando nos, quando nostrum quispiam hunc in modum? Nonne tu *plane iam prodidisti Pontificium tuum primatum*, & Regium amplificâsti, vltrà etiam quàm aduersarij tui? Vltimum dilemma perfacilè discidero. Nihil est enim nisi cranibes recoctio. *Si religio est præcipua Regum cura, aut Reges profani non sunt primi in Ecclesiâ, aut perit ijs pars præcipua functionis suæ.* Perit certè, sed suopte vicio. Potestas jis commissa est, onus incumbit, cura demandata est, quam dum negligunt, deum irritant. Imò nullum tantum crimen esset tyrannorum, & infidelium, lacerantium Ec-

Nam tu quidem primatū tuum regium planè prodidisti. Parall. p. 383.

Parall. p. 387.

cleſiam, niſi eam vexarent, & diſtraherent, atque turbarent, quam imprimis bene regere & ordinare debebant.

CAP. 21. Parali p. 388. CHRISTI, inquis, *ſacerdotium nobilius eſt Aaronico. Ergo non ſequitur argumentum à Regibus Iſraelis, ad Reges noui teſtamenti, vt quod illi potuerint in Eccleſiaſticis moderandis, poſſint & iſti.* Ac cum totâ ferè Scripturâ imprimiſq; inſigni illâ Epiſtolâ ad Hebr. gratia noui teſtamenti, præ cæteris, celebretur, & longè vberior ac copioſior, per Chriſtum indulta, quàm per Moſen aut Aaronem communicata, dicatur, nunquam tamen ne verbo quidem vno innuitur, in miniſtrorum exaltatione eam verſari, aut Regium apicem imminutum ſic eſſe. Eodem hæc vtraque, ſtant loco, quo priùs, quod attinet ad relationem mutui officij, & quicquid fidelibus ſub Chriſto accreuit, non minùs Regibus accreuit, quàm alijs. Imò haud ſcio, an ad maiorem nos modeſtiam obligemur, & præcepto ſimul Seruatoris, & exemplo, qui cùm venerit *miniſtrare, non miniſtrari*, adeò etiam interdixit typho ſuis, vt *maximus qui eſſe vult, eum minimum fieri oportere edixerit, vti aliquis foret.* Semel tantùm ad Corinth. *miniſterium ſalutis glorificatum eſſe dicitur, præ miniſterio condemnationis*, (quæ tamen *gloria* nec huius generis eſt, quo de nunc agimus, non enim authoritate, non imperio continetur, ſed virtute, ſed efficaciâ quadam ſpirituali) & ad *nuncium* quem apportant præcones Euangelij, lætiorem Moſaico, non ad ipſas eorum *perſonas* dignitatemue refertur.

2. Cor. 3. 9.

CAP. 22. *Inſtruc. Nin. ei. Nabuchodonoſor, uel Reg. Niniue. Hebraei aut Reges Iſraelis erant. &c.* Parali. p. 388. QVÒD *non ſolos Iſraeliticos Reges memoret* Epiſcopus, *ſed Babylonium, & Niniviticum, & ſi qui tales*, qui cum religionis beneficio authoritatem ſuam Regiam exercuere, quanquam à te odioſiſſimè atque ocioſiſſimè carpitur, tamen reuera, & propriè ſatis dictum eſt ab Epiſcopo, & noſtro propoſito inſeruit imprimis. Quidni enim in eâ Re-

gum

gum classe recensentur, qui eidem relligioni promouendę desudârunt, quam illi amplexi? Et, si Reges exotici atque ab Israele disiuncti, hoc tamen inter suos semper factitauere, vt summam relligionis ipsi administrarent, non igitur nescio cui vmbræ legali debetur, vt tu paulò antè ineptissimè confinxeras, quod iam totum abolendum sit aduentu Christi, sed, ex antiquiore quodam naturæ scito descendit. Ὁ βασιλεὺς κύριος τῶν περὶ θεῶν, inquit & Aristoteles. Polit. 3.

Quòd Esterem vis *Regis tantùm vxorem fuisse*, ac nullo suo iure tam eximio pollentem, *vt legem conderet de Purim celebrandis, authoritati* hoc tribuimus sapientissimæ fœminæ, sanctissimæq; Reginæ, quod de viri *potestate* deriuatum non ignoramus. Atque hoc interim argumento est, quid ciuili Principi liceat in Ecclesiasticis.

Quòd in Regem serenissimum contumelioſus esse voluisti, cùm *psalterium tibi parabolasq, à Rege Britanno procudi* posceres, *si omnia is facturus est quæ Hebræi Reges circa relligionem fecerunt*, etsi quicquid, hoc in genere, de serenissimo Rege dixeris, totum ad immortalem eius gloriam redundat, qui, difficile dictu est, maiorine iudicio, an elegantiâ, atque eruditione, in poemate versetur, tamen quid si Bonaventuram tuum tibi obijcerem? Ecquânam ille authoritate quæso psalterium suum procudit, vel potiùs Dauidicum diuinum inquinauit, homo raucus & agrestis, nec lyram doctus, nec fistulam quidem, sed alter Polyphemus cum immani suâ σύριγγι, quem vos tamen quasi orbium concentum veneramini? Legi equidem apud Eusebium lib. 7. hist. c. 30. Paulum Samosatenum laudâsse Psalmos nescio quos suos, tanquam solos authenticos: de Christo autem qui canerentur, eos vt neutiquam probatos explosisse. In cuius similem amentiam Bonaventura incurrit, qui dispungit quæ de Christo domino canj solent, ac in nescio quam dominam transformat suam. Quasi in sacram Triadem inducturus fœminam, quod & fides abhorret, & sanctum Concilium olim nominatim damnauit. Sed vt scias Lucian. Dial.

quo honore deus Reges prosequatur, voluit ipsos quoq; ad Canonem condendum *accedere*, & habere, vt ait ille, *Partem opere in tanto.*

Quod vt nulli ne Pontifici quidem, ex munere suo, permittitur, ita, deo agitante, nec priuato negatur.

CAP. 23. Parall. p. 389. INFICIARIS inverecundè, *Iosaphatum constituisse Leuitas iudices*, cùm versus ipse capitis ab Episcopo citati tibi reclamitet, & impudentiam tuam, quamvis mutus, coarguat: 2. Chron. 19. 8. *Constituit Leuitas, præcepitq; ijs, dicens, sic agetis.* Et constituit eos iudices, & apertissimam iudicandi legem tulit, *Sic agetis.* Hoccine supereminens nihil indicat? An ne hoc quidem *primatum in iudicijs* vindicat? Quod somnias, de omissione, neglectuq; longi temporis, quanquam nihil ad rem, tamen quis præter te? Nullumne finem facies assuendi scripturis, & visa tua imaginationesq; pro Canonicis venditandi? Quin, ecce iterum ad *prophetiam* id reuocas in Mose, *de pœnâ lapidationis blasphemis impositâ*, quod miror te ad *sacerdotium* eius non retulisse libentiùs, quum id in Mose deprehenderint tui, *coniunctum cum politico magistratu*, vt aiunt; etsi nihil est diserti- Leuit. 24. us, quàm Mosem, diuino illuminante spiritu, legem hanc de lapidatione in blasphemos tulisse, authoritate tamen ordinariâ, & inhærente, suâ.

CAP. 24. pag. 390. &c. Parall. 2. Paralip. 19. 11. DE *Amariâ*, & *Zabadiâ*, spissior quæstio est, etsi facilè expedio quod te sic cruciat. Tu, quod nos obijcimus, nunquam resolueris. *Aut non omnia*, inquis, *Regij muneris demandata sunt Zabadiæ, aut quæ ad deum pertinent, non sunt Regij muneris. Amarias enim præsidebat in ijs quæ ad deum, Zabadias quæ ad Regis officium pertinebant.* Resp. Res dei res religionis & sacrorum vocauit, non quòd illæ non pertineant ad Regiam curam, quarum summus vtique inspector in suo regno constitutus est, sed quòd cùm deus colendi sui rationem præscripserit, ad quam sacrarum re-

rum

rum iudices collineent oportet, totique directionem diuinam sequantur, cætera quæ ad rempublicam moderandam pertinent, ex Regio liberiore arbitrio pendent. Tùm, Regem fortè populus ciuilium negociorum administratione cum spectaret, quem non aliâ iam a principio spe expetiuerat, (de republicâ enim constituendâ solliciti modò erant, & de bellis gerendis, 1. Sam. 8. 20. cætera, vt erant crassi, non admodum curabât) spiritus sanctus ad eorum loquendi rationem se attemperans, specialem quasi procurationẽ facit Regis τὰ πολίτικα, diuina in *deum*, non in *sacerdotem* refert. *Res dei* (inquit) Amariæ commisit Iosaphat, non *res sacerdotis*. Cur non dicit res *sacerdotum* Amariæ commissas esse, si nullam à Iosaphato potestatem accipiebant? Cur autem res *Regis* distinguit à dei? Nonne *deus* in vtroque horum generum dominatur? Controversia igitur Regi tota est cum deo, de sacrorum moderatione, in quo nos quidem libenter deum Regi anteferimus, Regem deo submittimus, sacerdoti cum Rege nulla lis ex hoc loco. Imò Rex sacerdotem cognoscendis sacris præfecit, vnde clarum est eam potestatem ad Regem primò pertinuisse, quam alioqui alteri delegare non potuisset. Vt si alterum belli, alterum pacis negotijs Rex præficiat, nonne argumento est, Regem, & pacis & belli rationes moderari, atque in vtrâq; fortunâ summum esse inter suos? Quid cum Putiphar Iosephum super familiam suam constituit, Nebuchadnezar Danielem super provinciam Babylonicam, Darius centum & viginti præfidibus rerum summam tradidit? An proinde dominatu ipsi & regno exciderunt? Nequaquam. Sic igitur, cum Rex Iosaphat, vtramq; hanc cognitionem pro arbitratu dispensârit, & alteram Amariæ, alteram Zabadiæ transmiserit, negari non potest, quin in vtrouis genere, summæ inspectionis dominus ipse fuerit. Atque hoc est quod vos nunquam repulsuros esse dixi. Porrò quæro an Rex Iosaphat supremus fuerit in temporalibus, ijsque quæ ad regium negotium pertinebant, etiam

postquam hanc provinciam Zabadiæ demandârat? Non negabunt opinor, nec ferendum est, vt negent. Quidni igitur, eodem modo, nec *summatus* in spiritualibus suus Regi pereat, ex eo quòd Amariam diuinis præfecit? Nam quòd Eudæmon-Iohannes ex suo fingit capite, cognitionem eam ad summum sacerdotem pertinuisse, quam Iosaphat Amariæ hoc loco demandat, qui tamen summus Pontifex non fuit, non modò eâ de causâ ferendum non est, quòd Iosaphat attributor eius cognitionis esse dicatur, quasi nequaquam antiquiori iure ad quenquam spectantis, sed quòd si maximè Iosaphat se interponere voluisset, & suum ius aliquod in alienum vendicare, non tamen ad inferiorem sacerdotem deuoluisset, neque temerè sic à summo Pontifice avertisset, quod sine gemino scelere non potuisset facere. Perge.

CAP. 25. Parall. p. 391. *QVÆ de Dauide, de Salomone, de Ioas, de Ezechiâ subijcis* (inquis) *similia sunt ijs quæ in Reginâ vestrâ Mariâ Catholici iure laudamus, quæ tamen Ecclesiæ caput dici noluit &c.* Ego verò non lego titulum hunc à Reginâ Mariâ reiectum, imò legi aliquando constantissimè retentum. Quicquid enim vos Polypragmones in vmbrâ conscisciti, & qualescunque fines Regiæ potestatis describitis, non solùm Reges, sed Reginæ adeò ipsæ sæpenumerò, quamuis alioqui errore quodam in fidem vestram propensæ, tamen & iura sua intelligunt, & mordicùs retinent, nec spoliari se ijs à vobis impunè ferunt. Lucem credo quandam cælitùs hauriunt, & à quo tam amplum regnandi ius acceperunt, ab eo quoque admonentur, ne temerè amittant, alijsve prodant. Iam verò cum ita fingis, *Reges illos sanctissimos, qui ab Episcopo commemorãtur, nihil aliud designâsse, aut in se suscepisse, quàm vestra doctrina Principibus permittit*, vno Ezechiæ exemplo revinceris. Cogita qui rerum status sub illo fuerit, quæ conditio religionis cultusq; diuini. Plena anathematis sacraria dei, clausa templi ostia, aversæ facies omnium

2. Paralip. 29.

nium à diuino tabernaculo, ſublatum thymiama, ſacrificia defecerant. Quâ tamen corruptelâ tam immani purgandâ, & rebus omnibus ritè reſtituendis, Ezechias ingentem laudem promeruit. Quod niſi ipſe pro heroico ſuo ſpiritu aggreſſus eſſet, & ſacerdotum conſilia nihil moratus, qui tùm omnes quaſi veterno quodam oppreſſi dormiebant, ducem tanti operis ſeſe præſtitiſſet, ne dum quidem pietas conualuiſſet. Legimus diſertè in Paralipomenis, Sacerdotes & Leuitas *tandem* ſanctificatos obtuliſſe, id eſt, ægrè omninò, & inuitos, nec facturos fortè adhuc, niſi eos Ezechias primariâ authoritate ſuâ, & nuſquam dependente, cunctantes hærenteſq; ſtimularet. Hiccine igitur ne *primatus* quidem tibi vllus videtur? aut ecquando hoc Maria, in veſtrorum hominum ſegnitie caſtigandâ, vel tentâſſe dicitur, vel ſi tentaret, non dico an laudaretis, ſed vel omninò ferretis? Quaſi illa obliti ſumus, quæ in Carolum mouiſtis, cùm Cleri veſtri fæces haud admodum abhinc diu diſcutere cogitaret, cui etiam occurriſſe dicitur Pontifex *Paulus*, πρώτυμ& huius qui nunc *ſedet*, vt dicitis, vel *deſidet* certè, *Ego ſuper ſacerdotes meos, inquit Dominus*, quaſi proinde nihil ad Regiam curam attinerent. *Veronius* autem, ſi *verus* eſt, *Friburgenſis* ille quidem *Præpoſitus in Helvetiâ*, etiam ſanguinem ſibi Carolus, pœnitentiâ ductus, miſit, *venamq; ſecuit*, cùm culpæ ſuæ *grauitatem ab Inquiſitione intelligeret*, quòd neſcio quid fræni vobis iniecisſet, Proteſtanteſq; laxâſſet, *quoad Concilij decreta haberi poſſent.*

Sebaſtianus Veronius in Chron. Eccl. & Monarch. l. 8. fæc. 16. p. 449.

EPISCOPUS fortiſſimè ex 1. Sam. 15. 17. *Omnibus omnium ordinum perſonis, ius dicendi poteſtatem eſſe Regi, vt qui ſit caput tribûs Leui, non minùs quam cæterarum, totiuſque Iſraelis.* Quid tu? *Non ſequitur* (inquis) *ab omni Iſraele ad tribum Leui. Nam & Rex Iſraelis ille vocatur, cui tamen Iuda & Beniamin non paruerunt.* Schiſma mihi memoras, & diuiſionem ſub Rehoboamo, quo tempore diſtinctionis lu-

CAP. 26. Parall. p. 392.

ciſq;

ciſq; gratiâ, ex oppoſitis factionibus, alterâ Iudæ, alterâ Iſraelis, quæ & plures complexa erat, vocabulo cenſebatur. Sed quid hoc ad Saulis, quæſo te, tempora, qui caput in tribubus Iſrael factus eſt, cùm nullæ adhuc partes populum ſcidiſſent, Iſrael ſolidum & vniforme corpus eſſet? Tu autem, vt latibulum fraudi tuæ præmunires, etiam illud tum Leuitas parturiſſe imaginaris, quod tanto poſt tempore reliquæ tribus pepererant, vt in quauis coniuratione primarij ſint ſacerdotes, & hodiernos furores veſtros, antiquis, quoad pote, exemplis tueamini. *Imò, eſt*, inquis, *peculiaris ratio Leuitarum, quos deus ne numerari quidem voluit cum cæteris tribubus. Nam cùm* 1. *Num. ſæpius de vniuerſis filijs Iſrael locutus eſſet, tamen diſertè tandem Leuitas excipit, Leuitæ non ſunt numerati cum ijs, verſu* 44. *&, tribum Leui noli numerare, neque ſummam eorum ponere cum filijs Iſrael. Ex quo clarum eſt Leuitas non cenſeri nomine filiorum Iſrael.* Hęc tu. Mihi verò vel maximè hoc probare videtur, Leuitas ſemper intelligendos eſſe nomine filiorum Iſrael, præterquam vbi excipiuntur, atque à catalogo illo clarè abiudicantur. Alioqui quid opus tam accuratâ cautione, *verùntamen Leuitas non numerabis*, &, *ſummam Leuitarum non ponet cum cæteris*, niſi imprimis pertineant ad filios Iſrael & hi? Saul verò cùm caput ſit in tribubus Iſrael, & cùm habenæ gubernationis ei in reliquos permittuntur, nulla limitatio eſt, nulla reſtrictio, nec magis à Leuitarum tribu, quàm ab vllâ aliâ. Vnde liquet, nec ſacros homines, Regiæ quam vocant iuriſdictioni eximi, & totum omninò populum, quàm latè ſuſus, comprehendi. At, *cur ſaltem hic à cenſu exempti Leuitæ, ſi minùs ab obedientiâ? Cur ſumma eorum non eſt relata cum cæteris? Reſpondeo* quòd & terræ nihil proprium poſſiderent, quæ res maximè ſpectatur in cenſibus agendis, & de viris fortibus, atque ad bellum idoneis prouidendum tum erat, vt ſæpe inculcatur per totum caput, diuerſa autem prouincia incumbebat Leuitis, non belli gerendi, ſed ſacrorum apparandorum, quæ & illis

com-

commendatur, versu 50.

Quæ multa deinceps inconcinnaque blateras, πόλλα τ' ἄκοσμα τ' vt ait ille, Regem de officio suo instruens, quem prolixè affaris homo verecundus & moduli memor, per imperatiuos illos modos tuos inmodestissimos, *sequatur Rex, neque superbiat Rex, censuram timeat, deum formidet, liberam sacerdotum increpationem expellet*, & quæ cætera sequuntur apud Thersitem nostrum, Regem sacratissimũ, quasi aliquem cellæ suæ tyronem corripientem, quid dicam, nisi illo *scipione* castiganda esse, qui olim & vibices nebuloni impressit paulò antè nominato, omnium quidem obtrectatori & carptori acerrimo, Parall. p. 395.

Ἐχθίστῳ δὲ Ἀχιλῆι μάλιστα μὲν.— Iliad. β.

& tandem bene cruentatum ex concione expulit,

Ὅφρ' ἂν μὲν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύῃ.

Illud enim planè miror, *Bernardum* à te allatum, *pro Ecclesiæ potestate circa gladium materialem*, cum scribat directè, *ad iussum Imperatoris educendum illum esse, nutum si fortè sacerdotis*. Qui ei *nutus* nihil aliud quàm *consilium* esse potest, quod à sacerdotibus repeti nobis sanè perplacet, etsi Bernardus dicat *fortè*; dummodò tamen Imperator non alienum iussum sequatur, id est, totus Ecclesiæ decretis mancipetur, sed ad *purum* ipsius *iussum* gladius distringatur. Quanquam perperam hæc omnia, ex illis verbis, *Ecce duo gladij*, si modò ad vivum ea resecemus. Non enim placet nunc exagitare acumen S. Bernardi, quod alioqui suspicere satis dignè nequeo, sed seria à ludicris, solida à fucatis distinguenda sunt. Iohannes certè Maldonatus duos hosce gladios, cultros quosdam rusticanos duntaxat fuisse existimat, quibus vsi Apostoli ad necessaria dissecanda, ac forsitan paulò antè ad Agnum Paschalem; vnde vos duo distincta regimina exsculpsistis, alterum *Ecclesiasticum*, *Politicum* alterum. Tam miserè vobis blandiri soletis. At,

ὁ πάντες ἐφίδιος ἰταλτικὸς——.

Nec dubitat & inuenta hæc vestra perstringere vir ille do-

Comment. in Luc. c.22.

ctiſſimus, quem paulò antè nominaui, & ita concludere, *Ius gladij materialis, vt habeat Eccleſia, ex hoc loco non habet.* Nam quod refers ex Leone, *Regiam poteſtatem non ſolùm ad mundi regimen*, ſed etiam *ad Eccleſiæ præſidium Regibus eſſe collatam*, quid tandem aliud arguit, niſi verum illud eſſe quod nos dicimus, Regium munus non *mundiali tantùm adminiſtratione quadam*, vt immundè loquuntur Theologi illi veſtri, ſed maximè omnium relligionis procuratione contineri, idq; *& auſibus nefarijs*, vt ait Leo, *comprimendis, & fidei conſeruandæ, & pace atque ordine conſtituendo.* In quo, tu, dum Regem optimum vellicandum tibi ſuſcipis, & non ſolùm præter meritum, ſed ſatis etiam præter morem, coarguendum, tantum abeſt vt vero crimine aliquo notare eum poſſis, vt reuerâ ſpeculum illi in manus tradideris, in quo ſemet contemplans, & ad propoſitum à Leone exemplum reſpectans, veriſſimâ conſcientiæ ſuæ perfruatur gloriâ.

CAP. 27.

AD cætera exquiſitæ eruditionis emblemata, illud etiam quodam loco Epiſcopus adiecerat, de Conciliorum decretis, *quæ rata vt Canones, & ſine cuiuis Magiſtratûs conſenſu, eſſe vult, rata vt leges, non niſi per illum.* Quid hoc vel elegantius, vel neruoſius oſtendere potes, in omni penu tuo? Quæris, *quid de Concilio quod Apoſtoli celebrârunt, non modò non applaudente, ſed valde etiam fremente, Imperatore Romano, itemq; alijs ſimilibus, quæ Romæ, quæ Carthagine congregata legimus?* Quaſi quicquam ſit promptius, quàm rata vt *Canones* decreta illa fuiſſe, valitura vtiq; apud conſcientias mentesq; fidelium, & quotquot ei ſtylo delaturi erant, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis:* non autem ita *legum* vim habiturâ, vt materialem illum gladium, quem tu hic deperis, tradere patribus, atque indirectam in Principes Eccleſiæ poteſtatem, *lato*, quod ais, *aditu* iam admittere debeamus. Nam quòd diuinas, *poteſtatem Principum infidelium, totam, in Eccleſiam, in tali caſu transferri, vnde conſequens ſit*

Parall. p. 397. & 398.

vt

vt aut Ecclesia gladium tractet, aut Princeps nomen tantùm potestatis obtineat, reuerâ autem nihil supra cateros possit, iam antè refutatum est, neque vllo modo sequitur ex doctrinâ Episcopi, cuius sinistra intelligentia eò te deduxit, vt cùm desperes argumentando contra ipsum proficere, teipsum quæstionibus nectendis lacerес. Rogas igitur postremò, *si hoc ponatur, quid tandem responsurus sit de Synodo Nicanâ? vtrum illa Christianos in Perfide obligârit, cùm ij alieno Regi parerent, nec Constantini legibus magis tenerentur, quàm nunc Cæsareis ij qui degunt Constantinopoli?* Quod mihi quidem subdifficile ad soluendum videretur, nisi nos Episcopus præmunijsset, hac autem accuratissimâ eius distinctione cognitâ, miror te in eas dubitationes incidere, quas facillimum est illâ duce conterere. Nam cum Nicæam Episcopi, non ex Constantini tantùm ditione, sed ex toto Christiano orbe approperarent, omnes certè obligabant, quæ ab ijs definita erant, qui omnium nomine comparebant, obligabant inquam vt Canones, id enim sunt propriè Conciliorum decreta, obligatura etiam vt leges, sed non aliâ ratione quàm iam significatum est, si ciuilis nempe magistratus nouum robur apponere, & per suam quisq; prouinciam sancire voluisset.

TERRAM tango ex longinquâ nauigatione: & tamen pro celeusmate iterum indignatio. Quis enim ferat hoc humanè, clarissimo viro tam impudenter obtrectari, vt quæ nusquam neque sensit, neque scripsit, neque fortè somniauit, ea longas huic vappæ materias suppeditent, argutandi, declamandi, consequentias cum conuicijs importunissimè intentandi, & inuictum suis principijs Antistitem alieno dogmate perinsolenti sternendi? *Christum à gubernaculis deturbari ab eo queritur, exuti imò de puppe, omni potestate spoliari atque exui, nec caput iam Ecclesiæ in cœlis agnosci, nec qui olim in terris fuerit perhiberi, nec verò eâ iubendi authoritate præditum, quam nos vsitatissimè Regibus nostris* CAP. 28.

Pag. 404. 405. & anteced.

ascribimus, longè deviq; infra Tiberium & illa monstra abijci. Atque vt eluat inuſtam ſuis notam de Antichriſto, claudit ſtomachabundus libium hoc epilogo, quòd *non ſit cur Antichriſtum illis nos obijciamus, quorum aures his domeſticis præconijs reſonent, apud quos aſſentationibus omnia plena ſint, & Regem mortalē ſupra Chriſtum dei filiū ſempiternū extollentibus, & vniuerſam pietatē quàm indignè temerantibus.* Motus ſum fateor hac tā graui conqueſtione, atque id imprimis vt exquirerem operam dedi, quæ tandem Epiſcopi verba occaſionem ei præbuerint, tam horribili crimine, & ipſum, & nos omnes, pariter involuendi. Ac cùm caput accuſationis in eo verſari animadverterem, quòd alicubi Epiſcopum ſcripſiſſe arguit, *Reges, Chriſti, non tamen quâ homo, ſed quâ deus eſt, vicarios eſſe, Chriſtum autem vt hominem nunc Eccleſia ſuæ præſidere*, vnde conſequens id fit, vel fingatur ſaltem, vt *quâ caput eſt Eccleſiæ, ne ea quidem poſſit in orbe terrarum, qua Rex quiſq; minimus in regno ſuo, non aut leges iubere, aut iudices conſtituere, aut gladium materialem vel indirectè tractare*, & quæ cætera iſte cumulat magno ſtrepitu verborum, fateor me Scholaſticam ſubtilitatem ſubeſſe ratum, de ratione quâ Chriſtus Eccleſiæ præſideat, itemque de perſonâ quam Reges ſuſtinent, cogitationes in eo meas terminâſſe, vt aut iſte Epiſcopum non probè intellexerit, atque ita ad calumniandum temerè proſiluerit, aut Epiſcopus non ille quidem à vero aberrauerit, ſed tamen ſolito acumine argutijſq; perſequendis, occaſionem huic inſælici inſaniendi aliquam, ſi fortè, dederit. Scitum eſt enim quod Cicero noſter, *Cautum & acutum genus orationis, adoleſcenti non acriter intelligenti, ſæpè præceps.* Itaque etiam nec admodùm ſanè perſequi decreueram, & repulſo vtcunq; aduerſario, ac relligione noſtrâ in Chriſtum Dominum aſſertâ, locum quàm poſſem breuiter abſoluere. Poſt, libro inſpecto, & eâ paginâ conſideratâ, quæ ab hoc tam diligenter, quàm impudenter, notatur, p. 177. Torturæ, nihil eiuſmodi ibi reperi, nec reperire ſanè potui, vel *incernis*

In Piſon.

per-

perſcrutans (vt loquitur vates) quod tam prodigioſæ calumniæ affine videretur. Vis lector, in ſummâ, quæ hæc de re apud Epiſcopum ibi extant, cognoſcere? *Regna* (inquit) *mundi à Chriſto ſunt, & Chriſti etiam ſunt, ſi non quâ homo, at quâ deus tamen. Regnum etiam illi, qua & homo, ſuum eſt, Eccleſia ſcilicet.* Quid tantum tempeſtatis hæc verba ſpirant? Quæ hæc *deiectio Chriſti de puppe eſt?* aut quid cautius, quid ſedatius proficiſci à quoquam potuit, quàm quod vir relligioſiſſimus ſic de Chriſto perſtrinxerat? *Regna mũdi à Chriſto ſunt, & Chriſti ſunt*, non diſputo nunc quatenus, ſed ad eum certè pertinent: Vt ſi Papa ſibi honorem habendum clamitet, propterea quòd vicarius quidam ſub Chriſto Rex ſit, in Eccleſiâ ſcilicet, id enim geſtit, Reges etiam temporales non prorſùs ſe contemni ferre debeant, cùm illi quoque vicariam ſuſtineant Chriſti perſonam, & vicarium ſub eo munus adminiſtrent quoddam, ſi non vt homine, at vt deo certè. Audin'? animadvertin'? Hæc enim eſt ſumma orationis Epiſcopi, etſi meis agreſtioribus verbis informata. Non dicit Reges *non eſſe Chriſti vicarios, vt homo eſt, verùm vt deus tantum*, prout tu inſimulas, non *remouet Chriſtum hominem, & in humanis conſideratum, à dominio totius mundi*, ſed & mirâ prudentiâ ſtylum temperat, & in ſummâ ſcientiâ timidè loquitur, vt agnoſcas inſitam viri moderationem, & id præ cæteris ſibi probari innuit, quod omnibus excuſſis reperietur veriſſimum. Nam quamvis Chriſtum per exaltationem ſuam, omnem poteſtatem conſecutum eſſe in cælo & in terrâ fateamur, ac nec à primo quidem inſtanti conceptionis, vt loquuntur, non totius creaturæ dominum fuiſſe in humanis, tamen Reges quia permulti ante incarnationem fuerunt, & non dubiè eodem Regio iure gaudentes, quo nunc in terris paſſim regnatur, tenendum eſt Reges, in populo gubernando, non *Chriſti hominis*, ſed *Chriſti dei* repræſentare perſonam, viceſq; exequi. Quod Epiſcopus cautiſſimè inſinuârat ijs verbis, *Regna mundi à Chriſto ſunt, & Chriſti ſunt, ſi non quâ homo, at quâ*

Zephan.

Eleutherius de Lucio noſtro. Sæpè allatũ.

Deus tamen. Nam quod ait eodem loco, *Christum vt homo est, Ecclesiæ suæ præsidere*, quid quæso habet sententia illa quod te offendat? An persequeris stomachum maiorum tuorum, qui semper in nostrum genus invidi extiterunt, & naturam humanam tam altè collocatam esse, vt & Angelis præemineat, vtpote Ecclesiæ membris, & diabolos constrictos sub pedibus teneat, fers indigniùs? Quid enim clarius ijs verbis ad Heb. 2. *In naturâ quâ participauit carnem & sanguinem, fratribus q; per omnia assimilatus est*, dicere eum deo in medio Ecclesiæ, *Ecce ego & pueri quos dedisti mihi?* Itemq; 1. ad Cor. 15. *cum subiecerit sibi omnes, subijcietur & ipse Patri.* Luculentissimum testimonium pro Christi humanitate in fastigio totius Ecclesiæ collocatâ, & solâ deitate iam inferiore. Nisi verò cui deitas eius subijcienda videtur, quod nefas est.

· *Imò*, inquis, *si vt homo præsidet Ecclesiæ, & Reges quique terreni vicarij sunt dei, Regum authoritas maior erit in Ecclesia quàm ipsius Christi. Illorum enim diuina, huius humana.* Quasi Reges, cùm regnis suis loco dei prætint, in diuinam naturam protinùs immigrent, aut verò homines iam esse desinant, aut quasi Christus cùm Ecclesiam, vt homo, administret, non tantò maiore authoritate id faciat, quantò cum deo coniunctior est, quàm cæteri mortales, atque & ipse deus, & deo in assumptâ suâ humanitate plenus, & copiosissimâ iurisdictione à patre donatus, Ioh. 5. 22. Quæ iurisdictio tantò Regiâ omni humanâq; superior est, vt nec vultum eius sustineant ad iudicium progredientes, Apoc. 20. & genua flectant incurventq; vel superbissimi, Philip. 2. 10.

CAP. 29. MINATVS erat iam antè, Episcopum auditurum etiam alio loco, deo quòd *Petrum pastorem creatum dixerat, cùm nulli adhuc Reges essent Christiani qui pascerent.* Quod miror, si aut improbet, aut refellere posse speret. Id enm est, quod ipse paulò post confitetur, cum interrogat satis petulanter,

Cur

Cur non Regem aliquem Christus vocârit ad fidem, cui Ecclesiam suam commendaret? Fatetur ergo neminem tunc fidelem fuisse Regem. Illa autem interrogatio facillimè soluitur, si meminerimus Regium ius antè constitutum, non habuisse nouâ aliquâ ordinatione opus, atque adeò illa tempora expectanda fuisse, donec *Quare fremuerunt*, ver. 1. Psalm. 2. verteretur in 13. eiusdem Psal. *Et nunc Reges intelligite*, vt acutè Augustinus: id est, donec cessante persecutione, & probatâ patientiâ piorum Martyrum, lux & tranquillitas Ecclesijs redderetur. Sed vt texat consequentias, & multiplicet absurda, atque egregium virum infamet innoxium, mendaciſſimè ac malitioſiſſimè interpolat atque adulterat Episcopi verba, ac fingit eum dicere; Petrum pastorem institutum esse à Christo, non *quando* nulli, quod dixit quidem Episcopus, & verè dixit, sed *quoniam* tunc nulli essent Christiani Principes. Quasi innueret Episcopus, si vllus tum Christianus Rex fuisset, Christum ei commendaturum fuisse curam Ecclesiæ, talem vtique qualis ea quæ Apostolo permissa est, & in docendo ac precando ministrandoq; versatur, aut certè eum gladium tum Petro dedisse propter defectum Imperatorum, gladium inquam materialem, & vindicem, & interfectorem, quem paulò post vibrari voluit à solis Imperatoribus, cum illi ad Ecclesiæ communionem accessissent. Hæc ille calumnians ac deprauans Episcopum, quæ libro eius inspecto & oratione pensitatâ, & animaduersâ distinctione duarum vocularum, *quando*, & *quoniam*, non modò purgationem nullam nostram desiderant, sed ingenium Creticum Iesuitismo imbutum, præclarè ostendunt, quale sit.

AN verò etiam ijs nos circumueniri posse putâsti, homo dementissime, quæ plus millies audiuimus, quæ in omnibus angulis plateisq; iam refonant, quæ & pueri intelligunt quàm absurdè detorqueantur, de *pedum puluere lingendo à Regibus, & adoratione cum vultu in terram demisso ab ijs* CAP. 30. Parall. p. 403.

pra-

præstandâ, ex Isa. 49? Quæ nunquam, vt semel dicam, Papæ promissa sunt, nunquam nescio cui Ecclesiastico Præsuli, cuius pedem crepidatum exosculari deuotio sit; ac non modò nihil tale promissum Papæ, Reges ad eum confluxuros venerationis tantæ causâ, sed ne permissum quidem sibi fieri à S. Petro, in quo vos plenitudinem Pontificatûs
Act. 10. collocatis, cùm Cornelius Centurio, id est, Rege longè inferior, ac Duce etiam, simplici corporis incurvatione eum prosequeretur, nec ad pedum puluerem lingendum descenderet. Abhorruit vir sanctus, & se auertit, nec omninò sine scelere, tantum honorem, vel à se assumi, vel exhiberi à Centurione posse, iudicauit. Sit igitur ille vel *Christo* ipsi debitus honos, quem loco à te citato descripsit Isaias, vel *Ecclesiæ Christi*, quorum frequens alternatio est inter se in sacris literis, & quod ad vnam partem pertinet, toti corpori propter arctissimam colligationem persæpe tribuitur. Nec dubitemus vel humillimâ submissione nostri sub Dominum Iesum, vel affectu ac pietate in membra eius militantia, nervum religionis sanctitatisq; contineri. An temerè verò Dauid in Psalmo notissimo, *Omne meum studium est in sanctos qui in terrâ, in eos qui virtutum laude præcellunt?* aut frustrâne in Symbolo *communionem Sanctorum* nos credere profitemur? Vt non sit mirum, si Isaias de conuersione Gentium differens, & maximè *Regum* ex Gentilitate euocandorum, quorum semper præcipuum fuit nomen in Ecclesiâ, pietatem eorum in deum, & traductum ad fidem, eâ formâ orationis, quam paulò antè posuimus, de *lingendo puluere pedum sanctorum*, & nouo quodam genere honoris ijs tribuendo, interpretatus sit. Sed quid hoc iurisdictioni & imperio officit? quid tandem potestati Regiæ præiudicat? Omnino enim eam authoritate suâ moderabuntur & gubernabunt, de cuius interim conditione quàm honorificentissimè sentiunt, & quæuis ei officia sedulò præstantes, ius tamen quoddam patrium retinebunt atque
Lib. 4. ep. 15. suum. *Dominetur sacerdotibus* (inquit Greg.) *Imperator, ita*

tamen

tamen vt etiam debitam reuerentiam impendat. Atque hoc (inquit) *excellenti consideratione faciat.* Nec iniuriâ. Vnde prouidè etiam Isaias versiculum sic inchoârat, *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Tum contexit, *Et vultu in terram demisso te adorabunt, & lingent puluerem pedum tuorum.* Orditur, vt vides, à iure, à potestate eorum in Ecclesiam, qualis quidem nutricis est in infantulum. Vnde Apostolus quodam loco se nutrici comparat, neque tamen de authoritate vel tantillum remittit. Imò suam gubernandi rationem sic declarat, ὡς ἂν τροφὸς (inquit) θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Idem Isaias sequutus videtur. Primò fastigium depingit, deinde affectum. Quo spectaculo, nescio an gratius vllum contingere possit, homini Christiano, vt summam *authoritatem* cum summâ *indulgentiâ* in Ecclesiam Christi coniunctam contempletur. Nam quid tu & tui similes, *audito Reges fore Ecclesiæ nutricios, & Reginas nutrices*, statim de *terrenis opibus* à principibus sæculi ad Ecclesiam aggerendis somniare soletis, prorsus & indignum est maiestate huius prophetiæ, & verò alienum grauitate sacrorum hominum, quorum laus in contemptu potiùs, quàm in possessione harũ rerum versari solet, & vt dicam in summâ, nihil nisi manumam patinamq; olentis est, verè pusionis, & perpetuùm sic mansuri, digni Cretâ, digni nido Pontificio, tardi *animalis*, & *ventri nati*. 1. Thes. 2. 7.

EXTREMA restat dubitatio, de Tibetio. Quam exugit ex ijs verbis pestilens araneus, quæ cum in sese per salubria sunt, atque omni flore conditiora ad gustatum, tum, in reliquo ornatissimo opere Torturæ, id quod in corollâ quidam singularis. *Duo hæc regna quamdiu duo manent, hoc ab illo diuisum, duos habent primos: postquam in vnum coaluerunt, non vt in duobus duo, sed vt in vno vnus primus est.* Et cætera subtilissimè pag. 177. famigerati monumenti, (Torturam dico) atque vt Scaliger de Æneide, *monstri sine nauo.* Sed quid si ne hoc quidem Eudæmon-Iohanni approbetur? Imò nusquam violentiùs quàm hoc loco bacchatur, & toto CAP. 31.

malcuolentiæ hiatū obnititur. *Fac* (inquit) *dum Christus versaretur in terris, Tiberium in Christum credere voluisse, coaluissentne continuò in vnum Romanum imperium cum Ecclesia? Si negas, quæram exte, qui probes, eo in cælum abeunte, in vnum regnum coniungi necessariò debuisse? Si affirmas, ergo aut Christus Tiberio terrarum imperium, aut Tiberius Christo supremam Ecclesiæ administrationem ademisset. Et ademisset profectò, si veras somnias. Nam tu quidem Christo, quâ homini, quâ capiti Ecclesiæ, quâ spirituali Regi, ius nullum, ne indirectum quidem, tribuis, gladij materialis. Et tamen negas supremum Ecclesiæ caput esse posse, nisi de Canonibus leges facere, & contumaces contemptoresq; vi frænare possit, &c.* Sed hæc postrema suprà à nobis refutata sunt. Nunc paucis expedio dubium de Tiberio. Quid mirum si conversio Tiberiana ad fidem, non impedijsset, quin Christus Dominus ei quodam modo subijceretur, habitu quippe serui in his terris obambulans, & insignem illam gloriam suam apud patrem dissimulans occultansq;, qui & manenti ei infideli tributum adiudicârat, ac pro suis obtulerat, addo etiam pro semetipso, & tandem sub delegatis ab eo iudicibus sententiam mortis innocens haud recusauit? Omnisne tibi subiectio, & *sub creatas potestates*, tam indigna videtur, vt in Christum nullo modo conferri debeat? Cur igitur ita legimus Luc. 2. *Et erat subiectus illis?* Quod scriptura de Iosepho & Mariâ intelligi voluit, quorum authoritatem Christus Dominus in se non aspernatus est, omneq; officium lubens detulit. Quantò minus *patri patriæ*, & communi orbis terrarum *nutricio* repugnaturus, qui domesticos parentes, alterum etiam tam tenui communione secum iunctum, tam religiosè iamà pueris coluisset? An vt membrum ciuile Christus Dominus subijcietur Imperatori profano, quamvis Dominus sit ipse vniuersæ creaturæ, & dedignabitur fideli imperanti parere, ac quæ ab eo circa pietatem cùm laude iubentur, tantò promptiùs exequi, quòd & suâ voluntate eò iamdudum propendebat? Quale illud

Parall. p. 399.

est de Encænijs, Ioh. 10. Quæ à mortali instituta, Christus nihilominùs obſervauit. Doce nos obſecro repugnantiam harum rerum, ſac admotâ lucernâ videamus quid interſit. Aut enim omnis ſubiectio remouenda eſt à Chriſto, pro eo ipſo tempore, quo venit *humilis*, venit *manſuetus*, & *miniſtrare* nõ *miniſtrari*, & cætera quæ paſſim in Scripturis prædicantur, vt inſignitam eius animi demiſſionem cognoſcamus, qui cùm Dominus eſſet omnium, ſeruire præelegit, & πλέον ὢν volens ἐλάττωσθαι: aut ſi Ioſepho & Mariæ non grauatè ſubiectus erat, & datum à Tiberio iudicem non eiurabat, quamuis mox mortiferæ in ſe ſententiæ authorem futurum, nedum certè remiſiſſet de ſolitâ obedientiâ, cuius vtique exemplum daturus venit in has terras, ſi Tiberius ex infideli mutatus fuiſſet in fidelem, ſi victas deo manus & pietati dediſſet, ſi ex *hoſte capitis* ſui, in *membrum corporis* myſtici tranſijſſet. Sed tota caligatio ex eo oritur (quanquam vereor ne deterius quoddam vicium ſit, & ex affectatâ potiùs malitiâ deſcendens) quòd non diſtinguis duos ſtatus Chriſti Domini diuerſos, vtroſq; tamen in eo ſimul peradmirabiliter copulatos, alterum veriſſimi hæredis ſæculorum, Domini orbis & Regis omnium, alterum voluntarij & diſpenſatiui cuiuſdã ſerui, miniſtri, famuli, (non enim credo nunc digredior à verbis Scripturæ) quod non modò non dedecorat Maieſtatem Seruatoris, ſed etiam diuinam eius virtutem illuſtrat, etſi hæc Ieſuitæ, & Vaticanum lambenti, pro ridiculis habentur, vt tantum modeſtiæ in tam alto dignitatis culmine emineat.

Nã quod præcipuè ſtomacharis de *capite Eccleſia, ſi fidelis Tiberius, ergò Chriſtus nõ fuiſſet amplius caput Eccleſiæ*, quãtę ſunt nugæ? Imò verò ſiue fidelis, ſiue infidelis Tiberius, Chriſtum nemo Dominum de illo gradu deturbâſſet. Non enim dependet originalis maieſtas filij Dei, ac ne ea quidem quam meritis ipſe ſuis acquiſiuit, ab inconſtantiâ hominum, in quaſcunque formas ſe induentium. Sed & caput Eccleſiæ fuiſſet Tiberius, ſenſu orthodoxo, id eſt, re-

ctor subditorum suorum congregatorum ad fidem, & fuit adeò, vt iam dixi, fidelibus superior, etiam sanctis, etiam Apostolis, quotquot ad ditionẽ eius diuino iure pertinebant, siue fidelis ipse, siue secus. Christus interim non amisisset principatũ Ecclesiæ, non magis quàm nunc amittit, sub tot Regibus Christianis, vel sub tot Papis & Pontificibus opinione vestrâ: Sed qui *caput* est *areanum* Angelorum atque hominum, & omnis naturæ creaturæq; Dominus, tam cessisset ex patientiâ suâ, & in formâ vtique serui, quam visibiliter gestabat, Tiberio Ecclesiasticum agmen ordinanti, quàm de Politico primatu nunquam repugnauit. Quid dico cessisset? Ille verò non cessit, cùm sæuientem ad mortem vsque, & in causâ relligionis tam acerbè sæuientem, tam placidè tolerauit? *Bonam enim confessionem confessus est*, inquit Apostolus, *sub Pontio Pilato*, Tiberiano viz. iudice ac cognitore. Nisi nullus tibi primatus in Ecclesiam Regius esse videtur, præter eum qui obedientiam secum ad omnia trahat, vbi nihil audiatur, nisi, *Etiam Domine*, vt in nescio quo cætu vestro; quod nobis quidem de Rege nunquam in mentem venit. Satis est enim si non resistatur. Diuinè Chrysostomus, & ad causam nostram perappositè.

Orat. ad Patrem infidel.

Καὶ μήτοι νομίσῃς βασιλέων ὄντων εὐσεβῶν ταῦτα γίνεσθαι μόνον, ἀλλὰ κἂν μέλανσίῃ τὰ τῆς ἀρχῆς, κἀκεῖ κρείττους ἀπιστοι γίνονται. Οὐ γὰρ διὰ δία τὰ τῶν ἑλλήνων, τοιαῦτα κὰ τὰ παρ' ἡμῖν, ὥστε τοῖς ὑφ' κρατόντων ἔπεσθαι γνώμαις, ἀλλ' ἴσασιν ὅτι τῆς οἰκείας ἰσχύος, κὰ τότε μάλιστα φαίνεται ὅταν μέλιστα πολιμῶνται. Hæc ille. Quod & nobis perplacet, quicquid vos calumniemini. *Ecce fornax*, inquiunt illi, *mitte nos in eum, non enim adorabimus imaginem tuam auream*, Dan. 3. Et Daniel ipse, *Contra te, ô Rex, non feci malum*, Dan. 6. nec facturus quidem, quicquid in me conscieueris, quicquid conscientiæ causâ sæuieris. Quòd si hæc Regum omnium potestas est, quid tandem cùm & *pietas* & *industria* accesserint? Quantum illud bonum, & quàm præclarum fore putemus, ad res dei rectè constituendas? ad relligionem, ad fidem, ad salutem, pro-

mouen-

mouendam? Sin autem, & *scientia*, & *lectio* affulserint, non intelligo quomodò beatiùs cum rebus humanis agi queat.

Σκηπτῦχοι βασιλῆες ὀλύμπια τείχεα γαίης,

Oppianus.

ait ille ad Antoninum, supra Epimenidem *propheta*. Hinc illi Constantini, Martiani, Theodosij, quorum tanta ex Ecclesiâ rectè gubernatâ redundauit gloria, quanta cœlo vix capi posse videatur. Ex eodem *equo Troiano*, Rex Iacobus noster. Quanquam tantò ille superior cæteris omnibus, quantò serior. Cuius gloriæ ac sempiternitati ita censeo seruiamus, in hac præsertim conspirante, & propè conflatâ contramolitione partium omnium, vt cum plus penè contenderimus studuerimusq; quàm possumus, minus tamen nos effecisse arbitremur quàm debemus. Sed hæc aliàs. Nunc satis est. Vt tu tandem exuffleris, Cacodæmonium infrunitum, nec temerè deinceps fatigaturum clarissimum virum, ἄξαν, κράξαν, καὶ σπαράξαν.

FINIS.

Appendix, ad Lectorem.

VAcante ſchidâ, illud hic monendum te Lector putaui, editionem me Paralleli Colonienſem, Kinckianam, anni M.DC. XI. in notandis paginis ſecutum eſſe, quam ſolam adhuc vidi. Tum, *μνημόνικα* ſiqua *σφάλματα* ſint, vtpote hominis in ſcribendo haud admodum exercitati, vel potiùs nunc primulùm in theatrum progreſſi, condonatum mihi iri ſanè cupiam ſperemq́; . Ab ijs ſaltem qui experti ſunt ipſi. Nam vt ait Poëta,

——*aliter non fit, Avite, liber.*

Idemq́; alibi, niſi fallor,

——*librum ſcribere difficile eſt.*

Quod fateantur mecum pariter ij omnes, quibus laudis principatus non in eo poſitus eſt, collocatus, conditus, vt ſummo faſtidio alienos carpant labores, ex ſummo profundoq́; ſuo, vel ocio, vel ignorantiâ. Dignum genus Ieſuitico Pontificioue contubernio, à noſtris vt ſpero moribus ſedibuſq́; alienum.

Sed in eo genere illud eſt, *μνημονικῶν*, quod modò attigi, de Cardinali quodam Gallos Lugdunenſes alloquente, ſic enim eum deſcribo, p. 248. in margine, cùm neſcio quis Fraterculus fuerit ex ordine Prædicatorum. Ille tamen publico nomine orationem eam habuit, quâ maior nec Cardinalium authoritas eſſe potuit. Sed in eo, fateor, erraui, memoriæ confiſus. Quod ſtatim redarguit libri inſpectio, ſerior quàm vellem. Quid quòd Eccleſiaſticum alicubi cito Salomonis nomine? pag. 225. Per incogitantiam quidem. Non enim quòd eum librum Canonicis accenſeam. Quanquam & hoc fortaſſe Eudæmon-Iohannes ſic accipiet, neque exagitabit, vt qui nec magno *εἰκοδεσπότ-*

ἢ illi à similibus artibus suis strophisq; pepercerit, ne miremur si filium familias me haud aliâ gratiâ dignetur.

Aliquando, etsi valde rarò, authoris locum nullum notaui. Vt quòd Marcellam hæresi restitisse dico apud Hieronymum, pag. 260. Est verò rerum quàm locorum & promptior recordatio, & exquirere si quid oblitus sis, atque indagare, alterius propemodum hominis, non eius qui in scribendo elaboret, cura. Quàm fæliciter ageretur cum Ecclesiâ Christi,

Quam tu vrbem soror hanc, vt ait illa, cerneres, si Iesuitarum saltem ea ratio inter nos obtineret, quâ à multis iam annis perstudiosè colunt,

Συν ἓξ δὺ ἰσχυόντω.

duo autem? Imò cœtus, familiæ, collegia sæpe tota.

Sunt alia è contrà, quę si integrum iam foret, cumulatiùs tractare videar, vel sumptâ deliberatione, vel vtcunque proficiens. De *exhumatione Henrici quarti, ex mandato Papæ*, pag. 209 &c. Quod *Iosiæ* exemplo defendit Alastor. Poteratne magis peruersè? Quis enim nesciat Iosiam? Tum, cuiusmodi erant homines, aut ecquonam cultu religionis, illi, quos Iosias persequebatur? Sed audiat Chrysostomum. Ἀνόρυξον τὰ ὀστᾶ, μιάσματον τὸς τυχὸς, *demonis vox*. Quæ eadem hic Pontificis mandata fuerunt. Sed quid Pater? Τί τούτων ἀνοσιώτερον γένοιτ' ἂν τῶν εἰσπραγμάτων; ξένες ὁ δαίμων τυμβωρυχίας εἰσάγων νόμος, καὶ καινὸς ξενηλασίας ὁπόσοι τρόπος. τὶς ἄκοντας ἐκ τῶν ἐνοικουμένων πόλεων; τὰ εἴδε σώματα ἄψυχα κειδόμενα μετανίσασθαι, καθάπερ οὐτ' ἐπίλατος, τὰς κοινὰς τῆς φύσεως ἐκ βάθρων ἀναλῦσαν νόμες; καίτοι γ' εἰσὶ τῆς φύσεως νόμοι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, ἓν ἀπελθόντα τῇ γῇ κρύπτεσθαι, καὶ ταῖς παρὰ ἑδόσθαι. καὶ τοῖς κίλποις τὰς πάντων μηδὲν περιέλλεσθαι γῆς· καὶ τότος, οὐχ ἕλλην, ὁ βάρβαρος, ὁ Σκύθης, ἂν εἰ ἐς ἐκείνων ἀγριώτερ', ἐλάτησε τὰς νόμας ποτὲ ἀλλ' αἰδῦνται καὶ φυλάττεσιν ἅπαντες, καὶ ὅπως εἰσὶν ἱεροὶ καὶ πᾶσι αἰδέσιμοι. ἀλλ' ὁ δαίμων &c. Cui adde Pontificem, adde Eudæmon-Iohannem.

Vide ad fab. Iphig.

De

De *quæſtionibus* ad diſceptandum à noſtris propoſitis, in diſputatione ſub Elizabethâ pag. 271. Neſciebam quæ illæ eſſent, cùm eum locum perpolirem. Incidi poſteà, vt ibi moneo, in Chronicon maiuſculum Iohannis Stoi, ad quod Eudæmon-Iohannes nos remiſerat. Sed currente prælo, innouare nihil potui, amplificare verò multò minùs; ea ratio operarum eſt, dicerem amentiam, niſi & adhuc verſaremur in eorum regno, vt aiunt, & nollem homines alioqui non malos offendere. Porrò mirabar, cùm quæſtiones ipſas apud Stoum legerem, quas Ieſuita, ſi memini, *populares* vocârat, eoq; nomine de diſputationis æquitate detraxerat. Quid tandem? De *Miſſa ſacrificio* opinor vna fuit. Quod nihil ad populũ, præ cæteris Chriſtianis; minus autem, prout ab illis iam tela texitur. Minimum enim quaſi commercium eſſe plebi volunt cum ſacris, cum *Sacramentis* præſertim. Quæ intervertere eos cum pudeat, penituſq; eripere, mutilata tamen populo & dimidiata proponunt. Altera *de ritibus in Eccleſia variandis*, quæ magis etiam quàm ſuperior aliena à populo eſt, cùm ſi rectè Stous explicet, ad magiſtratûs authoritatem iudicium de ritibus reuocatum clarè velit. Tertia, *de vſu codicis Scripturarum̃q; promiſcuo*. Quæ illa cauſa ſcilicet tam *popularis* eſt, ſiquidem vlla ex tribus, adeò tamen *patrita* (cum Ennio ſemel loquor) vt non optàrim fauorabiliorem, ne *Sanctorum* quidem calculo, Patrumq; ipſorum, quorum etiam teſtimonia hoc loco afferrem, niſi tam multi eſſent, vt eos capere charta non poſſet.

Sto. Pag. 1080.

Eſtne quid aliud? Acrior fortaſſe videor in excipiendo Ieſuitâ, ſtomachoſior, neſcio etiam an virulentior, id eſt, eius ipſius ſimilior. Conſiteor, ſi mea cauſa eſſet, ſi peculiaris, ſi propria, quantàuis ille licentiâ priùs vſus foret. In Epiſcopo verò aſſerendo, & tanto viro, & tam indignè habito, næ ego inter peccata mea poſitum iri exiſtimem ab *Andrea* adverſario, ſi quando erit vt *redandruet*, quòd tam lentus fuerim. Adeò & ſibi homo conſcius eſt, & Epiſcopi meritorum, vtut diſſimulet, non ignarus. Poſtremò

hoc

hoc hîc moneo, vt deinceps ſi refellere vult, aliter refellat, ſi carpere & cauillari, concinniùs tamen, elegantiùs, ſpecioſiùs, ne tam craſsè, tam ruſticè, tã *prorſus* inſacetè. Antonio illi ferunt neminem vnquam præſtitiſſe ad refutandam orationẽ. Num igitur ille aliquando hoc modo refutabat? *Malâ fide ex Harto refers, Pontificem vſurpare poteſtatem deponendi Principes, cùm ille ita tantùm dicat, Opimo mea eſt, Papam non poſſe Principes deponere*, iure videlicet. Alioqui enim poteſt, & qui viribus valet, qui armis ſuperior eſt. Ita Papam poſſe nec Hartus negârit. Quid eſt autem hic *vſurpare*, niſi facere quod iure & ordine *non poſſis*, i. non debeas certè? *Vſurpat* ergò Pontifex, ſi, cum non poſſit, vt *Hartus*, tentat, vt ſæpè. Epiſcopus tamen ob hoc, *malâ fide vſus in transferendis Harti verbis*. Itẽ, *Paulo antè hoc vidimus in Henrico noſtro ſecundo*. Epiſcopus. Quid Eudæmon-Iohannes? *O inſulſum ac nequam hominem, quomodò tu id videris, quod ante quadringentos annos geſtum eſt?* Adde, *de Contradictoriis iuramenti Fidelitatis*, p. 311. Parall. *Pontifex nullam habet authoritatẽ vllo modo Principes deponendi*. Cui, non rectè contradicitur, *Poteſt Pontifex deponere Principes*. Hem! Etiam de Paradoxis, pag. 345. *Non approbo (inquit Cardinalis) quod dixi, non poſſe Principes infideles priuari per Eccleſiã dominio*; quod, *impoſtor* Epiſcopus, (vſitatum Eudæmon-Iohanni,) cum ſic enuntiat, *Poſſunt infideles priuari dominio, & cætera de genere hoc*, vt ait Poëta. Scatent enim toto libro. Equidem prouidi iam dudum, (quidni enim rem fatear?) commentuſq; mecum ſum, quo pacto alterum non minus grande volumen farciat, ſimilibus in hoc meo ſcirpeo, in Aſſertione inquam Torturæ, & nodis quærendis, & calumnijs nectendis, niſi reſipiſcat. An propterea perturbor? Nihil minùs. Exemplum etiam darem, oſtenderemq; qui fieri poſſet, niſi in more haud eſſet poſitum, non enim celo nunc pertimeſcens ne materiem furenti præbeam. *Noui quoſdam*, inquit Socrates, (in Theæteto locus eſt) *quorum vicia cùm patefecerim, opinionumq; quibus tenentur*

Cic. de Orat.

p. 256. huius.

Vide, p. 223. huius, &c.

πολλοὺς οἶδα ἐγὼ ἐπιχειροῦντας, οὓς ἀπιέναι δέοντας ἐπιχειροῦσι κωλύειν.

rentur errores demonſtrârim, propè erat vt me morderent, quòd aliter dolorem ſuum vlciſci non poſſent. Par Cretis ingenium eſt toto Parallelo. Vt haud ἀθεεὶ indigitatã cognoſcas *Torturam*. Ille verò ſi perſeuerat, niſi ipſe ſe exuat, quod difficile credo fore, *percutiat ſaxa ſua* (vt loquitur ipſe in Præfat. Jalibi, & apud alios, pro arbitratu; *Querat*, inquã, *peregrinum*, vt Venuſinus ait vates, mea enim & ratio & natura *reclamant*. Aut excitabo ei puerum aliquem ex manipulo rureſtri, ac præſertim ex quintanorum claſſe Etonę, (quanquam non rectè rureſtribus illam ſedem annumeres, & olim tam politam, & nuper Chryſoſtomo dato nobilem,) qui captioſæ declamationis hanc ei laudem eripiat, cornicię; oculum, quod dicitur, configat. Tantùm eſt. De erratis enim alibi, vt audio, Lector audies, vel audiſti iamdudum, ſi vera Typographus.

Μόνῳ ἀρχηγῷ καὶ τελειώτῃ
δόξα Ἰησε.

5563

Collins, ᵓ.